This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

rue de l'arbre d'or
à Cambrai

J Wickham Legg

13641 f. 148



Relié
par Charles Huret
rue de l'arbre d'or
à Cambrai

Collat. 16 Janv. 98

J Wickham Legg

13821 f. 148

… ipso nobis causa sit

vitrip: oremus.

Poena eorum nostrorum in quae [illegible]

dictis ignosce: ut qui [illegible]

acere de actibus vestris

in Valzumas, gen. tuis

Domini nostri in terra [illegible]

venia [illegible]



De Seve delin. Baron S

BREVIARIUM NOVIOMENSE,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris DD. JOANNIS-FRANCISCI DE LA CROPTE DE BOURZAC, Epiſcopi-Comitis Noviomenſis, Paris Franciæ, auctoritate, necnon Venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu, editum.

PARS HYEMALIS.



PARISIIS,

Excudebat AUGUSTINUS-MARTINUS LOTTIN, Bibliopola & Typographus Sereniſſimi Ducis Bituricenſis, viâ San-Jacobæâ, propè ædes S. Yvonis, ſub ſigno Galli.

MDCCLXIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTH

JOANNES-FRANCISCUS
DE LA CROPTE
DE BOURZAC,

MISERATIONE DIVINA,
& ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ, Epiſcopus-
Comes Noviomenſis, Par Franciæ;

CLERO NOVIOMENSI
Salutem in Chriſto Jeſu.

DOMINI (*a*) eſt ſalus, & ſortes *noſtræ* in manibus *ejus* (*b*). *Ad Salutem nemo, niſi Deo vocante, venit.* Ipſe ut velimus operatur incipiens (*c*), volentibus cooperatur perficiens. *Deo non auxiliante, irritus labor; ſed neque auxilium poſſumus promereri, niſi orando. Atque, cùm ea ſit orationem inter & ſalutem arctiſſima neceſſitudo, quid ita de oratione Chriſtianis hominibus impoſita lex? Ecquis enim ſibi ſalutique ſuæ providens ad eam, vel ante legem omnem, toto cordis affectu confugere negligat, quam fecêre nobis inopia & miſeria noſtra ſatis ſuperque commendabilem?*

Quod *etenim* in domo fundamentum eſt (*d*), hoc & in anima deprecatio: ipſa munimentum inconcuſſum, animæ nervus, omnis juſtitiæ fons atque vin-

(*a*) Pſalm. 3.
(*b*) Pſalm. 30.
(*c*) Aug. Libr. de Grat. & Lib. arbitr. cap. 17. n°. 13.
(*d*) Chryſoſt. Libr. 1. de Orando Deum.

tis; *decertantibus* (*a*) ſcutum & armatura inexpugna lis, ægrotantibus medela, *mœrentibus ſolamen*, ra vitæ frugiferæ, ſalutis ac vitæ conciliatrix (*b*).

At verò non permittitur modò, ſed & à Deo miſera præcipitur. Oportet ſemper orare, & non deficere (*c*). I tite...quærite....pulſate. *Orare jubet Deus, quia imp tire amat: orare præcipit Eccleſia, quia geſtit partur Chriſto & cœlo. Præcipitur vobis quammaximè, Frat cariſſimi, quos aſſumpſit Deus in partem hæreditatis præcipuam: quos* elegit Deus, ut ſtantes coram eo ore pro filiis Iſrael & pro cunctis peccatis eorum (*d*); *qu rum* officium in orando Deum pro totius Eccleſiæ (*e*) populi Chriſtiani proſperitate ſitum eſt; *quorum eſt nique* pondus populi ſuſtinere viriliter, pro peccatis o nium (*f*), velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicantes De & avertentes iram futuræ animadverſionis à populo

Quod quidem ut ab omnibus ſanctiùs & faciliùs adi pleretur, leve nobis ad fundendas preces Horarum on injunxit Eccleſia, (*ipſa*, quid oremus (*g*), ſicut op tet, *ordinans;*) *atque optavit ſemper ut libri, divina citandi Officia methodum exhibentes, caſtigatè compon rentur, concinnè diſtribuerentur, quò nimirùm* vota, qu diſtinguerent (*h*) labia noſtra, *Deum honorificarent m gìs, ipſique puriùs redderentur.*

Hinc tot Conciliorum Decreta & Sanctiones quib Epiſcopis demandatur ut, omni curâ & ſollicitudine, E cleſiaſticorum Officiorum libros expendant diligentiſſim quæ neceſſaria viderint, adjiciant; quæ ſuperflua, re cent; quæ ſuperſtitioſiùs irrepſiſſent, expungant; quidqu decori divini cultûs aut dignitati minùs congruum eſ prorsùs amputent.

His porrò Sanctionibus, eâ quâ par eſt religione p rere cupientes, id quod tentavêre non pauci Eccleſiæ Ga licanæ Præſules, atque ad felicem perduxêre exitum, a gredi & ipſi decrevimus; nec ab opere jam ab aliquot an

(*a*) Greg. Nyſſ. de Oratione; *Orat.* 1.
(*b*) Chryſoſt. Libr. 1. de Orando Deum.
(*c*) Luc. 18.
(*d*) II. Paralip. 29.
(*e*) Enchir. in Conc. Col. Decr. ann. 1536.
(*f*) Autor Libri de Vita contempl. Sacerd. Libr. 2. cap. 2.
(*g*) Rom. 8.
(*h*) Pſalm. 65.

nis incœpto, variis aliundè caſibus retardato, deſtitimus quin ex omni parte tandem abſolveretur.

Acceſſerunt vota Cleri noſtri totius iterùm atque iterùm expoſcentis, ut & cultûs divini majeſtati & Diœceſis noſtræ utilitati, ne dicam neceſſitati, hâc in parte pro noſtra Paſtorali ſollicitudine provideremus. Neque verò eò nos adduxit novitatis amor, at magnoperè diſcors in Officii ſive privati recitatione, ſive publici celebratione varietas: quam quidem & talem Eccleſiaſticorum penuria voluminum ita, gementibus nobis, intulerat, ut quot Eccleſiæ, tot ferè libri diverſi, tot diverſi ritus adhiberentur. Neque minùs impulêre nos ad emendationem Breviarii noſtri, jam à centum & triginta quatuor annis editi, ea nec pauca quæ minùs accuratè digeſta, atque Religionis majeſtati conſona minùs exciderant, in actis Sanctorum ſpuria, in Hymnis obſoleta, quandoque indecora, quibus adeò neceſſe viſum eſt ea ſufficere quæ ſapientiſſimè ſancitis ab Eccleſia regulis omninò conſentanea proponerentur.

Formam porrò totius operis, ſingularumque ejus partium artificium, vel in ipſo limine velut in tabella brevi delineatum accipite.

Ac primò quidem ita Calendarium inſtitutum eſt ut inter agmina Beatorum quos tota latè veneratur Eccleſia, ſtatuerimus inſerendos eſſe non paucos, tùm eorum quos ad altaris Sacrificium Eccleſia commemorat, (nonnullorum porrò nomina locum in antiquo Calendario nunquàm *habuerant) tùm plurimorum qui Provinciam aut Diœceſim hanc noſtram ortu, prædicatione, virtutibus & ſanctitate ſuâ illuſtrârunt, quorum & olìm in vetuſtiori Calendario nomina deſiderabantur. Neque hoc ſine conſilio & plauſu accitorum à nobis & delegatorum à Noviomenſis Eccleſiæ noſtræ Capitulo Canonicorum effectum eſt: ita nempè decebat eos peculiari cultu proſequi, quos Deus* (in cujus manu ſunt (*a*) omnes Sancti) *nobis quaſi viciniora ſanctitatis exempla conceſſerat.*

Aliquot etiam detrahere debuimus, ne Feſtorum numerus excreſceret ſupra modum, neque ullus jam ferè locus Officio Feriali ſupereſſet.

Quod à ducentis annis edixit Remenſe Concilium(*b*), ut totus Pſalmorum liber in unaquaque hebdomada recitetur; *& quod jam in Concilio Narbonenſi* (*c*) *ſancitum*

(*a*) Deuter. 33.
(*b*) Concil. Remenſ. 1564.
(*c*) Concil. Narbon. 589. can. 2.

erat antiquitùs, ut per majores Pſalmos pauſationes fierent, & per quamcumque pauſationem gloria Trinitatis Domino decantaretur; *hæc Pſalterium dividendo præſtitimus.*

Dùm ſingulis per hebdomadam diebus ſua mens attribuitur, & ſuus inhæret unicuique Officio finis, faciliùs in eo recitando colligitur animus qui, vel ab ipſo Invitatorio, de recolendo inſigni aliquo Dei beneficio, præmonetur; atque per Hymnos, Antiphonas & Capitula ad eumdem finem redeuntia, redit & ipſa mens, ſi forsàn erret, aut ad aliena, ut fert levitas humana, rapiatur. Huic autem propoſito concordes Pſalmi, quantùm licuit, delecti ſunt; non tamen in Completorio cujus Pſalmi, ut par eſt, deficiente die, pœnitentis animi ſenſus atque ad ſummam Dei clementiam unicè confugientis ingenerant.

Habemus è ſacris omnia ferè deſumpta codicibus, Antiphonas, Verſiculos, Capitula, Reſponſoria: & iſta quidem è gemino Veteris & Novi Teſtamenti contextu collecta ut plurimùm; ut ſic conſociatis & adunatis, ut ita dicam, cum veritate figuris, cum eventu promiſſis, mirus admodùm utriuſque concentus illuceſceret. Neque tamen his ita tenaciter hæſimus, quin Antiphonas aliquandò retinuerimus, quas è ſacris Scripturæ fontibus non deductas effuderat olìm pietas erudita, traditio illibata conſecraverat.

Lectiones ita ſelectæ ſunt ut è Scriptura ſacra (nullo ſaltem omiſſo Libro) ea potiſſimùm loca decerpſerimus quæ affectus animi movere magìs & mentem utiliùs erudire valeant. Acta Sanctorum ex æqualibus aut melioris notæ auctoribus ad puriores hiſtoriæ fontes exacta delegimus: nil niſi ex probatis traditionibus, atque incorruptis rerum geſtarum monumentis admittendo; ſpuria omnia, quæ ſub obtentu pietatis olìm irrepſerant, amovendo, & ea quæcumque figmentum tantiſper redolere viſa ſunt ſeverâ caſtigatione reſecando. E germanis SS. Patrum & SS. Eccleſiæ Doctorum operibus, atque optimis eorum editionibus ea deprompſimus quibus ineſſe intelleximus plùs roboris ac documentorum, quæ viſa ſunt nobis & nutriendæ Paſtorum doctrinæ, & informandis per eos populorum moribus aptiora.

Veteribus Hymnis recentiores plurimos, ſacros orantis gemitus undequaque ſpirantes, vi ſententiarum, elegantiâ verborum, & teneriori pietatis ſenſu anteponen-

dos eſſe cenſuimus. Retinuimus tamen ex antiquis aliquot ſincero religionis affectu commendabiles.

Orationes, ſeu Collectæ, ſi quandoquè tranſpoſitæ ſunt, (& id rarò quidem) ideò factum eſt, ut Evangelio diei magis appoſitè conſonarent; ſi mutatæ nonnunquàm, vel è Sacramentariis veteribus excerptæ, vel ad piam antiqui ſtyli ſimplicitatem accommodatæ ſunt.

Habetis & præ manibus ad Officium Capituli ſelectos è Conciliis generalibus, Synodiſve Provinciæ aut Diœceſis noſtræ Canones, primævam & præſentem Eccleſiæ, etiam Diœceſanæ, diſciplinam exhibentes: & qui mos ubique ferè jam obtinet, hunc & ipſi nobis libentiſſimè adſcivimus.

In Rubricis fieri mutationem aliquam expoſcebat prorsùs Officiorum dignitas & ordo novus. Sic & diem Dominicam decere viſum eſt tenere locum inter Feſta principem & iis ſolummodò cedere, quæ tertiam in Eccleſia noſtra Claſſem celebritatis obtinent: ſic & è luctuoſis Quadrageſimalis pœnitentiæ temporibus omne Feſtum ad alia tempora transferri præcepimus; exceptâ, propter honorem Domini & ſanctiſſimæ Matris ejus, inſigniori ſolemnitate Incarnationis Domini, ſeu Annuntiationis: ſic demùm & ab Octava Omnium Sanctorum, eo tempore quo Sanctos omnes proprio cultu veneratur Eccleſia, Feſtum omne peculiare Sancti cujuſlibet amovendum eſſe cenſuimus.

Mandamus autem & præcipimus omnibus & ſingulis noſtræ Diœceſeos Eccleſiis, Capitulis, Monaſteriis, Collegiis, Communitatibus, necnon omnibus Clericis noſtro regimini ſubditis, ad divinum Officium, ſive publicè, ſive privatìm aſtrictis, ut hoc Breviario, auctoritate noſtrâ, & de conſenſu Capituli Eccleſiæ noſtræ Noviomenſis, edito utantur in poſterum; diſtrictè videlicet inhibentes ne aliud quodlibet, ſive publicè in Choro, ſive privatìm extra Chorum recitare præſumant.

De cetero, Fratres cariſſimi, opus iſtud quod amanter offerimus vobis, eâ mente quâ nos elaboravimus &, auxiliante Deo, tandem abſolvimus, excipiatis. Novum exhibetur in opere ſubſidium ad perſolvendum ſupremo Numini laudis omninò debitæ vectigal, novis & pietas Cleri noſtri floreat incrementis! Qui reminiſcimini Domini (a), ne taceatis & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat,

(a) Iſ. 62.

& donec ponat Jeruſalem laudem in terra. *Sit ita decorum illud orandi pro populo munus, ſit vobis levamen & ſolatium, non onus. Abſit ut* fiat in peccatum (*a*), *quod debet eſſe in medelam & munimentum. Conſtituti pro populo* in iis quæ ſunt ad Deum (*b*), *non opponetis per peccata* nubem (*c*) ne oratio tranſeat. *At enim ibi* ſollicitiùs formidandum (*d*), ne qui placare iram poſſe creditur, hanc ipſe ex proprio reatu vereatur. *Sed quid plura? Nempè eſſet* contumelia Sacerdotum (*e*) de divinis cultibus admoneri; quod enim ipſi debent exigere, turpiter exiguntur. *Hoc & vos in mente habete, Paſtores*, arma veſtra *eſſe* orationes (*f*) & lacrymas. Fidite plus orationi (*g*), quàm veſtræ induſtriæ vel labori. Plorantes *autem* (*h*) inter veſtibulum & altare, *mementote*, orando vos poſſe perficere (*i*) quod non poſſetis docendo ſuggerere, *eaque tunc & ita potens ad Principem* paſtorum *deprecatio veſtra dirigetur*, *ut* timeat orationem (*k*) qui contempſerit admonitionem. Oro ut caritas veſtra magìs ac magìs abundet (*l*), ut ſitis repleti fructu juſtitiæ in gloriam & laudem Dei:

Datum Noviomi, in Palatio noſtro Epiſcopali, die primâ menſis Julii anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo-quarto:

† J. FR. Epiſc. Com. Noviomenſis.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Epiſcopi-Comitis Noviomenſis, Paris Franciæ,

L'ELEU.

(*a*) Pſalm. 108.
(*b*) Hebr. 5.
(*c*) Thren. 3.
(*d*) Gregor. de Cura Paſt. Part. 1. cap. 11.
(*e*) Greg. Libr. 3. Epiſt. 5. ad Bonifac. Epiſc.
(*f*) Conc. Mediolan. 1. P. 2.
(*g*) Bernard. de Conſid. Libr. 4. cap. 4.
(*h*) Joël. 2.
(*i*) Autor Libri de Vita contempl. Sacerd. Libr. 1. cap. 17.
(*k*) Bernard. de Conſid. Libr. 4. cap. ult.
(*l*) Philipp. 1.

TABULA ALPHABETICA

Nomina Sanctorum & Sanctarum, necnon ſeriem Feſtivitatum quarumcumque cum ſuo ritu, Feriarum quoque ac Vigiliarum, ceterorumque Breviarii totiûs Officiorum exhibens.

Feſta quæ apud Populum feſtivantur majoribus notantur caracteribus: Quibus autem addita reperitur hæc notula * P. *vel* * T. *deſignatur eſſe feſtum Patroni vel Titularis alicujus loci; quod quidem celebratur ritu Annuali, cum Octava ſemiduplice, in propria Eccleſia.*

Abdon & Sennen, mart. *comm.*	30 jul.
Acharii, Noviom. epiſc. *dupl.* 3 *cl.*	27 nov.
Adriani, mart. *ſimpl.*	7 ſept.
Ægidii, abbat. [*in cath. dupl.*] *comm.* * P.	1 ſept.
Agapiti, mart. *comm.*	18 aug.
Agathæ, virg. & mart. *ſimpl.*	5 febr.
Agnetis, virg. & mart. *ſimpl.*	21 jan.
Albini, epiſc. [*in cath. ſemid.*] *ſimpl.*	1 mart.
Aldegundis, virg. *comm.* * P.	30 jan.
Alexandri, papæ, *Eventii & Theoduli*, presb. mart. *comm.*	3 maii.
Alexandri, epiſc. & mart. *ſimpl.*	5 mart.
Amandi, epiſc. *ſemid.* * P.	6 febr.
Ambroſii, epiſc. & eccl. doct. *dupl.*	7 dec.
Anaſtaſiæ, viduæ & mart. *comm.*	24 nov.
ANDREÆ, apoſt. *dupl.* 3 *cl.* * P.	30 nov.
Angelorum (Michaëlis archang. & omnium SS.) *dupl.* 3 *cl.* * P.	29 ſept.
Angelorum Cuſtodum, *dupl.*	2 oct.
Aniani, epiſc. *ſimpl.* * P.	17 nov.
Annæ, matris B. M. V. [*in cath. tantùm*] *dupl.* 2 *cl.*	28 jul.
Annæ (*Joachim* &) par. B. M. V. [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.*	26 jul.
ANNUNTIATIONIS INCARNAT. DOMINI ad B. M. V. dupl. 2 *cl.*	25 mart.
Antonii, abb. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* * P.	17 jan.
Apollinaris, epiſc. & mart. *ſimpl.*	23 jul.
Apollinaris (*Timothei* &) mart. *comm.*	23 aug.
Apolloniæ, virg. & mart. *ſimpl.*	9 febr.
Arnulphi, mart. *comm.* * P.	18 jul.
ASCENSIONIS DOMINI, *dupl.* 1 *cl.*	30 apr. - 3 jun.
ASSUMPTIONIS B. M. V. annual. * T.	15 aug.
Athanaſii, epiſc. & eccl. doct. *ſemid.*	2 maii.
Audoëni, epiſc. *ſemid.*	23 aug.
Audomari, epiſc. *comm.* * P.	9 ſept.
Auguſtini, epiſc. & eccl. doct. *dupl.*	28 aug.
Aureæ, virg. *comm.*	4 oct.
Barbaræ, virg. & mart. *comm.*	4 dec.
Barnabæ, apoſt. *dupl.* 3 *cl.*	11 jun.
BARTHOLOMÆI, apoſt. *dupl.* 3 *cl.* * P.	24 aug.
Baſilidis, *Cyrini*, *Naboris & Nazarii*, mart. *comm.*	12 jun.
Baſilii magni, epiſc. & eccl. doct. *ſemid.*	2 jan.
Bathildis, viduæ, *ſemid.*	30 jan.
Benedictæ, virg. & mart. *ſimpl.* * P.	8 oct.
Benedicti, abbat. [*in cath. dupl.*] *ſemid.*	11 jul.
Bernardi, abbat. & eccl. doct. *dupl.*	20 aug.
Bertini, abbat. *ſimpl*	5 ſept.

Blandinæ virg. & *ſociorum*, mart. *ſemid.* 2 jun.
Blaſii, epiſc. & mart. *ſimpl.* 3 febr.
Bonaventuræ, epiſc. & eccl. doct. *ſemid.* 14 jul.
Brictii, epiſc. *ſimpl.* * P. 13 nov.
Brunonis, monachi, *ſemid.* 6 oct.

Cæciliæ, virg. & mart. *ſimpl.* 22 nov.
Cæſarii, epiſc. & eccl. doct. *ſemid.* 27 aug.
Calliſti, papæ & mart. *ſimpl.* 14 oct.
Caroli Borromæi, epiſc. *dupl.* 9 nov.
Caſſiani, epiſc. *comm.* 5 aug.
Caſſiani (*Hippolyti* &) mart. *comm.* 13 aug.
Catharinæ, virg. & mart. *comm.* 25 nov.
Cathedræ S. Petri, apoſt. *dupl.* 3 *cl.* 18 jan.
Celiniæ, mulieris, *ſimpl.* 21 oct.
Chriſtophori, mart. *comm.* * P. 25 jul.
Chryſogoni, mart. *ſimpl.* 24 nov.
Cinerum (*feria IV*), 4 febr. - 10 mart.
CIRCUMCISIONIS DOMINI, & *IMPOSIT. SS. NOM. JESU*, *d.* 2 *cl.* 1 jan.
Claræ, virg. *ſimpl.* 12 aug.
Claudii, epiſc. *comm.* 6 jun.
Clementis, papæ & mart. *ſimpl.* * P. 23 nov.
Cleti, papæ & mart. *comm.* 26 apr.
Clotildis, reginæ francor. & viduæ, *ſemid.* 3 jun.
Commemorationis S. Pauli, apoſt. *dupl.* 3 *cl.* 30 jun.
OMNIUM FIDELIUM DEFUNCT. *dupl.* 3 *cl.* 2 *vel* 3 nov.
CONCEPTIONIS B. M. V. *dupl.* 2 *cl.* 8 dec.
Converſionis S. Pauli, apoſt. *dupl.* 3 *cl.* 25 jan.
Cornelii, papæ, & *Cypriani*, epiſc. mart. *ſemid.* 16 ſept.
CORPORIS CHRISTI, *dupl.* 1 *cl.* 21 mart. - 24 apr.
Coſmæ & *Damiani*, mart. *ſemid.* * P. 27 ſept.
Criſpini, } *Criſpiniani*, } mart. *ſemid.* * P. 25 oct.
Crucis (Inventionis S.) *dupl.* 3 *cl.* * T. 3 maii.
(Exaltationis S.) [*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *dupl.* 3 *cl.* * T. 14 ſept.
Cypriani, epiſc. *Cornelii*, papæ &) mart. *ſemid.* 16 ſept.
Cyrici & *Julittæ*, mart. *ſimpl.* * P. 16 jun.
Cyrini, *Naboris* & *Nazarii* (*Baſilidis*), mart. *comm.* 12 jun.

Damiani (*Coſmæ* &), mart. *ſemid.* 27 ſept.
Decollationis S. Joannis-Baptiſtæ, *dupl.* 3 *cl.* 29 aug.
DEDICATIONIS Eccleſiæ (ſecunda Domin. julii), *d.* 1 *cl.* 8 jul.-14 julii.
DEFUNCTORUM (*commem. omnium Fidelium*), *dupl.* 3 *cl.* 2 *vel* 3 nov.
Deſiderii, epiſc. & mart. *ſimpl.* * P. 23 maii.
Dionyſii, epiſc. *Ruſtici*, presb. & *Eleutherii*, diac. mart.
[*in cath. dupl.* 2 *cl.*] *ſemid.* * P. 9 oct.

DOMINICÆ
1 *cl.*: 1 *Adv. dupl.*; 1 *Quadr. dupl.*; *Paſſionis*, *dupl.*; *Palmarum*, *dupl.*; *PASCHÆ*, *Ann.*; *In albis*, *dupl.* 3 *cl.*; *Pentec. Ann.*; *Trin. dupl.* 2 *cl.* } *privilegiatæ.*
2 *cl.*: 2, 3 & 4 *Adv.*; 2, 3 & 4 *Quadr.* } *dupl.* } *privilegiatæ.*
3 *cl.*: *Septuageſ.*; *Sexageſ.*; *Quinquageſ.* } *dupl.* } *privilegiatæ.*
4 *cl.*: *Dominicæ ceteræ per annum. dupl.*

Dominici, presb. *ſemid.* 4 aug.

Eleutherii, diac. *Dionyſii*, epiſc. *Ruſtici*, presb. & mart. [*in cath. dupl. 2 cl.*] *ſemid.* 9 oct.
Elevationis (*Inventionis* &) *Corporis S. Quintini* [*Sanquintini dupl. 1 cl.*] *dupl. 3 cl.* 3 jan.
ELIGII, Nov. epiſc. *Dormitionis*, *annual.* * P. 1 dec.
Ordinationis, *dupl. 3 cl.* * T. 14 maii.
Tranſlationis primæ, [*in cath. tantùm*] *dupl. 3 cl.* 19 jan.
TRANSLATIONIS ſeu *Tranſlationum omnium*, *dupl. 1 cl.* 25 jun.
EPIPHANIÆ DOMINI, *dupl. 1 cl.* 6 jan.
Eulaliæ, virg. & mart. *comm.* * P. 10 dec.
Eunucii, Nov. epiſc. *ſemid.* 10 ſept.
Euphemiæ, virg. & mart *comm.* 16 ſept.
Eutropii, epiſc. & mart. [*in cath. dupl.*] *comm.* 30 apr.
Eventii & *Theoduli*, presb. (*Alexandri*, papæ) mart. *comm.* 3 maii.
Exaltationis S. Crucis, [*in cath. dupl. 2 cl.*] *dupl. 3 cl.* * B. 14 ſept.

Fabiani, papæ. [*in cath. comm.*] *ſemid.* 20 jan.
Felicis Nolani, presb. *comm.* 14 jan.
Felicitatis (*Perpetuæ* &) mart. *ſimpl.* 7 mart.
Felicitatis (*ſeptem Fratrum* &) mart. *ſimpl.* 10 jul.
Feriæ *majores priv.*
- *Vigilia Natalis Domini.*
- *Feria iv Cinerum.*
- *Feriæ omnes à Domin. Palm. ad Dom. in albis. & à Vigil. Pentec. ad Trinit.*

maj. non priv.
- *Feriæ omnes Adv. & Quadr.*
- *Feriæ Rogat.*
- *Feria vj poſt. Oct. Aſcenſ.*
- *Feriæ iv Temp.*

min. privileg. *Feriæ omnes temp. Paſch.*
min. non priv. *Feriæ omnes per annum.*
Fiacrii, ſolitarii, *ſimpl.* 30 aug.
Fidis, virg. & mart. *comm.* 6 oct.
Filiberti, abbat. *comm.* 20 aug.
Firmini, epiſc. & mart. *ſemid.* 25 ſept.
Franciſci Aſſiſinatis, juſti, *ſemid.* 4 oct.
Franciſci de Paula, juſti, *ſemid.* 20 maii.
Franciſci Saleſii, epiſc. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* 29 jan.
Franciſci Xaverii, presb. *ſemid.* 2 dec.
Furſæi, abb. [*Peronæ annual.*] *dupl.* * P. 16 jan.
Fuſciani, *Victorici* & *Gentiani*, mart. *ſemid.* 11 dec.

Gaudiorum B. M. V. [*in cath. dupl. 2 cl.*] *dupl. 3 cl.* 22 aug.
Gaugerici, epiſc. *ſimpl.* * P. 11 aug.
Genebaldi, epiſc. *comm.* 4 ſept.
Geneſii, mart. *comm.* 25 aug.
Genovefæ, virginis, *ſemid.* * P. 4 jan.
Gentiani (*Fuſciani*, *Victorici* &) mart. *ſemid.* 11 dec.
Georgii, mart. *comm.* * P. 23 apr.
Germani, *Autiſſiodorenſis* epiſc. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* * P. 31 jul.
Germani, *Pariſienſis* epiſc. *ſimpl.* * P. 28 maii.
Gertrudis, virginis, *ſimpl.* 4 mart.
Gervaſii & *Protaſii*, mart. *ſemid.* 19 jun.
Gilberti, epiſc. *ſimpl.* 13 febr.
GODEBERTÆ, virg. [*Noviomi feſtivatur*, *dupl. 2 cl.*] *d. 3 cl.* * P. 5 maii.
Godefridi, epiſc. *comm.* 9 nov.
Gregorii magni, papæ & eccl. doct. *dupl.* 3 ſept.
Gregorii Nazianzeni, epiſc. & eccl. doct. *ſemid.* 9 maii.

Hermelandi, abbat. *ſemid.* 25 nov.
Hieronymi, presb. & eccl. doct. *dupl.* 30 ſept.

Hilarii, epiſc. & eccl. doct. *dupl.* * P.	14 jan.
Hippolyti & *Caſſiani*, mart. *comm.*	13 aug.
Hunegundis, virg. *ſimpl.*	26 aug.
Ignatii, epiſc. & mart. *ſemid.*	1 febr.
Ignatii Loyolæ, presb. *ſemid.*	30 jul.
INCARNATIONIS DOMINI, *dupl. 2 cl.*	25 mart.
Innocentium, mart. *dupl.*	28 dec.
Inventionis S. Crucis, *dupl. 3 cl.* * T.	3 maii.
Corporis S. Quintini, mart. *d. 3 cl.* [*Sanquint. d. 1 cl.*]	3 jan.
S. Stephani, protomartyris, *ſemid.*	3 aug.
Irenæi, epiſc. & eccl. doct. mart. *ſemid.*	27 jun.
JACOBI Alphæi & *PHILIPPI*, apoſt. *dupl. 3 cl.* * P.	1 maii.
JACOBI Zebædei, apoſt. *dupl. 3 cl.* * P.	25 jul.
JESU, *D. N. INCARNATIONIS*, *dupl. 2 cl.*	25 mart.
NATIVITATIS, *annual.*	25 dec.
CIRCUMCISIONIS & *IMPOSIT. SS. NOMINIS*, *dupl. 2 cl.*	1 jan.
PRÆSENTATIONIS & *PURIFICAT. B. M. V.* *dupl. 2 cl.*	2 febr.
EPIPHANIÆ, *dupl. 1 cl.*	6 jan.
Baptiſmi, *dupl. 3 cl.*	13 jan.
Transfigurationis, *dupl. 3 cl.*	6 aug.
RESURRECTIONIS ſeu *PASCHÆ*, *annual.*	22 mart. - 25 apr.
ASCENSIONIS, *dupl. 1 cl.*	30 apr. - 3 jun.
Ultimi Adventûs, *dupl. 3 cl.*	7 maii - 10 jun.
CORPORIS CHRISTI, *dupl. 1 cl.*	21 maii - 24 jun.
SACERDOTII, *dupl. 3 cl.*	29 maii - 31 jun.
SS. NOMINIS (Dominic. 3 poſt Pentec.) [*in cath. tantùm*] *dupl. 2 cl.*	31 maii - 4 jul.
Joachim & *Annæ*, parent. B. M. V. [*in cath. dupl. 2 cl.*] *dupl. 3 cl.*	26 jul.
JOANNIS-BAPTISTÆ NATIVITATIS, *dupl. 2 cl.* * P.	24 jun.
Decollationis, *dupl. 3 cl.*	29 aug.
JOANNIS, *Apoſtoli & Evangel. Diei Natalis*, *dupl. 3 cl.* * P.	27 dec.
Martyrii ad Port. Lat. ſemid.	6 maii.
Joannis & *Pauli*, mart. *comm.*	26 jun.
Joannis Chryſoſtomi, epiſc. & eccl. doct. *ſimpl.*	27 jan.
Joſephi, ſponſi B. M. V. *in cath. dupl. 2 cl.*] *dupl. 3 cl.* * P.	15 jan.
JUDÆ (*SIMONIS* &), apoſt. *dupl. 3 cl.*	28 oct.
Juliæ, virg. & mart. *ſimpl.*	21 jul.
Julittæ (*Cyrici* &), mart. *ſimpl.*	16 jun.
Lamberti, epiſc. & mart. *ſimpl.* * P.	17 ſept.
LAURENTII, diacon. & mart. *dupl. 3 cl.* * P.	10 aug.
Lazari, *Mariæ* & *Marthæ*, Chriſti Hoſpitum, *dupl.* * P.	2 ſept.
Leodegarii, epiſc. & mart. *comm.* * P.	2 oct.
Leonardi, ſolitarii, *ſimpl.* * P.	14 nov.
Leonis magni, papæ & eccl. doct. *dupl.*	10 nov.
Lini, papæ & mart. *comm.*	23 ſept.
Lucæ, evangel. *dupl. 3 cl.*	18 oct.
Luciæ, virg. & mart. [*in cath. dupl.*] *comm.*	13 dec.
Luciani, mart. *comm.*	8 jan.
LUDOVICI, fr. reg. [*feſtiv. Noviomi & Sanq. d. 2 cl.*] *d. 3 cl.*	25 aug.
Lupi, Senonenſis, epiſc. [*in cath. comm.*] *ſimpl.* * P.	1 ſept.
Lupi, Trecenſis, epiſc. *ſimpl.*	29 jul.
Maclovii, epiſc. *ſimpl.* * P.	15 nov.
Magdalenæ (*Mariæ*), *dupl. 3 cl.* * P.	22 jul.
Mamantis, mart. *comm.*	17 aug.
Mamerti, epiſc. (*feriâ 2 rogationum*), *comm.*	27 apr. - 31 maii.
Marcelli, papæ, *comm.* * P.	16 jan.

Marcelli, mart. *ſimpl.*	4 ſept.
Marcellini, presb. & *Petri*, exorciſt. *comm.*	2 jun.
Marci, evangeliſtæ, *dupl. 3 cl.*	25 apr.
Margaretæ, virg. & mart. [*in cath. dupl.*] *ſimpl.* * P.	20 jul.
MARIÆ (Beatæ) Virginis *CONCEPTIONIS*, *dupl. 2 cl.*	8 dec.
NATIVITATIS, *dupl. 2 cl.* * T.	8 ſept.
Præſentationis, *dupl. 3 cl.*	21 nov.
ANNUNTIATIONIS, *dupl. 2 cl.*	25 mart.
Viſitationis, *dupl. 3 cl.*	2 jul.
PURIFICATIONIS, *dupl. 2 cl.*	2 febr.
ASSUMPTIONIS, *annual.* * T.	15 aug.
Gaudiorum [*in cath. d. 2 cl.*] *d. 3 cl.*	22 aug.
Mariæ Ægyptiæ, pœnitentis, [*in cath. dupl.*] *ſemid.*	29 apr.
Mariæ, *Marthæ*, } & *Lazari*, Chriſti Hoſpitum, *dupl.*	2 ſept.
Martialis, epiſc. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* * P.	1 jul.
Martini, epiſc. *Depoſitionis*, *dupl. 3 cl.* * P.	11 nov.
Ordinationis & Tranſlationis, *ſemid.*	4 jul.
MATTHÆI, apoſt. & evangel. *dupl. 3 cl.* * P.	21 ſept.
MATTHIÆ, apoſt. *dupl. 3 cl.*	24 *vel* 25 feb.
Mauri, abbat. *comm.*	15 jan.
Mauricii & ſociorum, mart. *ſemid.* * P.	22 ſept.
Maximi, epiſc. *ſemid.*	28 nov.
MEDARDI, Noviom. epiſc. *annual.* * P.	8 jun.
Suſceptionis reliquiarum [*in cath. dupl. 2 cl.*] *ſemid.*	20 nov.
Memmii, epiſc. *ſimpl.*	5 aug.
Michaëlis, archangeli, & *omnium SS. Angelorum*, *d. 3 cl.* * P.	29 ſept.
Momboli, abbat. *ſimpl.*	18 nov.
Mommoleni, Noviom. epiſc. *dupl. 3 cl.*	16 oct.
Monicæ, viduæ, *comm.*	4 maii.
Naboris & Nazarii (*Baſilidis*, *Cyrini*), mart. *comm.*	12 jun.
NATIVITATIS B. M. V. dupl. 2 cl. * T.	8 ſept.
NATIVITATIS S. Joannis-Baptiſtæ, *dupl. 2 cl.* * P.	24 jun.
NATIVITATIS DOMINI, *annual.*	25 dec.
Nazarii (*Baſilidis*, *Cyrini*, *Naboris* &), mart. *comm.*	12 jun.
Nicaſii, epiſc. & *ſociorum*, mart. [*in cath. d.*] *comm.* * P.	14 dec.
Nicolai, epiſc. [*in cath. dupl.*] *ſemid.* * P.	6 dec.
NOMINIS JESU IMPOSIT. & CIRCUMCIS. DOMINI, *dupl. 2 cl.*	1 jan.
NOMINIS JESU (*SS.*) Dominic. 3 poſt Pentecoſt. [*in cath. tantùm*] *dupl. 2 cl.*	31 maii - 4 jul.
Norberti, epiſc. *ſemid.*	6 jun.
Octava Nativitatis Domini, (*dies intra Oct.*) *ſemid.*	25 dec. - 1 jan.
Dies ipſa Octava, *Circumciſ. dupl. 2 cl.*	
Epiphaniæ, *ſemid.*	6 - 13 jan.
D. Oct. Baptiſm. Dom. dupl. 3 cl.	
Paſchæ, *Fer. 2 & 3*, *d. 3 cl. cetera ſemid.*	{ 22 mart. - 28 mart. / 25 apr. - 2 maii.
D. Oct. Domin. in alb. dupl. 3 cl.	
Aſcenſionis, *ſemid.*	{ 30 apr. - 7 maii. / 3 jun. - 10 jun.
D. Oct. ultimus Domini Advent. d. 3 cl.	
Pentecoſtes, *Fer. 2 & 3*, *d. 3 cl. ceteræ ſem.*	{ 10 maii - 17 maii. / 13 jun. - 20 jun.
D. Oct. hâc die Feſt. SS. Trinit. dupl. 2 cl. ſine comm. Pentec.	
Corporis Chriſti, *ſemid.*	{ 21 mart. - 28 mart. / 17 apr. - 24 apr.
D. Oct. Sacerdot. Dom. dupl. 3 cl.	
Nativitatis B. M. V. ſimpl.	8 ſept. - 15 ſept.
D. Oct. (*in cath. dupl.*) *ſemid.*	

Octava *Aſſumptionis, ſemid.* 15 aug. - 22 aug.
D. Oct. Feſt. gaud. (in cath. dupl. 2 cl.) d. 3 cl.
Omnium Sanctorum, ſemid. 1 nov. - 8 nov.
D. Oct. Vener. reliq. (in cath. d. 2 cl.) d. 3 cl.
Joannis - Baptiſtæ, ſimpl. 24 jun. - 3 jul.
D. Oct. ſemid.
Petri & Pauli, apoſt. *ſimpl.* 29 jun. - 6 jul.
D. Oct. ſemid.
Medardi, ſemid. 8 jun. - 15 jun.
D. Oct. dupl.
Eligii, ſemid. 1 dec. - 8 dec.
D. Oct. fit ſola comm. propt. Feſt. Concept. B. M. V. dupl.
Dedicationis eccleſiæ, ſemid. { 8 jul. - 15 jul. / 14 jul. - 21 jul. }
D. Oct. dupl.
Patroni & Titul. cujuſque Eccl. ſemid.
D. Oct. dupl.

OMNIUM SANCTORUM, dupl. 1 cl. 1 nov.
Ordinationis S. Eligii, dupl. 3 cl. *T. 14 maii.
Ordinationis & tranſlationis S. Martini, epiſc. *ſemid.* 4 jul.

Pantaleonis, mart, *ſimpl.* 27 jul.
PASCHÆ (Dominica), annual. 22 mart.-25 apr.
Paulæ, viduæ, *ſimpl.* 28 jan.
PAULI (PETRI &), apoſt. *dupl. 2 cl.* *P. 29 jun.
Pauli (Converſionis), dupl. 3 cl. 25 jan.
Commemorationis, dupl. 3 cl. 30 jun.
Pauli, eremitæ, *commem.* 10 jan.
Pauli (Joannis &), mart. *comm.* 26 jun.
Paulini, epiſc. *ſimpl.* 22 jun.
Pecinnæ, virg. *ſemid.* *P. 26 jun.
PENTECOSTES (Dominica), annual. 10 maii - 13 jun.
Perpetuæ & Felicitatis, mart. *ſimpl.* 7 mart.
PETRI & PAULI, apoſt. *dupl. 2 cl.* *P. 29 jun.
Petri Cathedra, dupl. 3 cl. 18 jan.
ad vincula, ſemid. *T. 1 aug.
Petri exorciſtæ & *Marcellini*, presb. mart. *comm.* 2 jun.
Petri Alexandrini, epiſc. & mart. *ſimpl.* 26 nov.
PHILIPPI & JACOBI, apoſt. *dupl. 3 cl.* *P. 1 maii.
Piatonis, mart. *comm.* 1 oct.
Polycarpi, epiſc. & mart. *ſemid.* 26 jan.
Pothini, epiſc. & Sociorum, mart. *ſemid.* 2 jun.
Prajecti, epiſc. & mart. *comm.* 25 jan.
Præſentationis B. M. V. dupl. 3 cl. 21 nov.
PRÆSENTATIONIS D. & PURIFICATIONIS B. M. V. dupl. 2 cl. 2 febr.
Praxedis (Pudentianæ &) virg. *commem.* 19 maii.
Principii, epiſc. *comm.* 25 ſept.
Protaſii (Gervaſii &) mart. *ſemid.* 19 jun.
Pudentianæ & Praxedis, virg. *comm.* 19 maii.
PURIFICATIONIS B. M. V. & PRÆSENTATIONIS D. d. 2 cl. 2 febr.

Quadraginta Militum Sebaſtenſium, mart. *ſimpl.* 9 mart.
Quadraginta-quinque Martyrum Lugdunenſium, *ſemid.* 2 jun.
Quatuor tempora. *Feriâ iv, vj & Sabb.*
poſt { *Dominic. 3 Adv.* / *Dominic. 1 Quadr.* / *Dominic. Pentec.* / *Feſtum exalt. S. Crucis.* }
Quintini, mart. [*Sanquintini annual.*] *dupl. 3 cl.* *P. 31 oct.
Inventio & elevatio Corporis, [*Sanquint. d. 1 cl.*] *d. 3 cl.* 3 jan.

Radegundis, viduæ, *ſemid.* * P. 13 aug.
Reguli, epiſc. *comm.* 23 apr.
Reliquiarum (venerationis SS.) [*in cath. dupl. 2 cl.*] *dupl. 3 cl.* 8 nov.
Remigii, epiſc. *dupl.* * P. 1 oct.
Rochi, juſti, *comm.* 16 aug.
Rogationum Feriæ, } 27, 28, 29 apr. / 31 maii, 1-2 jun.
Rufini & *Valerii*, mart. *ſemid.* 14 jun.
Ruſtici, presb. & *Eleutherii*, diac. (*Dionyſii*, epiſc.) mart.
[*in cath. dupl. 2 cl.*] *ſemid.* 9 oct.

Salvii, epiſc. *ſimpl.* * P. 29 oct.
Saturnini, epiſc. & mart. *comm.* 29 nov.
Scholaſticæ, virg. *ſimpl.* 10 febr.
Sebaſtiani, mart. [*in cath. dupl.*] *comm.* 20 jan.
Sennen (*Abdon* &), mart. *comm.* 30 jul.
Septem Fratrum Machabæorum, eorumque Matris, mart. *comm.* 1 aug.
Septem Fratrum & *S. Felicitatis*, mart. *ſimpl.* 10 jul.
Simeonis, epiſc. & mart. *ſimpl.* 18 febr.
SIMONIS & *JUDÆ*, apoſt. *dupl. 3 cl.* 28 oct.
Sinicii, } epiſc. *comm.* 10 ſept.
Sixti }
STEPHANI, diaconi & protomartyris, *dupl. 3 cl.* * P. 26 dec.
Inventionis Corporis, *ſemid.* 3 aug.
Stephani, papæ & mart. *ſimpl.* 2 aug.
Sulpitii, epiſc. *commem.* * P. 17 jan.
Suſceptionis Reliquiarum S. Medardi [*in Cath. d. 2 cl.*] *ſemid.* 20 nov
Sylveſtri, papæ, *comm.* 31 dec.
Symphoriani, mart. *comm.* 22 aug.

Theclæ, virg. & mart. *ſemid.* 23 ſept.
Theoduli (*Alexandri*, papæ, *Eventii* &), mart. *comm.* 3 maii.
Thereſiæ, virg. *ſemid.* 15 oct.
Thilleonis, monachi, *comm.* 7 jan.
THOMÆ, apoſt. *dupl. 3 cl.* * P. 21 dec.
Thomæ Aquinatis, presb. & eccl. doct. *dupl.* 18 jul.
Thomæ Cantuar. epiſc. & mart. *ſemid.* 7 jul.
Tiburtii, mart. *comm.* 11 aug.
Timothei, epiſc. & mart. *ſimpl.* 24 jan.
Timothei & *Apollinaris*, mart. *comm.* 23 aug.
Titi, epiſc. *comm.* 4 jan.
Tranſfigurationis Domini, *dupl. 3 cl.* 5 aug.
TRANSLATIONIS S. ELIGII, *dupl. 1 cl.* * T. 25 jun.
prima S. Eligii, [*in cath. tantum*] *dupl. 3 cl.* 19 jan.
S. Martini, *ſemid.* 4 jul.
TRINITATIS (SS.) *dupl. 2 cl.* * T. 17 maii - 20 jun.

Ulcani, abbat. [*in cath. comm.*] *ſemid.* 30 apr.
Urbani, papæ & mart. *ſimpl.* 25 maii.
Urſulæ & *ſociarum*, virg. & mart. *comm.* 21 oct.

Valerici, abbat. *comm.* 12 dec.
Valerii (*Rufini* &), mart. *ſemid.* 14 jun.
Vaningi, juſti, *comm.* 9 jan.
Vedaſti, epiſc. *comm.* * P. 6 febr.
Victorici & *Gentiani* (*Fuſciani*), mart. *ſemid.* 11 dec.

Vigiliæ Nativitatis Domini (cum jejunio).	24 dec.
Epiphaniæ (ſine jej.)	5 jan.
Pentecoſt. (ſine jej.)	9 maii-13 jun.
S. Joann. Bapt. (cum jej.)	23 jun.
SS. Petri & Pauli (cum jej.)	28 jun.
S. Laurentii (cum jej.)	9 aug.
Aſſumptionis B. M. V. (cum jej.)	14 aug.
S. Matthæi (cum jej.)	20 ſep.
SS. Simon. & Jud. (cum jej.)	27 oct.
Omnium SS. (cum jej.) [Sanquint. 30 Oct.]	31 oct.
S. Andreæ (cum jej.)	29 nov.
Vincentii, mart. *ſemid.*	22 jan.
Vincentii à Paulo, Presb. *ſemid.*	19 jul.
Vindiciani, epiſc. *ſimpl.*	3 mart.
Viſitationis B. M. V. dupl. 2 cl.	2 jul.
X*yſti*, papæ & mart. *comm.*	6 aug.
Y*vonis*, presb. *ſimpl.*	19 maii.

Finis Tabulæ Sanctorum.

CORRIGENDA *in hac Parte Hyemali.*

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Errata.*	*Corrigenda ſic.*
360	2	8	CRiſtus dilexit Eccléſiam	C[illegible] dilexit Eccléſiam
365	2	11	*Reſponſaria*	*Reſponſoria*
482	2	28 & 33	Quis eſt hìc?	Quis eſt hic?
486	1	17	álias in Gállia	altas in Gállia
488	2	12	* adorate ſcabellum pedum ejus	& adorate ſcabellum pedum ejus *
489	2	28	ſurgat, jam quæſo,	ſurgat jam, quæſo,
491	1	42	ſalus gregis	ſalus gregis;
520	1	12	honofiricati	honorificati
xlv	2	38	máximo Fílio;	máxima Fílio;
lj	2	34	ómnia lúdicra:	ómnia lúdicra
lxxxvij	*Rubric.*	5	*dignitate cujuſque*	*dignitatis cujuſque*

CASUS

CASUS RESERVATI SANCTISSIMO Domino noſtro Papæ, qui omnes annexam habent Excommunicationis cenſuram, propter quam reſervantur.

I. INCENDIUM *ædium ſive ſacrarum ſive profanarum;* modò reus ab Eccleſia excommunicatus ac juridicè denuntiatus fuerit.

II. *Effractio ſimul & ſpoliatio Eccleſiæ;* modò reus pariter excommunicatus & denuntiatus fuerit.

III. *Injectio violenta & injuſta manûs in Clericum vel Religioſum:* ſi tamen atrox fuerit & enormis, hoc eſt juncta cum morte, aut membri alicujus mutilatione, aut oſſis confractione, aut copiosâ ſanguinis, aliundè tamen quàm ex naribus effuſione, aut contumeliâ maximè injuriosâ: de cujus atrocitate in caſu dubii judicium penès Nos erit. Idem dicendum eſt de ea quæ fit in Epiſcopum vel Prælatum, licèt gravis duntaxat ſit.

IV. *Simonia in Ordine vel Beneficio realis*, id eſt, ex utraque parte completa, ſi tamen publica aut notoria ſit. Item Confidentia, licèt merè conventionalis, publica pariter ac notoria.

V. *Delatio armorum ad partes Infidelium.*

VI. *Falſificatio Bullarum ſeu Litterarum Summi Pontificis.*

VII. *Invaſio, deprædatio, occupatio, devaſtatio Terrarum S. R. Eccleſiæ.*

VIII. *Violatio Interdicti à ſancta Sede Apoſtolicà impoſiti.*

Si qui ſint alii caſus Summo Pontifici reſervati, rarò noſtris in regionibus contingunt. Ab iis autem omnibus, ſi occulti ſint, poſſunt Epiſcopi & ceteri, quibus poteſtatem circa reſervatos dant, quoſlibet abſolvere; inſuper (non obſtante eorum notorietate) Moniales, conjugatas, viduas, puellas, pauperes, ſenes, valetudinarios, ac denique omnes quibus, ſalvâ, vitâ, ſanitate, libertate, aut rebus ſuis, Romam adire non licet.

CASUS OMNES AC SOLI NOBIS reſervati, & in Synodo generali habita Noviomi, die ſeptimâ menſis Octobris 1738. promulgati.

CONTRA I. DECALOGI PRÆCEPTUM.

I. BLASPHEMIA *gravis & publica*, quandò quis, ſcripto vel vocibus, Deo aut Sanctis inſignem contumeliam palàm & publicè infert; ſive attributis juſtitiæ, verbi gratiâ, aut providentiæ ejus derogando; ſive aliquid injurioſum, ut ignorantiam aut crudelitatem ei affingendo; ſive eum maledictis, imprecationibuſve impetendo; ſive (quod adhuc deterius eſt) eum apertè & expreſsè renegando.

Hic caſus ſpecialiter reſervatur.

Quamvis autem deteſtanda omninò ſint, & ad blaſphemiam proximè vergant juramenta per Deum, Chriſti mortem, ſanguinem, membra, &c. in quæ irati præſertim prorumpere ſolent, ea tamen ab omni reſervatione eximimus; ſicut & corruptas ac dimidiatas voces Deo aut Sanctis injurioſas, niſi proferantur publicè & cum motu externo qui contemptum vel indignationem adversùs eos directè & expreſsè enuntiet; ut ſi quis, ita jurando vel renegando, oculos manuſve in cœlum aut aliquam Chriſti imaginem impiè contorqueat.

II. *MAGICÆ artis exercitium, aut recurſus quilibet ad eam exercentes.* Magiæ autem nomine hîc intelligenda, præſertim veniunt philtrum, ſortilegium, maleficium, ligulæ nodatio, incantatio, divinatio, hoc eſt, prædictio rerum futurarum; vel occultarum quæ lumini naturali imperviæ ſunt, detectio: necnon maleficiorum ſolutio, & morborum quibus homines vel animalia vexantur, curatio, quæ per expreſſum aut implicitum cum dæmone pactum fiunt. Implicitum porrò pactum illud fieri cenſetur, quandò quis, prædictorum causâ & intuitu, adhibet ſeriò ſchedulas, aut verba ſive profana, ſive ſacra, aut preces, aut ſignum Crucis, aut ritum aliquem

ſeu medium, nullam ex inſtitutione divina ſeu eccleſiaſtica, vel ex naturæ viribus cum effectu intento (etiamſi indè ſecutus minimè fuerit) connexionem habens : niſi ignorantiâ probabili, aut ſimplicitate nimiâ, aut jocandi voluntate, à qua nihilominùs hâc in parte diligenter abſtinendum eſt, excuſetur.

III. *Hæresis*, quâ quis fidei veritatem & ab Eccleſia ut talem propoſitam, ſcripto vel voce non dubitanter, ſed ex animo & cum pertinacia impugnat, vel errorem ipſi apertè contrarium aſſerit. Item *apoſtaſia* ſeu infidelitas, quâ Chriſtum fidemque chriſtianam jam ſuſceptam penitùs abnegat. Tandem *ſocietas* cum Hæreticis, quandò quis, cum periculo ſubverſionis in fide, eorum concionibus ſeu cæremoniis intereſt.

Reſervantur ſpecialiter & hæreſis, & apoſtaſia & ſocietas prædicta. Inſuper apoſtaſia & hæreſis quoties aliquo exteriori ſigno manifeſtantur, annexam habent ipſo facto cenſuram excommunicationis, quæ Nobis reſervata manet; ſi quis eas publicè profiteri, aut Hæreticorum Infideliumve cœtibus, mente tamen perversâ, & approbandi causâ, etiam occultè, intereſſe auſus fuerit. Eumdem quoque caſum ſimul & cenſuram Nobis ſpecialiter reſervatam ipſo facto incurrunt qui libros hæreticos, aliosve ab Eccleſia, aut ſpecialiter in hac Diœceſi ſub prædictis pœnâ & reſervatione prohibitos legunt vel retinent.

IV. *Sacrilegium*, tùm eorum qui ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum (aliter tamen quàm indignè communicando, aut conſecrando, aut miniſtrando,) vel venerandas Sanctorum reliquias aliquâ inſigni contumeliâ afficiunt : tùm eorum qui prædicto Sacramento, aut aliis rebus ſacris ſeu benedictis, ad maleficia vel magicam artem impiè abutuntur : tùm eorum qui res prædictas in quolibet loco, vel quaſlibet alias (ſi tamen valoris ſint notabilis, & qui ad peccatum mortale ſufficiat)in loco ſacro ſcienter furantur ; tùm denique eorum qui ſacras Ædes animo furandi aut ſpoliandi, etiam non ſecuto effectu, effringunt.

Reſervatur ſpecialiter : at duntaxat in capite primo ; profanationis ſcilicet ſacroſanctæ Euchariſtiæ.

V. *Simonia occulta in Ordine vel Beneficio* : ſi tamen completa ſit, ſaltem ex parte alterutrius, qui Bene-

ficium aut pretium partemve pretii tradidit, aut pactam conditionem implevit. *Confidentia* pariter occulta, licèt merè conventionalis, quâ quis dat & alter acceptat Beneficium, eâ lege ut titulus condicto tempore cedatur, velut dans, ſeu quilibet alius, fructus partemve fructuum percipiat.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam hujuſmodi Confidentia, quam non habet Simonia, niſi ſit realis, & ex utraque parte completa. At utrumque peccatum reſervatur ſpecialiter.

Contra II. Decalogi præceptum.

VI. *Perjurium coram competenti & legitimo Judice vel ejus Delegato*, quandò quis, ſive in propria, ſive in aliena cauſa ab eo juridicè interrogatus, & præſtito de veritate dicenda juramento, ſcienter falſum affirmat, vel verum negat, vel illud malignâ tergiverſatione, aut æquivocatione diſſimulat, vel tanquam certum aſſerit id de quo dubitat. Perjurium ſimiliter commiſſum coram Notario publico bona alicujus defuncti vel defunctæ recenſente, ſeu, ut aiunt, Inventarium conficiente.

Contra IV. Decalogi præceptum.

VII. *Parricidium, ſeu etiam gravis percuſſio patris aut matris, ceterorumve aſcendentium.* Idem dicendum eſt de gravi, quæ eis facto tamen irrogatur, injuriâ; verbi gratiâ, eos furiosè perſequendo, luto ſputiſve conſpergendo, crines evellendo, aut aliâ æquivalenti.

Reſervatur ſpecialiter : at in primo duntaxat capite, morteque ſecutâ.

Contra V. Decalogi præceptum.

VIII. *Homicidium voluntarium* : id eſt, ex animi propoſito patratum; aut etiam caſuale, ex opera tamen data peccato mortali, ex quo illius periculum probabiliter ſecuturum prævideri potuit ac debuit : quod non rarò ebriis & irâ percitis contingit.

IX. *Duellum* : cùm duo vel plures, privatâ auctoritate, & condictâ quoad tempus & locum pugnâ, ſecum invicem cum vitæ periculo decertant. Item ad illud pro-

vocare, aut oblatum acceptare, aut alicui ſuadere, vel etiam libellum provocationis ſcienter deferre, vel ei inſtar patroni comitiſve ad favendum intereſſe, vel denique certaturis auxilium quodlibet præbere, etſi pugna reipsâ non ſecuta fuerit.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam, ſed ſolummodò pugnâ ſecutâ: at ſive ſecuta fuerit, ſive non, peccatum reſervatur ſpecialiter.

X. *OPPRESSIO ſeu ſuffocatio parvulorum*, quamvis ex ſola incuria, modò ſit notabilis, qualis vulgò præſumitur in parentibus, nutricibus, &c. quæ infantulos, nondùm annum ſecundum agentes, ſecum in eodem cubili ad decumbendum collocant.

XI. *PROCURATIO abortûs, fœtûs etiam inanimati*, modò de induſtria & ex intentione eum cauſandi fiat. Ad hoc pariter conſenſum, conſilium, potiones, pharmaca, medicamenta auxiliumve quodlibet ſcienter præſtare.

XII. *VIOLENTA & injuſta injectio manûs in perſonam Deo per religioſam profeſſionem aut ſacros Ordines dicatam, facta vel mandata.* Hujus autem injectionis nomine, non ſolùm percuſſionem gravem intelligimus, ſed etiam læſionem ignominioſam, ſeu contumeliam prædictis perſonis, facto tamen irrogatam, ut in caſu ſeptimo.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam, & quidem reſervatam Summo Pontifici, ſi ſit atrox & enormis, ut dictum eſt caſu tertio.

Contra VI. Decalogi præceptum.

XIII. *NEFANDUM & contra naturæ dictamen ſcelus Sodomiæ, ſive propriè, ſive impropriè dictæ*: inter perſonas ſcilicet ejuſdem vel diverſi ſexûs, maritum etiam & uxorem, non modò conſummatum, ſed etiam tentatum eo actu qui per ſe & proximè ad conſummationem tendit. Item & pari modo, (quod adhuc gravius eſt,) *crimen beſtialitatis.*

XIV. *CONCUBITUS perſonæ Deo, per ſolemne caſtitatis & religionis votum dicatæ, & viciſſim complicis ejus, cujuſcumque ſtatûs & conditionis fuerit.*

XV. *CONCUBITUS, vel etiam tactus per ſe tamen & ex*

naturâ ſuâ obſcœnus Confeſſarii cum pœnitente, id eſt, cum perſona cujus confeſſionem ſacramentalem etiam ſemel excepit, & viciſſim pœnitentis cum Confeſſario.

Norint autem Sacerdotes quilibet prædicti concubitûs aut tactûs conſcii, ſibi ipſo facto & quovis tempore (excepto duntaxat mortis articulo) lege præſenti ademptam eſſe facultatem complicem ſuam vel ſuum ab iis abſolvendi, quamcumque anteà obtinuerint, vel poſtmodùm obtineant à reſervatis abſolvendi poteſtatem. Inſuper ut ab audienda deinceps eorum confeſſione pro ceteris quibuſlibet peccatis, quantùm in ipſis erit, ſemper abſtineant, ſalubriter monemus & hortamur.

XVI. *Incestus in primo vel in ſecundo gradu conſanguinitatis vel affinitatis, ſive per licitam ſive per illicitam copulam contracta, quoad lineam collateralem; & in gradu quocumque, quoad lineam rectam.* Quo in caſu reus vel rea jus exigendi debitum à ſua vel ſuo conjuge ipſo facto amittit, donec illi per ſpecialem diſpenſationem reſtitutum fuerit, quæ tamen incluſa cenſebitur in facultate quam dabit Superior abſolvendi ab inceſtu ſibi ſpecialiter declarato.

Reſervatur ſpecialiter, in primo tamen gradu duntaxat.

XVII. *Incestus ſpiritualis*, id eſt, concubitus inter perſonas affinitate ſpirituali conjunctas. Ac 1. quidem inter perſonam baptizatam &. perſonam baptizantem. 2. Inter patrinum & matrinam ex una parte, & perſonam baptizatam ex altera. 3. Denique inter baptizantem, patrinum & matrinam ex una parte, & patrem ac matrem perſonæ baptizatæ ex altera.

XVIII. *Adulterium quodlibet, etiam ſimplex*, conjugati ſcilicet vel conjugatæ cum ſoluto vel ſoluta; ſi tamen notorium ſit.

XIX. *Concubinatus pariter notorius*: quo nomine intelligitur Concubitus frequens & aſſuetus ſoluti cum ſoluta, qui ſibi invicem, inſtar mariti & uxoris, ſive in iiſdem, ſive in diverſis ædibus, notoriè adhærent.

XX. *Raptus*; cùm mulier vel puella honeſtè vivens, ſive invita, ſive invitis ejus aut patre aut matre, aut marito, aut aliis in quorum poteſtate eſt, ad matrimonium contrahendum, vel ad explendam libidinem, abducitur.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam, ſi matrimonii intuitu fiat, cui ſubjiciuntur omnes conſilium,

auxilium favoremve præſtantes : at in utroque capite reſervatur ſpecialiter.

XXI. *Violatio mulieris aut puellæ*, id eſt, copula illicita per vim, non autem per promiſſiones aut blanditias ab iis extorta.

XXII. *Matrimonium contractum ſcienter, vivente adhuc priori marito vel uxore.*

XXIII. *Matrimonium contractum per verba de præſenti aliter quàm coram Parocho, Vicario, aliove Sacerdote ab ipſis vel à Nobis deputato, ſimul & quatuor teſtibus.* Item matrimonium per prædicta verba contractum quidem coram Parocho, ſed abſque illius benedictione quamvis petitâ.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam & reſervatam in hoc ultimo caſu Statutis Synodalibus anni 1673 : at in utroque peccatum reſervatur ſpecialiter.

Ad prædictum caput referri poſſunt, tanquàm libidinis incentiva.

XXIV. *Ebrietas Clerici in ſacris ordinibus vel beneficiis conſtituti* : ſi tamen Clericus ex nimia & immoderata potatione fiat rationis impos.

XXV. *Usus carnium aut etiam juris è carnibus expreſſi ;* quibus, abſque neceſſitate, diebus ab Eccleſia prohibitis, quis veſcitur. Antiquam autem & à ſacris Canonibus præſcriptam praxim adeundi Superiores, etiam in prædicto neceſſitatis caſu, & licentiam ab iis petendi, accuratè ſervari præcipimus.

XXVI. *Ingressus abſque licentia noſtra perſonarum extranearum cujuſcumque ſexûs intra ſepta Monialium, vel feminarum intra ſepta Monachorum*, etſi pars aliqua ſeptorum vetuſtate aut aliter diruta jaceat.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam quoad ſepta Monialium duntaxat : at in utroque caſu peccatum reſervatur ſpecialiter.

Contra VII. Decalogi præceptum.

XXVII. *Incendium domûs ſeu areæ alienæ, etiam occultum*, quamvis ſolummodò mandatum aut tentatum, animo ſcilicet nocendi.

Reſervatur ſpecialiter.

XXVIII. *Uſura realis*, id eſt, exactio lucri ex mutuo ultra ſortem creditam, ſive in pecunia, ſive in frugibus, ſive in quibuſlibet rebus aliis pretio æſtimabilibus, ſolutione vel in toto vel in parte ſecutâ; ſi tamen uſura notoria ſit.

XXIX. *Exactio vini ſeu pecuniæ, occaſione ſponſaliorum aut matrimonii*, non importunis precibus, ſed per vim, aut minas, aut detentionem ſponſi vel ſponſæ, extorti; ſi tamen ſolutio in toto vel in parte ſecuta fuerit.

Reſervatur ſpecialiter.

Excommunicationem habet ipſo facto annexam Statutis Synodalibus anni 1673, ob innumeras quæ ex ea ſequi ſolent, ebrietates, rixas, homicidia, &c. Peccatum etiam reſervatur ſpecialiter.

ADMONITIONES.

I. NUllum peccatum reſervatur niſi ſit mortale. Nullum etiam reſervatur, quandò ſolâ cogitatione admiſſum eſt, vel quandò à pueris committitur ante annum decimum quartum, aut à puellis ante annum duodecimum.

II. Nullum peccatum, nullaque cenſura in articulo mortis eſt reſervata: ſi verò æger convaleſcat, debet pro cenſuris adire Superiorem.

III. Nullus Sacerdos hæreticum publicum abſolvat, niſi de licentiâ D. D. Epiſcopi, eâque ſcripto expreſſâ.

FORMA ABSOLUTIONIS,
Cum precibus ante & poſt eam à Sacerdote dicendis.

Miſereátur tuî omnípotens Deus; &, dimiſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam.

Indulgéntiam, abſolutiónem † & remiſſiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus.

Amen.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt ſummus Póntifex, per ſuam piiſſimam miſericórdiam te abſolvat; & ego, auctoritáte ipsius, mihi licèt indigníſſimo conceſſâ, abſolvo te imprímis à vínculo excommunicatiónis, (*ſi pœnitens ſit Clericus, additur,* ſuſpenſiónis) & interdicti, in quantum poſſum & índiges. Deindè ego te abſolvo ab omnibus peccátis tuis, in nómine Patris †, & Fílii, & Spíritûs ſancti.

Amen.

Paſſio Dómini noſtri Jeſu Chriſti, mérita beátæ Maríæ Vírginis & ómnium Sanctórum, ſuffrágia ſanctæ Matris Eccléſiæ, & quidquid boni féceris, & mali ſuſtinúeris, váleant tibi in remiſſiónem peccatórum tuorum, in augmentum grátiæ, & præmium vitæ æternæ.

Amen.

TABULA TEMPORARIA

Anni Do-mini.	*Au-reus* Num.	*Epa-ctæ.*	*In-di-ctio.*	*Litt. Do-min.*	*Dom. poſt Epiph.*	*Septua-geſima.*	*Dies Ci-nerum.*
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3	3 Febr.	20 Febr.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1767	1	*	15	d	5	15 Febr.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.	17 Febr.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Febr.
1770	4	iij	3	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Febr.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Febr.	24 Febr.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Febr.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1778	12	j	11	d	5	15 Febr.	4 Mart.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.	17 Febr.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.	9 Febr.
1781	15	iv	14	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1783	17	xxvj	1	e	5	16 Febr	5 Mart.
1784	18	vij	2	d c	4	8 Febr.	25 Febr.
1785	19	xviij	3	b	2	23 Jan.	9 Febr.
1786	1	*	4	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1787	2	xi	5	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1788	3	xxij	6	f e	1	20 Jan.	6 Febr.
1789	4	iij	7	d	4	8 Febr.	25 Febr.
1790	5	xiv	8	c	3	31 Jan.	17 Febr.
1791	6	xxv	9	b	5	20 Febr.	9 Mart.
1792	7	vj	10	A g	4	5 Febr.	22 Febr
1793	8	xvij	11	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1794	9	xxviij	12	e	5	16 Febr.	5 Mart.
1795	10	ix	13	d	3	1 Febr.	18 Febr.
1796	11	xx	14	c b	2	24 Jan.	10 Febr.
1797	12	j	15	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1798	13	xij	1	g	3	4 Febr.	21 Febr.
1799	14	xxiij	2	f	1	20 Jan.	6 Febr.

FESTORUM MOBILIUM

Anni Domini.	*PASCHA.*	*Aſcenſio Domini.*	*Pentecoſte.*	*Feſtum Corporis Chriſti.*	*Dom. poſt Pent.*	*Dom. prima Advent.*
1764	22 April	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov
1784	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov
1785	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov
1786	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1787	8 April.	17 Maii	27 Maii.	7 Junii.	26	2 Dec.
1788	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Nov.
1789	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	25	29 Nov.
1790	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1791	24 April.	2 Junii.	12 Junii.	23 Junii.	23	27 Nov
1792	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2 Dec.
1793	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1794	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov
1795	5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	26	29 Nov
1796	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Nov
1797	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1798	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2 Dec.
1799	24 Mart.	2 Maii.	12 Maii.	23 Maii.	28	1 Dec.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt, quantùm fieri potuit, tempus quo quiſque Sanctus obiit.

Ann. *ſignificat anno.* c. ann. *circa annum.* ſ. *ſeculo.* c. med. ſ. *circa medium ſeculi.*

Quibus nihil apponitur, tempus incertum eſt.

Feſta, quæ majoribus caracteribus notantur, feſtivantur apud populum.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impoſitio SS. Nominis JESU, & Octava Nativitatis ejuſdem. *Duplex II. Claſſis.*
xxix	b	iv	2	Baſilii magni, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopi & Doctoris Eccleſiæ: *obiit die 1. Januarii anni* 379. *Semiduplex.*
xxviij	c	iij	3	Inventio & Elevatio corporis S. Quintini, Martyris. *Duplex III. Claſſis.* (Sanquintini, *Duplex I. Claſſis.*) *Inventio prima per ſanctam Euſebiam, ann.* 341. *ſecunda per S. Eligium, c. ann.* 641. *Elevatio, ann.* 1228. *altera coram S. Ludovico & regni proceribus, ann.* 1257.
xxvij	d	Prid.	4	Genoveſæ, Virginis Pariſienſis: *obiit die tertio anni* 512. *Semid. Comm.* S. Titi, Cretenſis Epiſcopi. *I. ſec.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *ſine jejunio.*
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI. *Duplex I. Claſſis, cum Octava ſemiduplice & privilegiata.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ. *Semid. Comm.* S. Thillonis, Monachi, unius è diſcipulis S. Eligii: *ob. ann.* 702.
xxiij	A	vj	8	De Octava Epiphaniæ, *Semid. Comm.* S. Luciani, Presbyteri & Mart. in agro Bellovacenſi, *ann.* 290.
xxij	b	v	9	De Octava Epiphaniæ. *Semid. Comm.* S. Vaningi, Comitis Laïci: *ob. ann.* 688.
xxj	c	iv	10	De Octava Epiphaniæ. *Semid. Comm.* S. Pauli, primi Eremitæ Thebaidis: *ob. c. ann.* 341.
xx	d	iij	11	De Octava Epiphaniæ. *Semid.*
	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ. *Semid.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JANUARIUS.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini. *Duplex III. Claſſis.*
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictav. Epiſcopi & Doctoris Eccleſiæ (è die 13.) *ob. ann.* 368. *Dupl. Comm.* S. Felicis, Nolani, Presbyteri & Confeſſoris Chriſti : *ob. c. ann.* 265.
xvj	A	xviij	15	Joſeph, Sponſi B. Mariæ Virginis. *Duplex III. Claſſis.* [IN CATH. *Dupl. II. Claſſ.*] *Comm.* S. Mauri, Abbatis Glannofolienſis : *ob. c. ann.* 600.
xv	b	xvij	16	Furſei, Abbatis Latiniacenſis & Patroni Peroneæ civitatis : *obiit anno* 650. *Duplex.* [Peronæ feſtivatur, *eſtque Annuale.*] *Comm.* S. Marcelli, Papæ & Confeſſoris Chriſti : *obiit ann.* 309, *vel* 310.
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Ægyptii. *ob. c. ann.* 356. *Semid.* [IN CATH. *Dupl.*] *Commemorat.* S. Sulpitii, Biturigenſis Epiſc. *ob. c. ann.* 644.
xiij	d	xv	18	Cathedra S. Petri, tùm Antiochena, tùm Romana. *Duplex III. Claſſis.*
				Prima Septuageſima. 18.
xij	e	xiv	19	[IN CATH. Tranſlatio prima S. Eligii (è die 9.), *Duplex III. Claſſis ann.* 881. *Elevatio corporis S. Eligii facta eſt à S. Mommoleno, ann.* 660.]
xj	f	xiij	20	Fabiani, Papæ & Mart. *c. ann.* 250. *Semid. Commem.* S. Sebaſtiani, Mart. *c. ann.* 288. [IN CATH. de S. Sebaſtiano *Duplex. Commem. S.* Fabiani.]
x	g	xij	21	Agnetis, Virginis & Mart. *ann.* 303. *vel* 304. *Simplex.*
ix	A	xj	22	Vincentii, Cæſarauguſtani Diaconi, & Martyris Valentiæ in Hiſpania. *ann.* 303. *vel* 304. *Semid.*
viij	b	x	23	
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſini Epiſcopi & Mart. *c. ann.* 97. *Semid.*
vj	d	viij	25	Converſio S. Pauli Apoſtoli, *ann.* 34. *vel* 35. *Duplex III. Claſſ. Comm.* S.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JANUARIUS.
				Præjecti, Claromontani Epiſcopi & Mart. *ann.* 673.
v	e	vij	26	Polycarpi, Smyrnenſis Epiſcopi & Mart. *ann.* 169. (è die 23. Februarii) *Semid.*
iv	f	vj	27	Joannis Chryſoſtomi, Conſtantinopolitani Epiſcopi & Doctoris Eccleſiæ, *ob. die* 14 *Septembris ann.* 407. *Ejus Tranſlatio hâc die ann.* 438. *Semiduplex.*
iij	g	v	28	Paulæ, Viduæ Romanæ. (è die 26.) *ob.* 404. *Simplex.*
ij	A	iv	29	Franciſci Saleſii, Genevenſis Epiſcopi: *ob. die* 28 *Decembris, ann.* 1622. *Semid.* [IN CATH. *Dupl.*]
j	b	iij	30	Bathildis, Reginæ Francorum, & Viduæ: *ob. c. ann.* 680. *Semid. Comm.* S. Aldegundis Virginis: *ob. ann.* 684.
*	c	Prid.	31	

FEBRUARIUS.

xxix	d	Cal.	1	Ignatii, Antiocheni Epiſcopi & Martyris Romæ, *ann.* 107. (è die 20 Decembris.) *Semid.*
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI IN TEMPLO, & PURIFICATIO B. M. VIRGINIS, *Duplex II. Claſſis.*
xxvij	f	iij	3	Blaſii, Sebaſteni in Armenia, Epiſcopi & Mart. *c. ann.* 316. *Simplex.*
				Prima ſedes Cinerum. 4.
25. xxvj	g	Prid.	4	
xxv. xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Catanenſis Virginis & Mart. *c. ann.* 251. *Simplex.*
xxiij	b	viij	6	Amandi, adjutoris S. Eligii & Trajectenſis Epiſc. *ob. c. ann.* 679. *Semid. Comm.* S. Vedaſti, Epiſcopi Atrebatenſis & Cameracenſis, *ob. c. ann.* 539.
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	Apolloniæ, Virginis & Mart. *ann.* 249. *Simpl.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		FEBRUARIUS.
xix	f	iv	10	Scholaſticæ, Virginis Caſſinenſis: *ob. c. ann.* 543. *Simplex.*
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	Gilberti, Meldenſis Epiſcopi: *ob. ann.* 1015. *Simplex.*
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Hieroſolymitani Epiſcopi, & Mart. *ann.* 107. *Simplex.*
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima Septuageſima*, 21.
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno biſſextili.* *
v	f	vj	24	MATTHIÆ, Apoſtoli: I. *ſec. Dupl. III. Claſſis.*
iv	g	v	25	*In ann. biſſ.* — *Quod Feſtum, ſi in Quadrageſima venerit, anticipatur, fitque de eo Feriâ III. Quinquageſimæ, ſed non feſtivatur.*
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

* In annis biſſextilibus, poſt diem VII. ante Calendas, interponitur dies intercalaris, & bis dicitur *ſexto Calendas*; tuncque Februarius eſt dierum XXIX. & Feſtum *S. Matthiæ* celebratur die XXV. Littera Dominicalis, quæ hactenùs eſt adhibita, mutatur in litteram præcedentem. *Verbi gratiâ*, ſi in Januario Littera Dominicalis fuit A, die XXV. Februarii mutatur in præcedentem quæ eſt g; eaque cauſa eſt cur anni biſſextiles ſemper habeant duplicem Litteram Dominicalem.

MARTIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
*	d	Cal.	1	Albini, Andegavenſis Epiſcopi : *ob. ann.* 550. *Simpl.* [IN CATHEDR. *Semid.*].
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	Vindiciani, Cameracenſis Epiſcopi, unius è Diſcipulis S. Eligii : *ob. ann.* 693. (è die 11.) *Simplex.*
xxvij	g	iv	4	Gertrudis, Virginis : *ob. ann.* 659. (è die 17.) *Simplex.*
xxvj	A	iij	5	Alexandri, Hieroſolymitani Epiſcopi, & Mart. *c. ann.* 250. (è die 18) *Simplex.*
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ & Felicitatis, Martyrum, *c. ann.* 204. *Simplex.*
xxiij	d	viij	8	*Primum novilunium Paſchale.*
xxij	e	vij	9	Quadraginta Militum Sebaſtenſium, Mart. *c. ann.* 320. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	*Ultima ſedes Cinerum*, 10.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	*Prima ſedes Paſchæ*, 22.
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO & INCARNATIO DOMINI. *Duplex II. Claſſis.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

MARTIUS.

Feriâ VI. poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium Compaſſionis B. M. V. Dupl. III. Claſſ. (niſi occurrat die 25 Martii ; tunc enim nihil fit de Compaſſione illo anno.)

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis		
xxix	g	Cal.	1	
xxviij	A	iv	2	
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	
xxv. xxiv	d	Non.	5	*Ultimum novilunium Paſchale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Reguli, primi Silvanectenſis Epiſcopi : *ob. c. ann.* 320. *Commemoratio : &* *Comm.* S. Georgii, Martyris in Oriente, *III. vel IV. ſec.*
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci, Evangeliſtæ : *ob. c. ann.* 68. *Duplex III. Claſſis.* *Litaniæ majores, cum abſtinentia à carnibus. Qui non interſunt Proceſſioni, tenentur recitare, poſt Laudes, Litanias Sanctorum, cum precibus & orationibus, flexis genibus.* *Ultima ſedes Paſcha*, 25.

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
iij	d	vj	26	Cleti, Papæ & Mart. *c. ann.* 91. *Commem.*
ij	e	v	27	*Feriâ II. Rogationum, fit* Comm. S. Mamerti, Epiſc. Viennenſis : *ob. poſt ann.* 475. *Litaniæ minores ſeu Rogationes, cum abſtinentia à carnibus. Qui non interſunt Proceſſioni, tenentur recitare, flexis genibus, poſt Laudes, Litanias SS. cum precibus & orationibus.*
j	f	iv	28	
*	g	iij	29	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis. *V. vel VI. ſec.* (è die 1.) *Semid.* [IN CATH. *Duplex.*]
xxix	A	Prid.	30	Ultani, apud Peronam Abbatis : *ob. ann.* 680. *Semid.* (è die j. Maii) *Commem.* S. Eutropii, Santonenſis Epiſcopi & Martyris. *III. ſec.* [IN CATH. S. Eutropii, *Dupl. Commem.* S. Ultani.] *Prima ſedes Aſcenſionis*, 30.

MAIUS.

xxviij	b	Cal.	1	PHILIPPI * & JACOBI ** (Alphæi) Apoſtolorum. *Duplex III. Claſſis.* * *poſt* 81. ** 62.
xxvij	c	vj	2	Athanaſii, Epiſcopi Alexandrini, & Doct. Eccl. : *ob. ann.* 373. *Semid.*
xxvj	d	v	3	Inventio ſanctæ Crucis, *facta ann.* 326. *vel* 327. *Duplex. III. Claſſis Commem.* SS. Alexandri, Papæ, Eventii & Theoduli, Presbyterorum, & Romæ Martyrum, *ann.* 119.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Viduæ : *ob. c. ann.* 387. *Commem.*
xxiv	f	iij	5	Godebertæ, Virginis & Patronæ civitatis Noviomenſis : *obiit ſub finem VII. ſec. Duplex III. Claſſ.* [Intra Urbis muros feſtivatur, *& Duplex eſt II. Claſſis.*]
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apoſtoli & Evangeliſtæ, Martyrium, Romæ, ante Portam Latinam : *ann.* 95. *Semiduplex.*
xxij	A	Non.	7	

MAIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Doctoris Eccleſiæ : *ob. c. ann.* 391. *Semiduplex.*
xix	d	vj	10	Franciſci de Paula, Inſtitutoris Ordinis Minimorum : *ob. ann.* 1507. (è die 2. Aprilis.) *Semid.* *Prima ſedes Pentecoſtes*, 10.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Ordinatio S. Eligii : *facta eſt hâc ipsâ die. Duplex III. Claſſis.*
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Yvonis, Presbyteri Trecorenſis : *ob. ann.* 1303. *Simplex. Comm.* SS. Pudentianæ & Praxedis, Virginum : *II. ſæc.*
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	Deſiderii, Lingonenſis Epiſcopi, & Martyris, *III. vel IV. ſ. Simplex.*
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Urbani, Papæ & Martyris, *ann.* 230. *Simplex.*
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	Germani, Pariſienſis Epiſcopi : *ob. ann.* 576. *Simplex.*
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	
xxviij	d	Prid.	31	

Dominicâ I. poſt Pentecoſten fit Officium Feſti SS. Trinitatis. *Dupl. II. Claſſis.*

Feriâ V. poſt Feſtum SS. Trinitatis, Feſtum Corporis Chriſti. *Dupl. I. Claſſ. cum Octava Semid. privilegiata.*

Dominicâ infra Octavam Corporis

[illegible]

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		MAIUS.
				Chriſti, Noviomi, in Eccl. Parochialibus, Officium SS. Sacramenti, *Duplex I. Claſſ.*
				Feria V. ſubſeq. Octava *Corporis Chriſti & Feſtum* Sacerdotii D. N. J. C. *Duplex III. Claſſis.*
				[IN CATHEDR. *Dominicâ III. poſt Pentecoſt. ſit de* SS. Nomine Jesu, *Dupl. II. Claſſ.*].
				JUNIUS.
xxvij	c	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, primi Lugdunenſis Epiſcopi, Blandinæ Virginis, & aliorum XLV Mart. Lugdunenſium : *ann.* 177. *Semid. Comm.* SS. Marcellini, Presbyteri, & Petri, Exorciſtæ, Romæ Martyrum, *ann.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	Clotildis, Reginæ Francorum & Viduæ : *ob. c. med. VI. ſec. Semid.*
				Ultima ſedes Aſcenſionis, 3.
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburgenſis Epiſcopi, & Inſtitutoris Ordinis Præmonſtratenſis : *ob. ann.* 1135. *Semid. Comm.* S. Claudii, Veſuntini Epiſcopi : *ob. ann.* 581.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Episcopi Noviom. & Diœcesis Patroni : *ob. c. ann.* 545. *Annual. cum Octava ſemidupl.*
xviij	f	v	9	De Octava. *Semid.*
xvij	g	iv	10	De Octava. *Semid.*
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apoſt. *ob. c. fin. I. ſec. Dupl. III. Claſſ. Comm. Octav.*
xv	b	Prid.	12	De Octava. *Semid. Commem.* SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii, Martyrum, *c. ann.* 309.
xiv	c	Idib.	13	De Octava. *Semid.*
				Ultima ſedes Pentecoſtes, 13.
xiij	d	xviij	14	Rufini & Valerii, in agro Sueſſionenſi Martyrum, *c. ann.* 287. *Semidupl. Comm. Octava.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		JUNIUS.
xij	e	xvij	15	Octava S. Medardi. *Duplex.*
xj	f	xvj	16	Cyrici, & Julittæ, matris ejus, Martyrum, *ann.* 305. *Simpl*
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Gervaſii & Protaſii, fratrum & M tyrum, *I. vel II. ſec. Semid*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	
v	e	x	22	Paulini, Nolani Epiſcopi : *ob.* 431. *Simplex.*
iv	f	ix	23	Vigilia *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTIS *Duplex II. Claſſis cum Oct. Si*
ij	A	vij	25	TRANSLATIO S. ELIGII, NOV MENSIS EPISCOPI, & DIŒCE PATRONI. *Dupl. I. Claſſ. Tra tiones plurimæ factæ ſunt, qua prima ſeu elevatio ann.* 660. 2ª *a* 881. 3ª *ann.* 1066. 4ª *ann.* 1 5ª *ann.* 1306. *ultima ann.* 162
j	b	vj	26	Pecinnæ, Virginis, *ann.* 73.. *Se Comm. Octavæ, deindè* SS. Jo & Pauli, fratrum, Romæ M *c. ann.* 363.
*	c	v	27	Irenæi, Epiſcopi Lugdunenſis Doctoris Eccleſiæ, ejuſque Sc Mart. *c. ann.* 202. (è die *Semid. Comm. Octavæ.*
xxix	d	iv	28	Vigilia, *cum jejunio. Comm. Oc*
xxviij	e	iij	29	PETRI & PAULI, APOSTOLO *paſſi ſunt, c. ann.* 66. *Dupl Claſſ. cum Octava Simplice.*
xxvij	f	Prid	30	Commemoratio S. Pauli, Ap *Dupl. III. Claſſ. Comm. Diei* (S. Joann. Baptiſtæ & *Octava* S

JULIUS.

				Dominicâ II. Julii, DED Eccleſiæ NOVIOMENSIS *&* *Eccleſiarum Diœceſis. Dupl.* *cum Octava ſemid.*
xxvj	g	Cal.	1	Octava S. Joannis Baptiſtæ, *Comm.* S. Martialis, Lem

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		AUGUSTUS.
				plex III. Claſſis. Comm. S. Xyſti, Papæ & Mart. *ann.* 258.
xviij	b	vij	7	
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	Vigilia, *cum jejunio.*
xv	e	iv	10	LAURENTII, Diaconi & Mart. *ann.* 258. *Duplex III. Claſſis.*
xiv	f	iij	11	Gaugerici, Epiſcopi Cameracenſis: *ob. ann.* 619. *Simplex, Commem.* S. Tiburtii, Mart. *ann.* 286.
xiij	g	Prid.	12	Claræ, Aſſiſi in Umbria, Virginis, primæ Abbatiſſæ Clariſſarum: *ob. c. ann.* 1253. (è die 11.) *Simplex.*
xij	A	Idib.	13	Radegundis, Reginæ Francorum & Viduæ: *ob. ann.* 587. *Semid. Comm.* SS. Hippolyti & Caſſiani, Mart. *ann.* 258.
xj	b	xix	14	Vigilia, *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *Annuale, cum Octava Semid.*
ix	d	xvij	16	De Octava. *Semid. Comm.* S. Rochi, Laïci: *ob. ann.* 1327. *apud Montem Peſſulanum.*
viij	e	xvj	17	De Octava. *Semid. Comm.* S. Mamantis, Mart. *c. ann.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava. *Semid. Comm.* S. Agapiti, Mart. *ann.* 274.
vj	g	xiv	19	De Octava. *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Abbatis Claravallenſis & Doctoris Eccleſiæ: *ob. ann.* 1153. *Duplex. Comm. Octava &* S. Filiberti, Abb. *ann.* 684.
iv	b	xij	21	De Octava. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Aſſumptionis B. M. Virginis, & Feſtum gaudiorum ejuſdem B. V. *Dupl. III. Claſſ.* [IN CATH. *Dupl. II. Claſſ.*] *Comm.* S. Symphoriani, apud Auguſtodunum Mart. *c. ann.* 180.
ij	d	x	23	Audoëni, Rotomagenſis Epiſcopi: *ob. ann.* 683. (è die 24.) *Semid. Comm.* SS. Timothei & Apollinaris, apud Remos Mart. *ſub finem III. ſec.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, Apoſt. *Dupl. III. Claſſis.*

LUDOVICI,

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		AUGUSTUS.
*	f	viij	25	LUDOVICI, FRANCORUM REGIS : *ob. ann.* 1270. *Duplex III. Claſſis.* Feſtivatur Noviomi & Sanquintini, *ſub ritu duplici II. Claſſis. Comm.* S. Genezii, Mart. *c. ann.* 285.
xxix	g	vij	26	Hunegundis, Virginis & Abbatiſſæ in agro Viromanduenſi : *ob. ann.* 690. (è die 25.) *Simplex.*
xxviij	A	vj	27	Cæſarii, Arelatenſis Epiſcopi, & Doct. Eccleſiæ : *ob. ann.* 542. *Semid.*
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, & Doct. Eccleſiæ : *ob. ann.* 430. *Dupl.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis-Baptiſtæ, *ann.* 32. *Duplex III. Claſſ.*
25. xxv	d	iij	30	Fiacrii, in agro Meldenſi, Solitarii : *c. med. VII. ſec. Simplex.*
xxiv	e	Prid.	31	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		SEPTEMBER.
xxiij	f	Cal.	1	Lupi, Senonenſis Epiſc. *ob. ann.* 623. *Simpl. Comm.* S. Ægidii, Abbatis in Occitania, *circa medium VI. ſec.* [IN CATHEDR. S. Ægidii, *Dupl. Commem.* S. Lupi.]
xxij	g	iv	2	Lazari à Chriſto ſuſcitati, ac SS. Mariæ & Marthæ ſororum ejus, Chriſti Hoſpitum. *Duplex.*
xxj	A	iij	3	Gregorii Magni, Papæ, ac Doctoris Eccleſiæ: *ob. die* 12. *Mart. ann.* 604. *Dupl. Ordinatio hâc die, ann.* 590.
xx	b	Prid.	4	Marcelli, Cabillonenſis Mart. *Simpl. ann.* 179. *Commem.* S. Genebaldi, primi Laudunenſis Epiſcopi, *c. ann.* 550.
xix	c	Non.	5	Bertini, Abbatis Sithienſis : *ob. ann.* 709. *Simplex.*
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	Adriani, Mart. in Bithynia, *IV. ſec. Simpl.*
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. M. V. *Duplex II. Claſſ. cum Octava ſimplic.*
xv	g	v	9	De Octava, *Simplex* : *Commemoratio* S. Audomari, Morin. Epiſc. *ob. c. ann.* 668.

AUGUSTUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
				plex III. Claſſis. Comm. S. Xyſti, Papæ & Mart. *ann.* 258.
xviij	b	vij	7	
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	Vigilia, *cum jejunio.*
xv	e	iv	10	LAURENTII, Diaconi & Mart. *ann.* 258. *Duplex III. Claſſis.*
xiv	f	iij	11	Gaugerici, Epiſcopi Cameracenſis: *ob. ann.* 619. *Simplex, Commem.* S. Tiburtii, Mart. *ann.* 286.
xiij	g	Prid.	12	Claræ, Aſſiſi in Umbria, Virginis, primæ Abbatiſſæ Clariſſarum: *ob. c. ann.* 1253. (è die 11.) *Simplex.*
xij	A	Idib.	13	Radegundis, Reginæ Francorum & Viduæ: *ob. ann.* 587. *Semid. Comm.* SS. Hippolyti & Caſſiani, Mart. *ann.* 258.
xj	b	xix	14	Vigilia, *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *Annuale, cum Octava Semid.*
ix	d	xvij	16	De Octava. *Semid. Comm.* S. Rochi, Laïci: *ob. ann.* 1327. *apud Montem Peſſulanum.*
viij	e	xvj	17	De Octava. *Semid. Comm.* S. Mamantis, Mart. *c. ann.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava. *Semid. Comm.* S. Agapiti, Mart. *ann.* 274.
vj	g	xiv	19	De Octava. *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Abbatis Claravallenſis & Doctoris Eccleſiæ: *ob. ann.* 1153. *Duplex. Comm. Octava & S.* Filiberti, Abb. *ann.* 684.
iv	b	xij	21	De Octava. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Aſſumptionis B. M. Virginis, & Feſtum gaudiorum ejuſdem B. V. *Dupl. III. Claſſ.* [IN CATH. *Dupl. II. Claſſ.*] *Comm.* S. Symphoriani, apud Auguſtodunum Mart. *c. ann.* 180.
ij	d	x	23	Audoëni, Rotomagenſis Epiſcopi: *ob. ann.* 683. (è die 24.) *Semid. Comm.* SS. Timothei & Apollinaris, apud Remos Mart. *ſub finem III. ſec.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, Apoſt. *Dupl. III. Claſſis.*

LUDOVICI,

AUGUSTUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
*	f	viij	25	LUDOVICI, FRANCORUM REGIS : *ob. ann.* 1270. *Duplex III. Claſſis.* Feſtivatur Novioni & Sanquintini, *ſub ritu duplici II. Claſſis. Comm.* S. Genezii, Mart. *c. ann.* 285.
xxix	g	vij	26	Hunegundis, Virginis & Abbatiſſæ in agro Viromanduenſi : *ob. ann.* 690. (è die 25.) *Simplex.*
xxviij	A	vj	27	Cæſarii, Arelatenſis Epiſcopi, & Doct. Eccleſiæ : *ob. ann.* 542. *Semid.*
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, & Doct. Eccleſiæ : *ob. ann.* 430. *Dupl.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis-Baptiſtæ, *ann.* 32. *Duplex III. Claſſ.*
25. xxv	d	iij	30	Fiacrii, in agro Meldenſi, Solitarii : *c. med. VII. ſec. Simplex.*
xxiv	e	Prid.	31	

SEPTEMBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xxiij	f	Cal.	1	Lupi, Senonenſis Epiſc. *ob. ann.* 623. *Simpl. Comm.* S. Ægidii, Abbatis in Occitania, *circa medium VI. ſec.* [IN CATHEDR. S. Ægidii, *Dupl. Commem.* S. Lupi.]
xxij	g	iv	2	Lazari à Chriſto ſuſcitati, ac SS. Mariæ & Marthæ ſororum ejus, Chriſti Hoſpitum. *Duplex.*
xxj	A	iij	3	Gregorii Magni, Papæ, ac Doctoris Eccleſiæ : *ob. die* 12. *Mart. ann.* 604. *Dupl. Ordinatio hâc die, ann.* 590.
xx	b	Prid.	4	Marcelli, Cabillonenſis Mart. *Simpl. ann.* 179. *Commem.* S. Genebaldi, primi Laudunenſis Epiſcopi, *c. ann.* 550.
xix	c	Non	5	Bertini, Abbatis Sithienſis : *ob. ann.* 709. *Simplex.*
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	Adriani, Mart. in Bithynia, *IV. ſec. Simpl.*
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. M. V. *Duplex II. Claſſ. cum Octava ſimplici.*
xv	g	v	9	De Octava, *Simplex* : *Commemoratio* S. Audomari, Morin. Epiſc. *ob. c. ann.* 668.

SEPTEMBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xiv	A	iv	10	Eunucii, Noviomenſ. Epiſc. *ann.* 744. *Semid. Comm.* SS. Sixti & Sinicii Epiſcop. primùm apud Sueſſionem, deindè apud Remos. *ſub fin. III. ſeculi* (è die 1.) *Commemoratio* Octavæ.
xiij	b	iij	11	De Octava. *Simplex.*
xij	c	Prid.	12	De Octava. *Simplex.*
xj	d	Idib.	13	De Octava. *Simplex.*
x	e	xviij	14	Exaltatio ſanctæ Crucis, *imperante Conſtantino, ann.* 326. *vel* 327. *imperante Heraclio, ann.* 629. *Dupl. III. Claſſis.* [IN CATHEDRALI, *Duplex II. Claſſis*]. *Comm.* Octavæ. *Quatuor Tempora Septembr. incipiunt primâ Feriâ iv. poſt Exalt. S. Crucis.*
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. M. V. *Semid.* [IN CATHEDR. *Dupl.*]
viij	g	xvj	16	Cornelii, Papæ, & Cypriani, Epiſc. Carthaginenſis, Martyrum: *paſſi ſunt ambo die* 14. *hujus menſis; ille Romæ, ann.* 252. *hic Carthagine, ann.* 258. *Semid. Commem.* S. Euphemiæ, Virg. & Mart. *IV. ſec.*
vij	A	xv	17	Lamberti, Trajectenſis Epiſc. & Mart. *c. ann.* 708. *Simplex.*
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	
iv	d	xij	20	Vigilia *cum jejunio.*
iij	e	xj	21	MATTHÆI, APOSTOLI & EVANGELISTÆ, *I. ſec. Duplex III. Claſſis.*
ij	f	x	22	Mauricii & Sociorum, Agauni Mart. *ann.* 286. *Semid.*
j	g	ix	23	Theclæ, Virginis & Mart. apud Iconium, *ſub fin. I. ſec. Semid. Comm.* S. Lini, Papæ & Mart. *c. ann.* 78.
*	A	viij	24	
xxix	b	vij	25	Firmini, primi Ambianorum Epiſc. & Mart. *c. ann.* 288. *Semid. Comm.* S. Principii, Sueſſionenſis Epiſcopi: *ob. ann.* 505.
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Coſmæ & Damiani, fratrum & Mart. *ineunte IV. ſec. Semid.*
25. xxvj	e	iv	28	
xxv. xxiv	f	iij	29	Michaëlis Archangeli, & Omnium SS. Angelorum

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		SEPTEMBER.
				Angelorum. [*Hoc Feſt. in Apulia ſumpſit initium ſub fin. V. ſeculi*]. *Duplex III. Claſſis.*
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Presbyteri, & Doct. Eccleſiæ : *ob. ann.* 420. *Dupl.*

OCTOBER.

SYNODUS, primâ Feriâ III. poſt Feſtum S. Remigii.

xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remenſis Epiſc. *ob. die* 13. *Januarii c. ann.* 533. *Ejus Tranſlatio* 1. *hâc die ante ann.* 585 2. *hâc die ann.* 852. *Duplex. Commem.* S. Piatonis, in agro Tornacenſi Mart. *c. ann.* 285.
xxj	b	vj	2	Sanctorum Angelorum Cuſtodum, *Dupl. Comm.* S. Leodegarii, Epiſc. Auguſtodunenſis, & Mart. *ann.* 678.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Franciſci, Aſſiſinatis, Diaconi, & Inſtitutoris Ordinis FF. Minorum: *ob. ann.* 1226. *Semid. Comm.* S. Aureæ Virg. & primæ Abbatiſſæ S. Martialis apud Pariſios : *ob. ann.* 666.
xviij	e	iij	5	
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, & Inſtitutoris Ordinis Carthuſienſis : *ob. ann.* 1101. *Semid. Comm.* S. Fidis, Aginnenſis Virginis, & Mart. *c. ann.* 287.
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	Benedictæ, Virginis, & Mart. apud Auriniacum, in agro Laudunenſi, *ann.* 286. *Simplex.*
xiv	b	vij	9	Dionyſii, primi Pariſiorum Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi, Mart. *III. ſec. Semid.* [IN CATH. *Dupl. II. Claſſ.*]
xiij	c	vj	10	
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	Calliſti, Papæ & Mart. *ann.* 223. *Simplex.*

OCTOBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
viij	A	Idib	15	Thereſiæ, Abulenſis Virginis, & Inſtauratricis Ordinis Carmelitani : *ob. ann.* 1582. *Semid.*
vij	b	xvij	16	Mommoleni, Noviomenſis Epiſcopi : *ob. ann.* 685. *Duplex III. Claſſis.*
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	Lucæ, Evangeliſtæ. *I. ſec. Dupl. III. Claſſ.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Celiniæ, matris S. Remigii : *ob. ann.* 500. *Simplex. Comm.* SS. Urſulæ & Sociarum, Virginum & Mart. *IV. vel V. ſec.*
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Criſpini & Criſpiniani, fratrum & Mart. apud Sueſſiones : *ann.* 288. *Semiduplex.*
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	Vigilia *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS & JUDÆ, Apoſt. *I. ſec. Dupl. III. Claſſis.*
xxiv	A	iv	29	Salvii, Ambianenſis Epiſc. *ob. die* 28. *ſub fin. VII ſec. Simpl.*
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Quintini, apud Auguſtam Viromanduorum Mart. *c. ann.* 287. *Duplex III. Claſſ.* [SANQUINTINI, *Annuale.*] *Comm.* Vigiliæ *cum jejunio.*

NOVEMBER.

xxj	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *inſtitut. c. ann.* 835. *Duplex I. Claſſis, cum Octava ſemidupl.*
				Quandò Feſtivitas Omnium Sanctorum incidit in Sabbatum, Commemoratio ſequens transfertur in Feriam II. ſequentem.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *inſtituta c. ann.*

Cycl Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		NOVEMBER.
				998. *Feſtivatur uſque ad peral Offic. matutinum : Duplex III. C*
xix	f	iij	3	De Octava, *Semiduplex.*
xviij	g	Prid.	4	De Octava, *Semiduplex.*
xvij	A	Non.	5	De Octava, *Semiduplex.*
xvj	b	viij	6	De Octava, *Semiduplex.*
xv	c	vij	7	De Octava, *Semiduplex.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Ve ratio SS. Reliquiarum, *Dupl. I Claſſ.* [IN CATH. *Dupl. II. Cla*
xiij	e	v	9	Caroli Borromæi, Mediolanenſis Ep Cardin. (è die 3.) *ann.* 15 *Dupl. Commem.* S. Godefridi, Ep Ambian. (è die 8.) *ann.* 111
xij	f	iv	10	Leonis Magni, Papæ, & Doct. E *ann.* 461. *Dupl.* (è die 11. Apr
xj	g	iij	11	Martini, Turonenſis Epiſc. *ob. a* 397. *Duplex III. Claſſis.*
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	Brictii, Turonenſis Epiſc. *ob. a* 444. *Simplex.*
viij	c	xviij	14	Leonardi, Solitarii : *ob. c. ann.* 5 *Simplex.*
vij	d	xvij	15	Maclovii, *ſive* Macuti, Alethenſis Britannia minore, Epiſcopi : *c. ann.* 565. *Simplex.*
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Aniani, Aurelianenſis Epiſc. *o* *ann.* 453. *Simplex.*
iv	g	xiv	18	Momboli, Abbatis Latiniacenſi Adjutoris S. Eligii in Apoſto *ob. ſub fin. VII. ſec. Simple*
iij	A	xiij	19	
ij	b	xij	20	Suſceptio Reliquiarum S. Me *ann.* 1650. *Semid.* [IN CATH *Dupl. II. Claſſ.*]
j	c	xj	21	Præſentatio B. M. V. *Dupl. III*
*	d	x	22	Cæciliæ, Virginis & Mart. *III. ſec. Simplex.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *ann* *Simplex.*
xxviij	f	viij	24	Chryſogoni, Mart. *ann.* 304. *Comm.* S. Anaſtaſiæ, Vidu næ & Mart. *paſſa eſt die* 25 *bris ann.* 305.

Epa. xxct.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		NOVEMBER.
vij	g	vij	25	Hermelandi, Civis Noviomenſis, & Abbatis Antrenſis : *ob. die* 25. *Martii, ann.* 718. [*In Diœceſi Nannetenſi hodiè ſit ejus Feſtivitas.*] *Semid. Comm.* S. Catharinæ, Virginis Alexandrinæ, Mart. *IV. ſec.*
25. xxvj	A	vj	26	Petri, Alexandrini Epiſc. & Mart. *ann.* 311. *Simplex.*
xxv. xxiv	b	v	27	Acharii, Noviomenſis Epiſc. *ob. ann.* 639. *Duplex III. Claſſis*
				Prima ſedes Adventûs. 27.
xxiij	c	iv	28	Maximi, Reienſis Epiſc. *ob. ann.* 462. (è die 27.) *Semiduplex.*
xxij	d	iij	29	Vigilia, *cum jejunio. Commem.* S. Saturnini, primi Toloſatium Epiſc. & Mart. *c. ann.* 258. *vel* 275.
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOSTOLI, *I. ſec. Dupl. III. Claſſ.*

DECEMBER.

xx	f	Cal.	1	ELIGII, NOVIOMENSIS EPISCOPI, & DIŒCESIS PATRONI : *ob. ann.* 659. *Annuale, cum Octava ſemiduplice.*
xix	g	iv	2	Franciſci Xaverii, Presbyteri, & Indiarum Apoſtoli : *ob. ann.* 1552. *Semid. Comm.* Octavæ S. Eligii.
xviij	A	iij	3	De Octava, *Semid.*
				Ultima ſedes Adventûs, 3.
xvij	b	Prid.	4	De Octava, *Semid. Comm.* S. Barbaræ, Virginis Nicomedienſis, & Mart. *III. vel IV. ſec.*
xvj	c	Non.	5	De Octava, *Semid.*
xv	d	viij	6	Nicolai, Myrenſis in Lycia Epiſc. IV. *ſec. Semid.* [IN CATHEDR. *Dupl.*] *Commem.* Octavæ.
xiv	e	vij	7	Ambroſii, Mediolanenſis Epiſc. & Doctoris Eccleſiæ : *ob.* 4. *April. ann.* 397. *Ejus Ordinatio hâc die ann.* 374. *Duplex. Commem.* Octavæ.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. M. V. *Duplex II. Claſſ. Commem.* Dici Octavæ S. Eligii.

DECEMBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Menſis.		
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	*Commemoratio* S. Eulaliæ, Emeritenſis Virginis, & Martyris, *ann.* 304.
x	b	iij	11	Fuſciani, Victorici & Gentiani Mart. *c. fin. III. ſec. Semiduplex.*
ix	c	Prid.	12	*Commemoratio* S. Valarici, Abbatis in agro Vinemacenſi : *ob. ann.* 622.
viij	d	Idib.	13	*Commemoratio* S. Luciæ, Virginis Syracuſanæ, & Mart. *c. ann.* 304. [IN CATHEDR. *Duplex.*]
vij	e	xix	14	*Commemoratio* S. Nicaſii, Remenſis Epiſcopi, ejuſque Sociorum Mart. *c. ann.* 451. [IN CATH. *Dupl.*]
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
xxx	e	xij	21	THOMÆ, APOSTOLI. *I. Sec. Duplex III. Claſſ.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS DOMINI. *Annuale, cum Octava ſemiduplice.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, DIACONI & PROTOMARTYRIS : *c. ann.* 33. *Duplex III. Claſſ. Comm.* Octavæ.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOSTOLI & EVANGELISTÆ. *Duplex III. Claſſ. ob. ann.* 100. *vel* 104. *Comm.* Octavæ.
xxiij	e	v	28	Innocentium, Mart. *I. ſec. Duplex. Commem.* Octavæ.
xxij	f	iv	29	De Octava. *Semiduplex.*
xxj	g	iij	30	De Octava. *Semiduplex.*
* 19. xx	A	Prid.	31	De Octava. *Semid. Commem.* S. Sylveſtri, Papæ : *ob. ann.* 335.

* Hæc Epacta 19 nunquàm eſt in uſu, niſi quandò, eodem anno, concurrit cum aureo numero xix.

RUBRICÆ GENERALES
habentur in Parte VERNA, *poſt Calendarium.*

EXCERPTA È RUBRICIS GENERALIBUS.

DE OFFICIO
Feriali.

IN Officio Feriali, omnia ut in Pſalterio, & in Proprio de Tempore.

Abſolutiones & Benedictiones habentur inter Pſalterium & Proprium de Tempore.

In Feriis Adventûs dicuntur Preces flexis genibus ad omnes Horas, non excepto Nocturno, in quo, ſi Laudes non ſequuntur immediatè, dicuntur Preces poſitæ ad Tertiam, cum Oratione conveniente.

Omittuntur autem omninò Preces tàm ad Veſperas quàm ad Completorium, à die quâ incipiuntur Antiphonæ *O.*

Toto Tempore Adventûs omittuntur Suffragia, ſeu Commemorationes communes tàm ad Laudes quàm ad Veſperas. A die verò 2. Januarii uſque ad Præſentationem, etiamſi Septuageſima intervenerit, fit Commemoratio de B. V. Deip. ut notatur in Proprio de Tempore; aliæ autem Commemorationes communes omittuntur.

In Feriis Adventûs non fit de Simplici, niſi Commemoratio pridiè ad Veſperas & in Laudibus diei, cum iij. Lectione ad Nocturnum ſub Benedictione, *Ipſe Deus pacis*, &c. fit autem de Semiduplici & ſuprà cum Commemoratione Feriæ.

DE OFFICIO
Feſti Simplicis.

IN Officio Feſti Simplicis, Pſalmi de Feria in toto Officio. Officium Feſti Simplicis incipit à Capitulo Veſperarum diei præcedentis, & terminatur cum Nona: excipe dies intra Octavam Simplicem, in quibus dicuntur Veſperæ de Octava. Capitulum autem, Hymnus, Verſiculus, Antiphona ad *Magnificat.* & Oratio ut in Proprio vel in Communi.

Ad Veſperas & ad Laudes Suffragia, exceptâ Commemoratione de ſancta Cruce.

A die 2. Januarii ad Præſentationem fit tantùm Commemoratio de B. V. Deip. ut notatur in Proprio de Tempore; aliæ autem Commemorationes omittuntur.

Ad Completorium, Capitulum & Hymnus ut in Officio Feſtivali.

Ad Matutinum, novem Pſalmi ſub tribus Antiphonis, unaquæque poſt tres Pſalmos, cum Verſiculo de Feſto; quæ omnia, ſi deſint in Proprio, ſumuntur in Communi de Nocturno ſecundùm Feriam. Abſolutio, ſecundùm Feriam. Benedictiones de Sanctis (Et ſic in Semidupl.) niſi fiat de Simpl. (vel de Semiduplici) intra Octavam Feſti Domini aut B. M. V. Tunc enim dicuntur Benedictiones ex uno de Noct. Dominicæ ſecundùm Feriam, vel Benedictiones de Beata. Tres Lectiones, quarum prima & ſecunda, de Scripturâ occurrente; ſcilicet prima ſola; ſecunda è duabus poſterioribus junctis in

unam; tertia de Feſto cum duobus Reſponſoriis ex eodem Nocturno unde Antiphonæ deſumptæ ſunt, ſcilicet primo & ultimo Reſponſorio Nocturni ſecundùm Feriam, & dicitur *Te Deum*.

Ad Laudes, Canticum ut in Proprio, vel in Communi conveniente, Antiphona unica, quæ, ſi deſit in Proprio, quarta ſumitur è quinque poſitis in Communi pro Laudibus. Capitulum, Hymnus, Verſiculus, Antiphona ad *Benedictus*. & Oratio, ut in Proprio, vel in Communi.

Ad Primam, Capitulum *Regi ſeculorum* (& ſic in omni Officio quod non eſt Feriale). Dicuntur Preces conſuetæ.

Ad ceteras Horas, Ant. Capit. ℟℟. *brev*. & Oratio de Proprio, vel de Communi.

Nunquàm transfertur Feſtum Simplex; ſed, ubi occurrit in aliqua Feria Adventûs, fit de eo tantùm Commemoratio pridiè ad Veſperas & in Laudibus diei cum Lectione iij. ad Nocturnum; & ſine Lectione in Dominicis Adventûs & in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ. Ubi verò incidit in Feſtum Annuale aut Duplex I. & II. Claſſis quæ ſunt Domini (idem dic de Semidupl.) nihil fit de eo, nequidem Commemoratio. Quæ autem & quandò fieri debeat Commemoratio Simplicis vel Semiduplicis in Duplicibus I. & II. Claſſis, non Domini, & infrà, habetur in Rubricis generalibus, Part. I. Cap. 9. & 10 *de Occurrentia*, & *de Concurrentia*.

DE OFFICIO
Feſti Semiduplicis.

IN Officio Feſti Semidupl. omnia ut in Officio Feſti Simpl. exceptis quæ ſequuntur. 1°. Habet utraſque Veſperas. 2°. In Semiduplicibus & ſuprà, non fiunt Suffragia neque ad Veſperas, neque ad Laudes (ſed à die 2. Januarii fit Commemoratio de B. V. Deip. & ſic in Duplicibus ſimpliciter) neque dicuntur Preces conſuetæ ad Completorium, neque ad Primam. 3°. Ad Matutinum, Lectio prima de Scriptura occurrente (de tribus una); ſecunda & tertia de Feſto.

Feſtum Semiduplex cedit Semiduplici intra Octavam ſi ſit Domini, non verò Semiduplicibus intra Octavas quæ non ſunt Domini.

DE OFFICIO
Feſti ſimpliciter *Duplicis*.

IN Officio Feſti *ſimpliciter* Duplicis, Pſalmi de Feria in toto Officio. In utriſque Veſperis & in Laudibus tot ſunt Antiphonæ quot Pſalmi. Ad Matutinum, tres Nocturni, ſinguli ſub ſingulis Antiphonis, id eſt tres Pſalmi ſub unica Antiphona, quæ, ſi deſumatur è Communi, ſumitur è tribus cujuſque Nocturni ſecundùm Feriam. Poſt unamquamque Lectionem ſequitur Reſponſorium, exceptâ Lectione ix. quam ſequitur immediatè Canticum *Te Deum*. Non duplicantur Antiphonæ neque ad *Magnificat*, neque ad *Benedictus*; cetera ut in Semiduplicibus. Ubi occurrit Feſtum Duplex cum alio Feſto ſuperioris ordinis, transfertur

in primam diem, ſaltem Semiduplici non impeditam. Excipe Diem ipſam Octavam Duplicem, quæ non transfertur, ſed fit Commemoratio de illa Die Octavâ Duplici in utriſque Veſperis & in Laudibus, cum ix. Lectione ad Matutinum, ſi habeat Evangelium diverſum ab Evangelio Feſti.

Dominicæ omnes per annum ſunt ſimpliciter Duplices. (At in Dominicis Adventûs, Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, non dicitur *Te Deum.* & poſt ix. Lectionem dicitur ix. Reſponſorium). In Sabbatis autem præcedentibus, ad Completorium dicitur Capitulum & Hymnus ut in Dominicis.

DE OFFICIO
Feſti Duplicis III. Claſſis.

OMnia ut in Officio *ſimpliciter* Duplici, præterquàm quòd in eo tot ſunt Antiphonæ quot Pſalmi in Matutino; & à die 2. Januarii ad Præſentat. non fit Commem. de B. V. Deip.

DE OFFICIO
Feſti Duplicis II. Claſſis.

OMnia ut in Officio Duplici III. Claſſis, præter hæc tria. 1°. Habet Reſponſorium poſt Capitulum I. Veſperarum, & poſt *Gloria Patri.* reſumitur duntaxat Reclamatio. [In Feſtis localibus quæ aſſurgerent ad ritum Dupl. II. Claſſ. aut ſuprà, propter Solemnitatem Patroni, aut Titularis, &c, ſi ℟. dicendum poſt Capit. I. Veſp. deſit tàm in Proprio, quàm in Communi, V. G. in Feſtis de S. Cruce, de SS. Angel. aut ſimilibus, tunc ſumitur iij. Reſponſorium Matutini.] 2°. Duplicantur Antiphonæ ad utrumque *Magnificat.* & ad *Benedictus.* 3°. In Reſponſoriis brevibus additur duplex *Alleluia*; ſi tamen per tempus liceat.

DE OFFICIO
Feſti Duplicis I. Claſſis.

OFficium fit ut in Duplici II. Claſſis præter ea quæ ſequuntur. Dicuntur ſemper Pſalmi de Feria ad I. Veſperas & ad Completorium ſubſequens; ſed, ad Matutinum & ceteras Horas diei, dicuntur Pſalmi de Dominica, niſi proprii aſſignentur ad Matutinum & II. Veſperas. Prætereà, in Reſponſorio poſt Capitulum I. Veſp. & in ultimo Matutini poſt *Gloria Patri.* reſumitur, non Reclamatio, ſed ipſummet Reſponſ. uſque ad Verſum.

DE OFFICIO
Annualium.

OFficium Feſti Annualis habet omnia communia cum Officio Duplici I. Claſſis præter ea quæ ſequuntur: In Matutino, poſt repetitam primi, tertii, ſexti & octavi Reſponſorii Reclamationem, dicitur *Gloria Patri.* deindè reſumitur, non Reclamatio, ſed ipſummet Reſponſor. uſque ad Verſum. Ad utrumque Completorium, Antiphonæ poſt Pſalmos & ad *Nunc dimittis.* propriæ ſunt, & dicuntur per Octavam quandò fit de ea. Excipe tamen Octavas quæ ſunt Domini, in quibus, etiamſi non fiat de Octava, dicuntur Antiphonæ illæ propriæ, niſi fiat de alio Annuali ſuas habente Antiphonas proprias.

SERIES TITULORUM

Sub quibus ordinantur CANONES *Conciliorum diſtributi in hac Hiemali parte Breviarii.*

1. DE ſcientia & uſu Sacrarum Scripturarum, & Canonum, necnon de auctoritate Conciliorum generalium: *Hebdomadâ I. Adventûs.*

2. De Inſtitutione Miniſtrorum Eccleſiæ, & eorum dignitate: *Hebdom. II. Adventûs.*

3. De Ordinatione, & Ordinandis in genere, ubi & de Interſtitiis: *Hebdomadâ III. Adventûs.*

4. De Jejunio Quatuor anni Temporum: *in ſingulis Feriis IV. Quatuor Temporum.*

5. De Ordinandorum delectu, & precibus ad Deum fundendis ut digni ordinentur: *in ſingulis Feriis VI & Sabbat. Quatuor Temporum.*

6. De Sanctitate Cleri, & devocationis neceſſitate: *Hebdomadâ IV. Adventûs.*

7. De Clericatu; ubi & de Tonſurâ, & Clericorum comâ, habitu & cultu. *à 26 Decembris, ad 6. Januarii.*

8. De Sacramento Matrimonii: *à 7 Januarii, ad Dominicam II. poſt Epiphaniam.*

9. De Ordinibus in ſpecie: *à Dominica II. poſt Epiphaniam, ad Dominicam IV.*

10. De Virtutibus quibus pollere debent Clerici, ſeu Eccleſiæ Miniſtri, caſtitate, patientiâ, paupertate, zelo, prudentiâ, humilitate, &c: *à Dominica IV poſt Epiphaniam, ad Dominicam Septuageſimæ.*

11. De Vitiis à Clero fugiendis; ubì de avaritia, ebrietate & cauponâ, frequentatione mulierum, venatione, ſpectaculis, ludis, &c. *à Dominica Septuageſimæ, ad Feriam IV. Cinerum.*

In hac ſerie non comprehenduntur Feſta & Solemnitates quæ proprios habent Canones, ratione peculiaris ritûs, aut diſciplinæ prædictis Solemnitatibus congruentis.

PRECES ANTE OFFICIUM.

APeri, Dómine, os meum ad benedicendum nomen ſanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, perverſis & aliénis cogitatiónibus: intellectum illúmina, affectum inflamma, ut dignè, attentè & devótè, hoc Officium recitáre váleam, & exaudíri mérear ante conſpectum divínæ majeſtátis tuæ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

DOmine Jeſu Chriſte, in unióne illíus divínæ intentiónis quâ ipſe in terris laudes Deo Patri perſolviſti, has tibi Horas perſólvere intendo.

PRECES POST OFFICIUM.

[*Orationem ſequentem piè poſt Officium recitantibus, Leo, Papa decimus, defectus & culpas in eo perſolvendo ex humana fragilitate contractas indulſit*].

SAcro-ſanctæ & indivíduæ Trinitáti, Crucifixi Dómini noſtri Jeſu Chriſti humanitáti, beatiſſimæ, & gloriosíſſimæ, ſempérque Vírginis Maríæ fœcundæ integritáti, & ómnium Sanctórum univerſitáti, ſit ſempiterna laus, honor, virtus & glória ab omni creatúrá, nobíſque remíſſio ómnium peccatórum, per infiníta ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

℣. Beáta víſcera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt æterni Patris Fílium;

℟. Et beáta úbera quæ lactavérunt Chriſtum Dóminum.

Pater. Ave.

TABULA

Romæ edita, Typis Rever. Cameræ Apoſtolicæ, & ad Horas Horologii Gallici accommodata.

DE HORA quâ poteſt inchoari pro die ſequenti Matutinum Officium à privatìm recitantibus.

10	Januarii,	horâ ſecundâ cum quadrante.
13	Februarii,	horâ ſeſqui-ſecundâ.
1	Martii,	horâ ſecundâ cum tribus quadrant.
18	Martii,	horâ tertiâ.
4	Aprilis,	horâ tertiâ cum quadrante.
20	Aprilis,	horâ ſeſqui-tertiâ.
10	Maii,	horâ tertiâ cum tribus quadrant.
8	Junii,	horâ quartâ.
30	Julii,	horâ tertiâ cum tribus quadrant.
28	Auguſti,	horâ ſeſqui-tertiâ.
7	Septembris,	horâ tertiâ cum quadrante.
24	Septembris,	horâ tertiâ.
13	Octobris,	horâ ſecundâ cum tribus quadrant.
20	Octobris,	horâ ſeſqui-ſecundâ.
18	Novembris,	horâ ſecundâ cum quadrante.
15	Decembris,	horâ ſecundâ.

PSALTERIUM
DISPOSITUM
PER HEBDOMADAM.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum dicitur ſecretò :

PAter noſter, qui es in cœlis : ſanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuum : fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra : panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie : & dimitte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris : & ne nos indúcas in tentatiónem ; ſed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena ; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli & terræ : & in Jeſum Chriſtum Fílium ejus únicum, Dóminum noſtrum : qui conceptus eſt de Spíritu ſancto, natus ex María Vírgine : paſſus ſub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus & ſepultus : deſcendit ad ínferos ; tértiâ die reſurrexit à mórtuis : aſcendit ad cœlos ; ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórum, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur :

DOmine, lábia mea apéries ; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Pſ.* 50.

℣. Deus, in adjutórium meum intende ; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Pſ.* 69.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto ; ſicut

erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſǽcula ſeculórum. Amen. Allelúia.

[*A Septuageſima ad Paſcha loco* Allelúia *d[i]tur:* Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.]

Et ſic deinceps ad quamlibet Horam.

In Dominicis per annum, Invitat. Hymn. Ant. ℣℣. *&c. prout hìc habentur: & ſic in toto Officio.*

Invitatorium. Dóminum Deum noſtrum, * Veníte, adorémus.

Pſalmus 94.

Veníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo ſalutári noſtro. Præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Dóminum Deum noſtrum, * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes Deos: quóniam non repellet Dóminus plebem ſuam: quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit.

* Veníte, adorémus.

Quóniam ipſíus eſt mare, & ipſe fecit illud; & áridam fundavérunt manus ejus. Veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter, nos autem pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Dóminum Deum noſtrum, * Veníte, adorémus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne, ſecundũ diem tentatiónis in deſerto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

* Veníte, adorémus.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipſi verò non cognovérunt vias meas; quibus jurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Dóminum Deum noſtrum, * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſǽcula ſeculórum. Amen.

* Veníte, adorémus.

Dóminum Deum noſtrum, * Veníte, adorémus.

Hymnus.

Adite templa ſúpplices;
Huc feſta vos dies vocat,
Quam tot Deus miráculis
Mundo verendam réddidit.

Æternus hâc die Pater
Orbem volendo cóndidit:
Hinc nata primùm témpora
Curſu perenni prófluunt.

Qui ſponte mortem pértulit
Chriſtus, revixit hâc die:
Hinc noſtra firmátur fides,
Et certa vitæ ſpes manet.

Hæc ipſa lux lapſum polo
Te vidit, alme Spíritus,
Micante flammâ, grátiæ
Mundo ferentem múnera.

O ſempiterna Trínitas,
Quam víndicas diem tibi,
Fac tota ſit ſemper tui
Cultu ſacráta Núminis.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. Non eſt ſanctus.

*In Pſalmis & Canticis aſteriſcus hic * notat mediationem & pauſam.*

Pſalmus 1.

Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit:

Sed in lege Dómini voluntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum eſt ſecùs decurſus aquárum; * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo;

Et fólium ejus non défluet; * & ómnia quæcumque fáciet, proſperabuntur.

Non ſic ímpii, non ſic: * ſed tanquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non reſurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio juſtórum.

Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Filio, * & Spirítui ſancto;

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſécula ſeculórum. Amen.

Hi ℣℣. Glória *&* Sicut erat, *dicuntur in fine Pſalmorum, Diviſionum & Canticorum, niſi aliter notetur.*

Pſalmus 2.

Quare fremuérunt gentes; * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, * adversùs Dóminum & adversùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos; * & Dó-

minus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua ; * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu ; ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam ; * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam, nequando iraſcátur Dóminus, * & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Pſalmus 3.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me ? * multi inſurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſceptor meus es ; * glória mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum ; * & exurrexi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me : * exurge, Dómine ; ſalvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa, * dentes peccatórum contriviſti.

Dómini eſt ſalus ; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Non eſt ſanctus ut eſt Dóminus : & non eſt fortis ſicut Deus noſter. *I. Reg.* 2.

℣. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta : ℟. Et benedícite Dóminum. *Pſ.* 133.

Poſt Verſiculum cujuſlibet Nocturni dicitur ſecretò Pater noſter, &c.

Altâ voce, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Abſolutiones & Benedictiones habentur poſt Pſalterium.

Lectiones cum Reſponſoriis habentur in Proprio vel Temporis, vel Sanctorum.

Quæ omnia obſervantur in ſingulis Nocturnis, niſi aliter notetur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. Magnus.

Pſalmus 17.

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meũ, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * & ſperábo in eum.

Protector meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum, * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis; * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me; * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam; * & clamor meus in conſpectu ejus introívit in aures ejus.

Commóta eſt & contrémuit terra: * fundamenta móntium conturbáta ſunt, & commóta ſunt, quóniam irátus eſt eis.

Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exarſit: * carbónes ſuccenſi ſunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & deſcendit: * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcendit ſuper Chérubim, & volávit: * volávit ſuper pennas ventórum.

Et póſuit ténebras latíbulum ſuum: in circúitu ejus tabernáculum ejus; * tenebróſa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conſpectu ejus nubes tranſiérunt: * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: * grando & carbónes ignis.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta ſunt fundamenta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Diviſio Pſalmi 17.

MIſit de ſummo [Dóminus,] & accépit me, * & aſſumpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die

affliĉtiónis meæ ; * & factus eſt Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem : * ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecundùm juſtítiam meam ; * & ſecundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpectu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecundùm juſtítiam meam, * & ſecundùm puritátem mánuum meárum in conſpectu oculórum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocente innocens eris.

Et cum electo electus eris, * & cum perverſo pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine : * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne : * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Altera diviſio Pſ. 17.

DEus meus, impollúta via ejus ; elóquia Dómini igne examináta : * protector eſt ómnium ſperántium in ſe.

Quóniam quis Deus præter Dóminum ? * aut quis Deus præter Deum noſtrum ?

Deus qui præcinxit me virtúte, * & póſuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * & ſuper excelſa ſtátuens me.

Qui docet manus meas ad prælium : * & poſuiſti ut arcum æreum bráchia mea.

Et dediſti mihi protectiónem ſalútis tuæ ; * & déxtera tua ſuſcépit me.

Et diſciplína tua correxit me in finem, * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilataſti greſſus meos ſubtùs me, * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehendam illos, * & non convertar donec defíciant.

Confringam illos, nec póterunt ſtare : * cadent ſubtùs pedes meos.

Et præcinxiſti me virtúte ad bellum, * & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtùs me.

Et inimícos meos dediſti mihi dorſum, * & odiéntes me diſperdidiſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt mihi: * fílii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à ſémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes regis ejus, & fáciens miſericórdiam Chriſto ſuo David, * & ſémini ejus uſque in ſéculum.

Ant. Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. *Pſal.* 146.

℣. Médiâ nocte ſurgébam ad confitendum tibi, Dómine, ℟. Super judícia juſtificatiónis tuæ. *Pſ.* 118.

Pater noſter.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. Dícite Deo.

Pſalmus 17.

AD te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne ſíleas à me; * nequando táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecundùm ópera eórum, * & ſecundùm nequítiam adinventiónum ipſórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; *

quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus & protéctor meus : * in ipſo ſperávit cor meum ; & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea ; * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis ſuæ, * & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ : * & rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

Pſalmus 29.

EXaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepiſti me ; * nec delectaſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & ſanaſti me.

Dómine, eduxiſti ab inferno ánimam meam : * ſalvaſti me à deſcendéntibus in lacum.

Pſállite Dómino, ſancti ejus, * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad veſperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua, * præſtitiſti decóri meo virtútem.

Avertiſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in ſánguine meo, * dum deſcendo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, & miſertus eſt meî : * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertiſti planctum meum in gaúdium mihi : * conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætítiâ ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar : * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Pſalmus 65.

JUbiláte Deo, omnis terra, pſalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómine ! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi : * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei : * terríbilis in conſíliis ſuper fílios hóminum.

Qui convertit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipſo.

Qui dominátur in virtúte ſua in æternum; óculi ejus ſuper gentes reſpíciunt: * qui exáſperant, non exaltentur in ſemetipſis.

Benedícite, gentes, Deum noſtrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui póſuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probaſti nos, Deus, igne nos examinaſti, * ſicut examinátur argentum.

Induxiſti nos in láqueum, poſuiſti tribulatiónes in dorſo noſtro: * impoſuiſti hómines ſuper cápita noſtra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxiſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocauſtis: * reddam tibi vota mea, quæ diſtinxérunt lábia mea;

Et locútum eſt os meum * in tribulatióne mea.

Holocauſta medulláta ófferam tibi cum incenſo aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamávi, * & exaltávi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpexi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit Deus, * & attendit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Ant. Dícite Deo: Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómine!

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; ℟. Et cuſtodívi legem tuam. *Pſ.* 118.

Pater noſter.

Poſt nonam Lectionem dicitur Te Deum, *ſi dicendum ſit.*

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli & univerſæ poteſtátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſſábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus,

Dóminus * Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia,

Patrem * immenſæ majeſtátis;

Venerandum tuum verum * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte.

Tu Patris * ſempiternus es Fílius.

Tu ad liberandum ſuſceptúrus hóminem, * non horruiſti Vírginis úterum.

Tu, devicto mortis acúleo, * aperuiſti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo ſánguine redemiſti.

Æternâ fac * cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extolle illos uſque in æternum.

Per ſingulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in ſéculum, * & in ſéculum ſéculi.

Dignáre, Dómine, die iſto * ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtrî, Dómine; * miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodùm ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confundar in æternum.

[*Si Laudes non ſequuntur continuò, hìc dicitur* Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo. Orémus. *Deinde Oratio propria cum integra concluſione : ac poſteà iterùm,* ℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tum ſubmiſsâ voce, Fidélium animæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

Ac tandem, Pater noſter *ſecretò.*]

AD LAUDES.

Si ſeparentur ab Officio Nocturno, antè dicuntur ſecretò Pater *&* Ave, *& ſic in aliis diebus.*

Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Pſ. 69.*

Glória Patri, &c.

Ant. 8. Deus.

Pſalmus 62.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multipliciter tibi caro mea!

In terra deſerta, & ínvia, & inaquóſa, * ſic in ſancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea; * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuiſti adjútor meus.

Et in velamento alárum tuárum exultábo: adhæſit ánima mea poſt te; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam: introíbunt in inferióra terræ: * tradentur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obſtrúctum eſt os loquéntium iníqua.

Ant. Deus, in ſancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Ant. 1. Mirábilis.

Pſalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt: * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc: * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine; * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Mirábilis in altis Dóminus: teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis.

Ant. 5. Servíte.

Pſalmus 99.

JUbiláte Deo, omnis terra: * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dómi-

nus ipſe eſt Deus; * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus, * introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus: in æternum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Servíte Dómino in lætítia; ſcitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus.

[*Canticum ſequens ſemper dicitur in Dominicis per Annum.*

Tempore autem Adventûs, & à. Circumciſione Domini ad Octavam Epiphaniæ incluſivè, habentur Cantica in Proprio Temporis.]

Ant. 4. Benedictus es.

Cant. trium Puteror. Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino, * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino: * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univerſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: *benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Míſael, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Hic, loco Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem & Fílium cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli; * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula.

Ant. Benedictus es, Dómine, in throno regni tui, & ſuperlaudábilis & ſuperexaltátus in ſécula.

Ant. 7. Laudáte.

Pſalmus 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. Apoc. 7.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro in ſécula ſeculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Sic reſpondetur in fine omnium Capitulorum.

Hymnus.

LAUDATE, quem Cœli colunt:
Quem, turba ſupplex, Angeli
Prono ſalútant vértice;
Laudáte, mortáles, Deum.

HIC vos levi de púlvere
Alit creátos, & regit:
Hic cuncta nutu cóndidit,
Et cuncta nutu ſúſtinet.

QUÆ finxit error ímpius,
Gentes colunt ludíbria:
Aſt unus eſt nobis Deus,
Quem ſumma laus unum decet.

NOMEN verendi Núminis
Laudáre ſit ſolus labor:
Nec ora ceſſent débitas
Grates canendo ſólvere.

Sic gens beáta Cœlitum
Optáta guſtat ótia;
Deóque plena dúlcibus
Reſolvit ora cánticis.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118.

Ad Benedictus, *Antiphona habetur in Proprio.*

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

Benedictus Dóminus Deus Iſraël; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et erexit cornu ſalútis nobis * in domo David púeri ſui:

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſéculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciendam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtamenti ſui ſancti:

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi.

In ſanctitáte & juſtitia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Antiph. & Oratio ut in Proprio.

Si qua Commemoratio occurrit, fit ſtatim poſt Orationem diei, per Antiphonam, Verſiculum & Orationem, ut notatur in Proprio.

Poſt Commemorationem, aut, ſi plures ſint, poſt ultimam dicitur:

Dóminus vobiſcum;
℟. Et cum ſpíritu tuo.
Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Tum, niſi ſubjungatur aliud Officium, dicitur ſecretò:

Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace.
℟. Amen.

Deinde, Pater noſter.

Poſteà, etiam extra Chor

rum, Antiphona de Beata, pro tempore, ut habetur ad calcem Pſalterii : ac tandem : Divínum auxílium máneat ſemper nobiſcum.

℟. Amen.

AD PRIMAM.

Pater, Ave, Credo, *ſecretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAM lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Præſens benigno lúmine
Noſtros ut actus dírigat.

Nil lingua peccet, nil manus;
Nil mens ináne cógitet.
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Chriſte, ſis cuſtos vigil.
Da mente ſcire, quod doces;
Da corde, quod jubes, ſequi.

Tu ſpes ſalútis; áctuum
Tu finis & primórdium.
Te, proſequámur, aúſpice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 1. Deus meus.

Pſalmus 117.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſrael, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum; * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor, * & ego deſpíciam inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarſérunt ſicut ignis in ſpinis; * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Impulſus, everſus ſum ut cáderem, * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; * & fa-

ctus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis * in tabernáculis juſtórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me ; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam, * & narrábo ópera Dómini.

Caſtígans caſtigávit me Dóminus : * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ ; ingreſſus in eas, confitébor Dómino : * hæc porta Dómini ; juſti intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudiſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus ; * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac : ô Dómine, benè proſperáre : * benedictus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, & illuxit nobis.

Conſtitúite diem ſolemnem in condenſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi ; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudiſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Pſalmus 118.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutantur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandaſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad cuſtodiendas juſtificatiónes tuas !

Tunc non confundar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quod dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam ; * non me derelinquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam ? * in cuſtodiendo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te ; * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcondi elóquia tua ; * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor: * non obliviſcar ſermónes tuos.

Diviſio Pſalmi 118.

Retríbue ſervo tuo, vivífica me, * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra, * non abſcondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpaſti ſuperbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contemptum, * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & adversùm me loquebantur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt., * & conſílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit pavimento ánima mea, * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudiſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilataſti cor meum.

Sequens Symbolum dicitur, quando ſit Officium de Dominica, niſi aliter notetur.

Quicumque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem:

Quam niſi quiſque íntegram inviolatamque ſerváverit, * abſque dúbio in æternum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitáte, * & Trinitá-

tem in Unitáte venerémur:

Neque confundentes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparantes.

Alia enim eſt perſóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti, una eſt divínitas, * æquális glória, coætérna majeſtas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Fílius, * immenſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres ætérni, * ſed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres immenſi, * ſed unus increátus, & unus immenſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres Dii, * ſed unus eſt Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres Dómini, * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquamque perſónam Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ veritáte compéllimur; * ita tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Fílius, non tres Fílii; * unus Spíritus ſanctus, non tres Spíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus; * ſed totæ tres perſónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneranda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, * ita de Trinitáte ſéntiat.

Sed neceſſárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut In-

carnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur,* quia Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Patris ante ſécula génitus, * & homo eſt ex ſubſtántia matris in ſéculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, * ex ánima rationáli & humána carne ſubſiſtens.

Æquális Patri ſecundùm divinitátem; * minor Patre ſecundùm humanitátem.

Qui licèt Deus ſit & homo, * non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in carnem, * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omninò non confuſióne ſubſtántiæ, * ſed unitáte perſónæ.

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo, * ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtrâ, deſcendit ad ínferos; * tértiâ die reſurrexit à mórtuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis; * inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus adventum omnes hómines reſúrgere habent cum corpóribus ſuis: * & redditúri ſunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides cathólica, * quam niſi quiſque fidéliter firmitérque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

Glória Patri.

Ant. Deus meus es tu, & confitébor tibi; Deus meus es tu, & exaltábo te. *Pſ.* 117.

Capitulum I. Tim. I.

Regi ſeculórum immortáli, invisíbili, ſoli Deo, honor & glória in ſécula ſeculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris, [*hic Verſus quandoquè mutandus eſt, ut notatur in propriis locis.*] * Miſerére nobis. Glória Patri, & Filio, & Spirítui ſancto. *Repetitur*: Chriſte, Fili Dei vivi, miſerére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* I.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43.

℣. Dóminus vobiſcum ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire feciſti, tuâ nos hódiè ſalva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciendam noſtra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

Primò legitur Martyrologium, in cujus fine reſpondetur Deo grátias: *& ſtatim Hebdomadarius dicit altâ voce:*

℣. Pretióſa in conſpectû Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115.

Et abſolutè ſine Dóminus vobiſcum, *& ſine* Orémus.

SAncta María & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári & ſalvári, qui vivit & regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Poſteà dicitur, ℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Pſ.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína.

Deinde Glória Patri, &c. Sicut erat, &c.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Tum ſecretò*, Pater noſter. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum; ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódiè corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc & in æternum, te auxiliante, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas

gnas in ſǽcula ſæculórum. ℟. Amen.

Lector, verſus ad Celebrantem petit benedictionem, dicens: Jube, Domne, benedícere. *Benedictio:* Bonitátem, & diſciplínã, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſal.* 118. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis qui quâlibet die varius legitur, & habetur in Proprio, in cujus fine dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî. *Chorus reſpondet:* Deo grátias.

Abſoluto Canone, Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini: ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123.

Submiſſiori voce dicit: Benedícite. ℟. Deus.

Hebdom. Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem: fáciens in nobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum cui eſt glória in ſǽcula ſæculórum. *Heb.* 13. ℟. Amen.

Poſt quamlibet Horam, ſi aliud non ſequitur Officium, dicitur ſecretò: Fidélium ánimæ, &c. *Deinde* Pater noſter.

AD TERTIAM.

Si ſeparetur ab Officio præcedenti, dicuntur ſecretò Pater *&* Ave, *& ſic ante alias Horas.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus;
O dulce lumen méntium,
Sacras refúſus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac ſancta jungant víncula.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 6. Miſericórdiâ.

Ex Pſalmo 118.

Legem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intellectum, & ſcrutábor legem tuam; * & cuſtódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum; * quia ipſam vólui.

Inclína cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Averte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquiũ tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meũ quod ſuſpicátus ſum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine ; * ſalutáre tuum ſecundùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum ; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque ; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuã ſemper, * in ſéculum & in ſéculum ſéculi.

Et ambulábam in latitúdine ; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpectu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

Diviſio Pſalmi 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Superbi iníquè agébant uſquequáque : * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſéculo, Dómine, * & conſolátus ſum.

Defféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi, * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo : * miſerére meî ſecundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & converti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi ſunt me ; * & legem tuam non ſum oblítus.

Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi, * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómnium timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra : *

juſtificatiónes tuas doce me.

Altera diviſio Pſalmi 118.

BOnitátem feciſti cum ſervo tuo, Dómine, * ſecundùm verbum tuum.

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam doce me, * quia mandátis tuis crédidi.

Priuſquàm humiliárer, ego delíqui: * proptéreà elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu, * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas ſuperbórũ: * ego autem in toto corde meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eórum: * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliaſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * ſuper míllia auri & argenti.

Manus tuæ fecérunt me & plaſmavérunt me: * da mihi intellectum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me & lætabuntur, * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliaſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * ſecundùm elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam, * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundantur ſuperbi, quia injuſtè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra.

Capitulum. 1. *Paral.* 16.

DAte Dómino glóriam nómini ejus, & adoráte Dóminum in decóre ſancto.

℟. *breve.* Magnus Dóminus, * Et laudábilis nimis. ℣. Et magnitúdinis ejus non eſt finis. * Et laudábilis nimis. Glória Patri. ℟. Magnus. *Pſ.* 144.

℣. Exultáte Deo in inſigni die ſolemnitátis veſtræ; ℟. Quia præceptum in Iſraël eſt. *Pſ.* 80.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAm ſolis áureum jubar
Pleno coruſcat lúmine:
O vera, Chriſte, cláritas,
Noſtris refulge ſénſibus.
O dux ſalútis & via,

O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perennis gaúdia.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 2. Fac cum ſervo tuo.

Ex Pſalmo 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes: Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína, * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes,* ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulò minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundaſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies,* quóniam ómnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periiſſem in humilitáte mea.

In æternum non obliviſcar juſtificatiónes tuas, * quia in ipſis vivificaſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac; * quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * teſtimónia tua intellexi.

Omnis conſummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

Diviſio Pſalmi 118.

QUómodò dilexi legé tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudentem me feciſti mandáto tuo, * quia in æternum mihi eſt.

Super omnes docentes me intellexi,* quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem poſuiſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi, & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine; * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in æternum, * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas juſtificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

Altera diviſio Pſalmi 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam dilexi.

Adjútor & ſuſceptor meus es tu, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me, maligni; * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecundùm elóquium tuum, & vivam, * & non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero, * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Spreviſti omnes diſcedentes à judíciis tuis; * quia injuſta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ; * ideò dilexi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiam, * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſuperbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intellectum ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * diſſipavérunt legem tuam.

Ideò dilexi mandáta tua * ſuper aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar; *

omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericórdiam tuam, Dómine.

Capitulum 1. Paral. 29.

TUa eſt, Dómine, magnificéntia & poténtia; tua eſt glória: tu domináris ómnium; in manu tua magnitúdo & impérium ómnium.

℟. *breve.* Dómine Deus meus, * Magnificátus es vehementer. ℣. Confeſſiónem & decórem induiſti. * Magnificátus es vehementer. Glória Patri. ℟. Dómine Deus. *Pſ.* 103.

℣. Afferte Dómino glóriam & honórem; ℟. Afferte Dómino glóriam nómini ejus. *Pſ.* 95.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

REcédit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus ſupernam júgiter
Suſpíret ardor pátriam.

DA, Chriſte, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui:
Fac, lucis uſúræ brevi
Ætεrna ſuccédat dies.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Ant. 4. E. Appropínquet.

Ex Pſalmo 118.

MIrabília teſtimónia tua; * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attraxi ſpíritum; * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî, * ſecundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Greſſus meos dírige ſecundùm elóquium tuum; * & non dominétur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

Juſtus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandaſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus, * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego & contemptus: * juſtifica-

tiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtítia tua juſtítia in ætemum ; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætemum ; * intelléctum da mihi, & vivam.

Diviſio Pſalmi 118.

CLamávi in toto corde meo, exaudi me, Dómine ; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi ; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecundùm miſericórdiam tuam, Dómine ; * & ſecundùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequentes me iniquitáti ; * à lege autem tua longè facti ſunt.

Propè es tu, Dómine ; * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis ; * quia in ætemum fundaſti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me ; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me : * propter elóquium tuũ vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus ; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ, multæ, Dómine ; * ſecundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequuntur me, & tríbulant me : * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricantes, & tabeſcébam ; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine : * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas : * in ætemum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

Altera diviſio Pſalmi 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratis ; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui & abominátus ſum ; * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi tibi * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuum, Dómine ; * & mandáta tua dilexi.

Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, * & dilexit ea vehementer.

Servávi mandáta tua & teſtimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conſpectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret poſtulátio mea in conſpectu tuo: * ſecundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me juſtificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquiũ tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut ſalvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi ſalutáre tuũ, Dómine; * & lex tua meditátio mea eſt.

Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi ſicut ovis quæ périit: * quære ſervum tuum, quia mandáta tua non ſum oblítus.

Ant. Appropinquet deprecátio mea in conſpectu tuo, Dómine.

Capitulum. Apoc. 5.

SEdenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & poteſtas in ſécula ſeculórum.

℟. *breve*, Exaltáre * Super cœlos, Deus. ℣. Et ſuper omnem terram glória tua. * Super cœlos, Deus. Glória Patri. ℟. Exaltáre. *Pſ.* 107.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus. *Pſ.* 102.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutórium, &c.

Ant. 7. c. Dixit Dóminus.

Pſalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis;

Donec ponam inimícos tuos * ſcabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion; * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum; * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis.

Ant. 4. d. Fidélia.

Pſalmus 110.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio juſtórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquiſíta in omnes voluntátes ejus.

Confeſſio & magnificéntia opus ejus ; * & juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum miſéricors & miſerátor : Dóminus : * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in ſéculum teſtamenti ſui : * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo ;

Ut det illis hæreditátem géntium, * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in ſéculum ſéculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo : * mandávit in æternum teſtamentum ſuũ.

Sanctum & terríbile nomen ejus : * inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in ſéculum ſéculi.

Ant. Fidélia ómnia m[andáta] ejus, confirmát[a in] ſéculum ſéculi.

Ant. 1. f. Qui ti[met] Dóminum.

Pſalmus 111.

Beátus vir qui timet [Dó]minum ; * in man[dá]tis ejus volet nimis.

Potens in terra erit [se]men ejus, * generátio [re]ctórum benedicétur.

Glória & divítiæ in [do]mo ejus, * & juſtítia [ejus] manet in ſéculum ſé[culi].

Exortum eſt in tén[ebris] lumen rectis : * miſéri[cors] & miſerátor, & juſtus.

Jucundus homo qui [mi]ſerétur & cómmodat : [dis]pónet ſermónes ſuos i[n ju]dício ; * quia in ætern[um] non commovébitur.

In memória æterna [erit] juſtus : * ab audit[ione] mala non timébit.

Parátum cor ejus [spe]ráre in Dómino : co[nfir]mátum eſt cor ejus ; * [non] commovébitur donec [de]ſpíciat inimícos ſuos.

Diſperſit, dedit pa[upe]ribus : juſtítia ejus m[anet] in ſéculum ſéculi ; * c[ornu] ejus exaltábitur in gl[oria].

Peccátor vidébit & [ira]ſcétur ; déntibus ſuis [fre]met & tabeſcet : * de[side]rium peccatórum per[ibit].

Ant. Qui timet D[ómi]num, in mandátis eju[s vo]let nimis.

Ant. 7. ç. Sit nomen Dómini.

Pſalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus; * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens paúperem,

Ut cóllocet eum cum príncipibus, * cum príncipibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum, ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Ant. 1. A. Nos qui vívimus.

Pſalmus 113.

IN éxitu Iſraël de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro;

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus, * Iſraël poteſtas ejus.

Mare vidit & fugit: * Jordánis converſus eſt retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles ſicut agni óvium.

Quid èſt tibi, mare, quòd fugiſti; * & tu Jordánis, quia converſus es retrorsùm?

Montes, exultaſtis ſicut aríetes, * & colles, ſicut agni óvium?

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob.

Qui convertit petram in ſtagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * ſed nómini tuo da glóriam,

Super miſericórdia tua & veritáte tua; * nequándo dicant gentes: Ubi eſt Deus eórum?

Deus autem noſter in cœlo: * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non aúdient; * nares habent, & non odorábunt:

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſraël ſperávit in Dómino : * adjútor eórum & protector eórum eſt.

Domus Aaron ſperávit in Dómino : * adjútor eórum & protector eórum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino ; * adjútor eórum & protector eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtrî, * & benedixit nobis.

Benedixit dómui Iſrael,* benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum , * puſillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus ſuper vos, * ſuper vos & ſuper filios veſtros.

Benedicti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit filiis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui deſcendunt in infernum :

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. Epheſ. I.

BEnedictus Deus, & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto, ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpectu ejus in caritáte.

Hymnus.

LUcis Creátor óptime,
Ter ſancte, ter potens Deus,
Qui purus, immutábilis,
Fons ſanctitátis pérmanes :

Nos qui tuum genus ſumus,
Nos, ô Pater, quos núminis
Imáginem tui vocas,
Quàm pura nos virtus decet !

Tu ſemper aſtas méntibus
Teſtis vigil ; tu péctoris
Scrutans receſſus íntimos,
Arcána præſens áſpicis.

Noſtras, benigne Cónditor,
Mentes ſubi, ſenſus rege ;
Omnémque labem críminis
Accenſa mundet cáritas.

Sic digna conſpectus tuos
Mens ferre, quondam triſtibus
Vinclis ſolúta córporis,
Tuo quieſcet in ſinu.

Æterne tu Verbi Pater ;
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus; ℟. Et ſuper cœlos glória ejus. *Pſ.* 112.

Ad Magníficat *Antiphona ut in Proprio.*

Canticum. B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum,

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo;

Quia reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

Quia fecit mihi magna qui potens eſt; * & ſanctum nomen ejus:

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depóſuit potentes de ſede, * & exaltávit húmiles.

Eſurientes implévit bonis, * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſrael púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ;

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham & ſémini ejus in ſécula.

Deinde dicuntur Antiphona & Oratio convenientes.

Poſteà Commemoratio, ſi qua occurrit, fit hoc loco; & ſic in ſequentibus Feriis.

Si Completorium non ſequitur, ſubmiſsâ voce dicuntur Fidélium ánimæ, &c. *denique* Pater.

AD COMPLETORIUM.

Pater, Ave. *ſecretò.*

COnverte nos, Deus ſalutáris noſter; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84.

Deus, in adjutórium, &c.

Ant. 8. g. In pace. *niſi aliter notetur.*

Pſalmus 4.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ: * in tribulatióne dilataſti mihi.

Miſerére meî,* & exaudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quærítis mendácium?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum: * Dóminus exaúdiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino: * multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine: * dediſti lætítiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini & ólei ſui * multiplicáti ſunt.

In pace in idipſum * dórmiam & requieſcam.

Quóniam tu, Dómine, ſinguláriter in ſpe * conſtituíſti me.

Pſalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíſſimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suſceptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, ſperábo in eum.

Quóniam ipſe liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áſpero.

Scápulis ſuis obumbrábit tibi; * & ſub pennis ejus ſperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno,

A ſagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris, * ab incurſu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis conſiderábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, ſpes mea: * Altíſſimum poſuiſti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum; * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis ſuis mandávit de te, * ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne forte offendas ad lápidem pedem tuum.

Super áſpidem & baſilíſcum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me ſperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum: * cum ipſo ſum in tribulatióne; erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & oſtendam illi ſalutáre meum.

Pſalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes ſervi Dómini;

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. In pace in idipſum dórmiam & requieſcam.

In Adventu. Hymnus.

IN noctis umbra déſides
Dum ſomnus artus óccupat,

Ad te, Redemptor, júgibus
Cor éxcubat ſuſpíriis.

Verbum Dei, ſplendor Patris,
Deſideráte géntibus,
Novi miniſter fœderis,
Mundo jacenti náſcere.

Nox atra terris íncubat,
Incumbit horror críminum;
Prodi ſalúbre méntibus
Parentis è ſinu jubar.

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

A Nativitate Domini ad ejus Præſentationem incluſ.

Hymnus.

Mundi ſalus qui náſceris,
Jeſu puer, nos réſpice.
Tu vita noſtra per diem,
Sis tuta per noctem quies.

Candor paterni lúminis,
Seréna ſis lux méntium.
Matris recumbens in ſinu,
Noſtris quieſce córdibus.

Enixa quæ Virgo Deum,
Aliſque mater úbere,
Amóre quo tu díligis,
Fac diligámus Fílium.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

A Præſentatione Domini uſque ad Feriam IV. Cinerum excluſivè,

Hymnus.

Deus Creátor ómnium,
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces
Proni tibi perſólvimus.

Quod longa peccávit dies
Nocturnus éxpiet dolor;
Nec per ſopórem nos ſinas
Hoſtis patére fraúdibus.

Infestus uſque círcuit,
Quærens leo quem dévoret;
Umbrántibus tuos, Pater,
Nátos ſub alis prótege.

O quando luceſcet tuus
Qui neſcit occáſum dies!
O quando te perénniter
Amábimus, laudábimus!

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Officiis de Beata, Virgo Dei génitrix, *ut in Officio B. M. V. in Sabbato.*

Capitulum 1. *Theſſ.* 5.

Omnes vos fílii lucis eſtis, & [illegible] diéi. Non ſumus noct[illegible]que ténebrárum: igitur non dormiámus ſicut & céteri; ſed vigilémus, & ſóbrii ſimus.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Comméndo ſpíritum meum. ℣. Redè

miſti me, Dómine Deus veritátis. * Commendo ſpíritum meum. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. ℟. In manus tuas, Dómine, * Commendo ſpíritum meum. *Pſ.* 30.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupillam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16.

Ad Nunc dimittis, *niſi aliter notetur in Proprio,*

Ant. 3. c. Salva nos.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimittis ſervum tuum, Dómine, * ſecundùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * ſalutáre tuum,

Quod paraſti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſraël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilantes; cuſtódi nos dormientes; ut vigilémus cum Chriſto, & requieſcámus in pace.

℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

VIſita, quæſumus, Dómine, habitatiónem noſtram, & omnes inſídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui ſancti hábitent in ea, qui nos in pace cuſtódiant; & benedíctio tua ſit ſuper nos ſemper; Per Dóminum noſtrum, &

℣. Dóminus vobiſcu

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dó no. ℟. Deo grátias.

Deinde ſubmiſſiori v dicitur: Grátia Dóm noſtri Jeſu Chriſti, & ritas Dei, & communi tio ſancti Spíritûs ſit c ómnibus nobis. 2. *Cor.*

℟. Amen.

Poſteà dicitur Antiph de B. M. V. pro tempo cum ℣. *& Orat. ut hab ad calcem Pſalterii.*

Finitâ Oratione, di

℣. Divínum auxílium neat ſemper nobiſcu

℟. Amen.

Deinde ſecretò, Pa Ave, Credo.

FERIA SECUN

AD MATUTIN

Pater, Ave, Cre

Dómine, lábia me

Deus, in adjutóriu

Invitat. Dóminu fecit cœlum & terr

Veníte, adorémus

Pſalmus Veníte.

Hymnus.

QUAM mira

Deus,

Paras amóris pig

Qui ſúfficis ſolus

Mundum creáre,

Tu magna cœl

Tu noctis umbra

Terræque tractu

Immenſus ipſe

miſti me, Dómine Deus veritátis. * Commendo ſpíritum meum. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. ℟. In manus tuas, Dómine, * Commendo ſpíritum meum. *Pſ.* 30.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupillam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16.

Ad Nunc dimittis, *niſi aliter notetur in Proprio,*

Ant. 3. c. Salva nos.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimittis ſervum tuum, Dómine, * ſecundùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei [illegible]

[illegible] fi-

[illegible]

Dóminum noſtrum, &c.

℣. Dóminus vobiſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde ſubmiſſiori voce dicitur: Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei, & communicátio ſancti Spíritûs ſit cum ómnibus nobis. 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Poſteà dicitur Antiphona de B. M. V. pro tempore, cum ℣. *& Orat. ut habetur ad calcem Pſalterii.*

Finitâ Oratione, dicitur ℣. Divínum auxílium máneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

Deinde ſecretò, Pater, Ave, Credo.

FERIA SECUNDA

[illegible]UTINUM.

[illegible], Credo.

[illegible] mea, &c.

[illegible]órium, &c.

[illegible]ominum qui [illegible] cœlum & terram, * Venite, adorémus: *Pſ.* 123.

Pſalmus Venite. *pag.* 2.

Hymnus.

QUAM mira nobis, ô Deus,
Paras amóris pígnora!
[illegible] ſolus tibi,
[illegible] cógitas.
[illegible]mina,
[illegible]dium,
[illegible] maris
[illegible]udines,

Ut tempus incœptum fluat,
Te velle, te loqui ſat eſt.
Virtus ab æterno latens
Expandet inclúſas opes.

Ubi merum ſubeſt nihil,
Creáre non tibi labor:
Quodcumque mente cóncipis,
Vis eſſe? Jam factum vides.

Extende ludens déxteram;
Te mundus oſtendat Deũ:
Jubentis ore pródeat
Opus ſuperbum quod moves.

Orbem potenter qui creas,
Tibi, Pater, cum Filio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſécula.
Amen.

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, dicuntur pro unico Nocturno novem Pſalmi ad unamquamque Feriam poſiti, ſub una duntaxat Antiphona poſt ſingulos tres Pſalmos. In Officiis autem novem Lectionum diſtribuuntur iidem Pſalmi in tres Nocturnos ſub Antiphonis tribus, vel novèm pro Officii qualitate: ſub Antiphonis tribus ſi Officium eſt ſimpliciter duplex; ſub novem, ſi Officium duplex eſt III. Claſſis, vel ſuprà. Porrò illæ Antiphonæ habentur vel in Proprio, vel in Communi.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. d. Dómine.

Pſalmus 8.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Quóniam elováta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & ſtellas quæ tu fundaſti:

Quid eſt homo, quòd memor es ejus; * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronaſti eum, * & conſtituiſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus: * oves & boves univerſas, inſuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Pſalmus 32.

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum eſt verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judícium : * miſericórdiâ Dómini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt ; * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris , * ponens in theſauris abyſſos.

Tímeat Dóminum omnis terra ; * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipſe dixit , & facta ſunt : * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Dóminus diſſipat consília géntium ; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 32.

BEáta gens , cujus eſt Dóminus Deus ejus ; * pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi.

De cœlo reſpexit Dóminus : * vidit omnes filios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo * reſpexit ſuper omnes qui hábitant terram.

Qui finxit ſingillátim corda eórum ; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem , * & gigas non ſalvábitur in multitúdine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem : * in abundántia autem virtútis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Dómini ſuper metuentes eum , * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus ;

Ut éruat à morte ánimas eórum , * & alat eos in fame.

Anima noſtra súſtinet Dóminum , * quóniam adjútor & protector noſter eſt.

Quia in eo lætábitur cor noſtrum , * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua , Dómine , ſuper nos ; * quemádmodùm ſperávimus in te.

Ant. Dómine , tu feciſti cœlum & terram , & quidquid cœli ámbitu continétur : Dóminus ómnium es. *Eſth.* 13.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Omnia.

Pſalmus 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam, * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum, * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei, * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pelicáno ſolitúdinis: * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ, * quia élevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt, * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Divíſio Pſalmi 101.

TU exurgens miſerébeｒis Sion, * quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miſerebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpexit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera, * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: * Dóminus de cœlo in terram aſpexit,

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut ſólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini; * & laudem ejus in Jeruſalem;

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut ſérviant Dómino.

Reſpondit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera diviſio Pſalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundaſti ; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt, tu autem pérmanes ; * & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur ; * tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt, * & ſemen eórum in ſéculum dirigétur.

Ant. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Joann.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Ex ipſo.

Pſalmus 103.

BEnedic, ánima mea, Dómino : * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confeſſiónem & decórem induiſti ; * amictus lúmine ſicut veſtimento.

Extendens cœlum ſicut pellem, * qui tegis aquis ſuperióra ejus.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum, * qui ámbulas ſuper pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos ſpíritus, * & miniſtros tuos ignem uréntem.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam : * non inclinábitur in ſéculum ſéculi.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus : * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient ; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Diviſio Pſalmi 103.

AScendunt montes, & deſcendunt campi, * in locum quem fundaſti eis.

Términum poſuiſti quem non tranſgredientur, * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertranſíbunt aquæ.

Potábunt omnes béſtiæ agri, * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt, * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis : * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra ;

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum ;

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Líbani quas

plantávit : * illic páſſeres nidificábunt.

Heródii domus dux eſt eórum ; * montes excelſi cervis, petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuiſti ténebras, & facta eſt nox : * in ipſa pertransíbunt omnes béſtiæ ſilvæ ;

Cátuli leónum rugientes ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt, * & in cubílibus ſuis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus ſuum, * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperum.

Altera diviſio Pſalmi 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine ! ómnia in ſapiéntia fecisti : * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum & ſpatióſum mánibus : * illic reptília quorum non eſt númerus.

Animália puſilla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei ; * ómnia à te expectant, ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis, cólligent ; * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

Avertente autem te fáciem, turbabuntur ; * áuferes ſpíritum eórum, & defícient, & in púlverem ſuum revertentur.

Emittes ſpíritum tuum, & creabuntur, * & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in ſéculum : * lætábitur Dóminus in opéribus ſuis.

Qui réſpicit terram, & facit eam trémere ; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea ; * pſallam Deo meo quámdiu ſum.

Jucundum ſit ei elóquium meum : * ego veró delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non ſint : * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt ómnia : ipſi glória in ſécula, *Rom.* 11.

℣. Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus ; ℟. Et ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. *Pſ.* 146.

Pater noſter, *ſecretò.*

Benedictiones, ut ordinantur poſt Pſalterium.

Lectiones cum ℟ ℟ ℟. *ut in Proprio Temporis, & ſic in ſequentibus Feriis.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis.*

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 5. a. Fecit terram.

Pſalmus 18.

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole pósuit tabernáculum ſuum; * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus,

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: * nec eſt qui ſe abſcondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiâ præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſéculum ſéculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetipſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum, * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus * & redemptor meus.

Pſalmus 135.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna ſolus; * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Qui fecit cœlos in intellectu; * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Qui firmávit terram ſuper aquas; * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna; * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Solem in poteſtátem diéi; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Lunam & ſtellas in poteſtátem noctis; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Diviſio Pſalmi 135.

[Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.]

Qui percuſſit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Qui eduxit Iſrael de médio eórum, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

In manu potenti & bráchio excelſo, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Qui divíſit mare rubrum in diviſiónes; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Et eduxit Iſraël per médium ejus; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Et excuſſit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Qui traduxit pópulum ſuum per deſertum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Qui percuſſit reges magnos; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Et occídit reges fortes; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Et Og regem Baſan; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hæreditátem; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Hæreditátem Iſraël ſervo ſuo; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis noſtris; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Qui dat eſcam omni carni: * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Canticum ſequens dicitur in omnibus Feriis ſecundis per annum. Aliis temporibus & in Feſtis Sanctorum habentur Cantica propria.

Canticum Annæ. 1. *Reg.* 2.

Exultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus ut eſt Dóminus; neque enim eſt álius extra te, * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia, * gloriantes.

Recédant vétera de ore veſtro; * quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt, & ipſi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt, * & infirmi accincti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt, * & famélici ſaturáti ſunt;

Donec ſtérilis péperit plúrimos, * & quæ multos habébat fílios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit, & ditat; * humíliat, & ſúblevat.

Súſcitat de púlvere egénum, * & de ſtércore élevat paúperem;

Ut ſédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ, * & póſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórum ſervábit, & ímpii in ténebris conticeſcent; * quia non in fortitúdine ſua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus, * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium regi ſuo, & ſublimábit cornu Chriſti ſui.

Pſalmus 148.

LAudáte Dóminum, de cœlis, * laudáte eum in excelſis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus, * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, ſol & luna, * laudáte eum, omnes ſtellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Státuit ea in æternum, & in ſéculum ſéculi: * præceptum póſuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra, * dracónes, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles; * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ, & univerſa pécora; * ſerpentes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes & vírgines, ſenes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſraël, pópulo appropinquanti ſibi.

Ant. Fecit terram in fortitúdine ſua, præparávit orbem in ſapiéntia ſua. *Jerem.* 51.

Capitulum. Rom. 1.

INviſibília Dei à creatúra mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divínitas.

Hymnus.

DEo loquente, prótinùs
Fiunt ténebræ, fit dies;
Et ſpléndidæ cœlo faces
Noctem, diémque dívidunt.

STAT terra: currunt flúmina,
Quæ fundit immenſum mare:
Velantur aſtra núbibus,
Subſiſtit unda pénſilis.

HERBÆ virentis tégmine
Veſtíta tellus píngitur:
Lætis onuſtæ frúctibus
Paſſim renídent árbores.

LEVES in imo gúrgite
Repente piſces innatant:
Feruntur ad cœlos aves;
Vagantur in ſilvis feræ.

HOMO creátus náſcitur,
Spirans imágo núminis:
Terreſtre córporis lutum
Cœleſtis afflat ſpíritus.

O Numen! ô mundi Pater!
Volendo quid non éfficis?
Tuæ, Deus, poténtiæ
Mundum creáre ludus eſt.

ORBEM potenter qui creas,
Tibi, Páter, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſécula.
Amen.

℣. Deus noſter in cœlo;
℟. Omnia quæcumque vóluit, fecit. *Pſ.* 113.

Ad Bened. *p.* 14. *Ant.* 6. F. Dignus es, Dómine Deus noſter, accípere glóriam; quia tu creaſti ómnia, & propter voluntátem tuam creáta ſunt. *Apoc.* 4.

Preces & Suffragia, ſi dicantur, habentur infrà ad calcem Pſalterii.

Oratio, quando propria non aſſignatur, dicitur de Dominica præcedente, & ſic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Pater, Ave, Credo.

Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis orto ſídere, *ad calcem Pſalterii, & ſic in aliis Feriis.*

Ant. 8. g. Creávit Deus.

Pſalmus 81.

DEus ſtetit in ſynagóga Deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum ſúmitis?

Judicáte egéno & pupillo: * húmilem & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis, * & filii Excelſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

Pſalmus 89.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priuſquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis; * à ſéculo & uſque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem; * & dixiſti: Convertímini, filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tanquam dies heſterna quæ prætériit,

Et cuſtódia in nocte: * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

Mane ſicut herba tránſeat, mane flóreat & tránſeat; * véſpere décidat, indúret & areſcat.

Quia defécimus in ira tuâ, * & in furóre tuo turbáti ſumus.

Poſuiſti iniquitátes noſtras in conſpectu tuo, * séculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri ſicut aránea meditabuntur: * dies annórum noſtrórum, in ipſis ſeptuaginta anni.

Si autem in potentátibus, octoginta anni; * & ámplius eórum labor & dolor.

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam ſic notam fac, * & erudítos corde in ſapiéntia.

Diviſio Pſalmi 89.

COnvértere, Dómine: úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus mane miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus

quibus nos humiliaſti,*annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in ópera tua, * & dírige filios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos: * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige.

Ant. Creávit Deus hóminem; ad ſimilitúdinem Dei fecit illum. Máſculum & féminam creávit eos, & benedixit illis. *Gen.* 5.

Capitulum, ℟. breve, & Preces, quando dicendæ ſunt, habentur infrà ad calcem Pſalterii; & ſic in aliis Feriis.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutórium.

Hymnus, O fons amóris, *ad calcem Pſalterii, & ſic in aliis Feriis.*

Ant. 7. 5. Diſciplína.

Pſalmus 73.

UT quid, Deus, repuliſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſediſti ab inítio.

Redemiſti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitaſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna; * & non cognovérunt, ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſilva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idipſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum, * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórum ſimul: * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus; jam non eſt prophéta; * & nos non cognoſcet ámpliùs.

Uſquequò, Deus, improperábit inimícus; * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem Rex noſter ante ſécula, * operátus eſt ſalútem in médio terræ.

Diviſio Pſalmi 73.

TU confirmaſti in virtúte tua mare, * contribulaſti cápita dracónum in aquis.

Tu confregiſti cápita dracónis, * dediſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupiſti fontes &

torrentes, * tu ſiccaſti flúvios Ethán.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox: * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu feciſti omnes términos terræ: * æſtátem & ver tu plaſmaſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino, * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confitentes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne oblivíſcáris in finem.

Réſpice in teſtamentum tuum; * quia repléti ſunt qui obſcuráti ſunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica cauſam tuam; * memor eſto improperiórum tuórum, eórum quæ ab inſipiente ſunt totâ die.

Ne oblivíſcáris voces inimicórum tuórum: * ſupérbia eórum qui te odérunt, aſcendit ſemper.

Pſalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis; * terríbilis eſt ſuper omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféſſio & pulcritúdo in conſpectu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univerſa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, & exultet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſilvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ

in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

Ant. Diſciplínâ intelle-ctûs replévit illos, ut nomen ſanctificatiónis collaudent. *Eccli.* 17.

Capitulum. Eccli. 18.

QUi vivit in æternum, creávit ómnia ſimul. Quis ſúfficit enarráre ópera illíus? quis enim inveſtigábit magnália ejus?

℟. *br.* Scitóte * Quóniam Dóminus ipſe eſt Deus. ℣. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. * Quóniam ipſe eſt Deus. Glória. ℟. Scitóte. *Pſ.* 99.

℣. Dómine, miſericórdia tua in ſéculum; ℟. Opera mánuum tuárum ne deſpícias. *Pſ.* 137.

Preces, ſi dicendæ ſint, habentur infrà ad calcem Pſalterii.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam ſolis. *ad calcem Pſalterii; & ſic in aliis Feriis.*

Ant. 1. D. Vidit Deus.

Pſalmus 91.

BOnum eſt confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíſſime:

Ad annuntiandum mane miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem,

In decachordo pſaltério, * cum cántico in cíthara.

Quia delectaſti me, Dómine, in factúra tua: * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Diviſio Pſalmi 91.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! * nimis profundæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognoſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exorti fúerint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem,

Ut intéreant in ſéculum ſéculi; * tu autem Altíſſimus in æternum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine: quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & diſpergentur omnes qui operantur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicornis cornu meum, * & ſenectus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpexit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabuntur

in

in ſenectâ úberi, * & benè patientes erunt ut annúntient,

Quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

Pſalmus 96.

DOminus regnávit, exultet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriantur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum; * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Ant. Vidit Deus cuncta quæ fécerat; & erant valde bona. *Gen.* 1.

Capitulum. Baruch. 3.

EMittit lumen, & vadit; & vocávit illud, & obédit illi in tremóre. Stellæ autem dedérunt lumen in cuſtódiis ſuis, & lætátæ ſunt. Vocátæ ſunt, & dixérunt: Adſumus: & luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas.

℟. *breve.* Tui ſunt cœli, * Et tua eſt terra. ℣. Orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundaſti. * Et tua eſt terra. Glória. ℟. Tui ſunt. *Pſ.* 88.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt, ℟. Et ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum. *Pſ.* 32.

Preces, ſi dicendæ ſunt, habentur infrà ad calcem Pſalterii.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Deus, in adjutórium.

Hymnus. Rerum Deus tenax vigor, *ad calcem Pſalterii; & ſic in aliis Feriis.*

Ant. 1. G. Omnia.

vidiſti, * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognoviſti ómnia, novíſſima & antíqua; * tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me: * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illîc es; * ſi deſcéndero in infernum, ades.

Si súmpſero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcábunt me; * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur; * ſicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſediſti renes meos, * ſuſcepiſti me de útero matris meæ.

Diviſio Pſalmi 138.

CONfitébor tibi [Dómine] quia terribiliter magnificátus es; * mirabília ópera tua, & ánima mea cognoſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod feciſti in occulto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: * dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; * nimis confortátus eſt principátus eórum.

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabuntur: * exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri ſánguinum, declináte à me:

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam; * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfecto ódio óderam illos, * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito cor meum: * intérroga me, & cognoſce ſémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt, * & deduc me in via ætema.

Pſalmus 143.

BEnedictus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refúgium meum; * ſuſceptor meus, & liberátor meus,

Protector meus, & in ipſo ſperávi; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei? * aut filius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus eſt; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & deſcende: * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruſcatiónem, & diſſipábis eos: * emitte ſagittas tuas, & conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto: éripe me; & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Diviſio Pſalmi 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi: * in pſaltério decachordo pſallam tibi.

Qui das ſalútem régibus, * qui redemiſti David ſervum tuum de gládio maligno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum filii ſicut novellæ plantatiónes, * in juventúte ſua.

Filiæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtóſæ, abundantes in egréſſibus ſuis; * boves eórum craſſæ.

Non eſt ruína macériæ, neque tránſitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Ipſe dat ómnibus vitam, & inſpiratiónem & ómnia. *Act.* 17.

Capitulum. Judith. 16.

ADónaï, Dómine, magnus es tu: tibi ſérviat omnis creatúra tua, quia dixiſti, & facta ſunt; miſiſti Spíritum tuum, & creáta ſunt.

Hymnus.

DEo canentes psállite.
Quicumque dulci ſpíritu
Vitális auræ véſcimur,
Omnes per ipſum vívimus.

Auctoris in laudem ſui
Natúra tota pérſonat.
Servíre, Mortáles, Deo
Vos terra, vos cœlum docet.

Parent jubenti ſídera,
Nubéſque dicunt: Adſumus.
Illíus ad nutum mare
Submittit undas ſúpplices.

Rerum Sator, totum tibi

Se debet humánum genus.
Momenta vitæ témperas,
In te movémur & ſumus.
Dei creátus múnere,
Deum parentem díliges.
Lex eſt in imo péctore
Divína quam ſcripſit manus.
Orbem potenter qui creas,
Tibi, Pater, cum Filio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſécula. Amen.

℣. Sit glória Dómini in ſéculum; ℟. Lætábitur Dóminus in opéribus ſuis. *Pſ.* 103.

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Manus tuæ, Dómine, fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu: vitam & miſericórdiam tribuiſti mihi. *Job.* 10.

Preces, ſi dicendæ ſunt, & ſuffragia habentur infrà ad calcem Pſalterii.

Oratio, quandò propria non aſſignatur, dicitur de Dominica præcedenti; & ſic in aliis Feriis.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

℣. Converte nos.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 7. d. Lavábo.

Pſalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infirmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî; * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per ſíngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei; * convertantur & erubeſcant valde velóciter.

Pſalmus 7.

Domine Deus meus, in te ſperávi: * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me;

Nequando rápiat ut leo

animam meam, * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud? * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidã méritò ab inimícis meis inánis.

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam; * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus meus, in præcepto quod mandaſti, * & ſynagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere; * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, ſecundùm juſtítiam meam, * & ſecundùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum, * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meũ à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde.

Diviſio Pſalmi 7.

Deus judex juſtus, fortis & pátiens: * numquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi converſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum tetendit, & parávit illum.

Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagittas ſuas ardéntibus efféçit.

Ecce partúriit injuſtítiam, * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus, * & in vérticem ipſius iníquitas ejus deſcendet.

Confitébor Dómino ſecundùm juſtítiam ejus, * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Lavábo per ſíngulas noctes lectum meum; lácrymis meis ſtratum meũ rigábo.

Hymnus, Capitulum, ℟. breve, Antiph. ad Nunc dimittis, *& Preces, ſi dicenda ſu.it, habentur infrà ad calcem Pſalterii.*

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum ómnia ſuáviter diſponentem, * Veníte, adorémus. *Sap. 8.*

Æterne rerum Cónditor,
Mundum creas poténtiâ:
Jugi tuéris cónditum
Regíſque providéntiâ.
Tu ſplendidũ ſolis jubar,

Curſúſque certos ſíderum,
Idem movéri néſcius,
Motu perenni témperas.

Hinc vólvitur cœlo dies,
Hinc atra nox fugat diem:
Hinc nos per alternas vices
Aut ſomnus, aut labor tenet.

Fœcunda rerum sémina
Subacta tellus éxcipit,
Aptóque miſſus témpore
Cœleſtis imber írrigat.

Hinc flava náſcitur ſeges,
Dulcémque victum ſúfficit.
Sic ſponte nobis pródigam
Benignus expandis manũ.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Deus.

Pſalmus 61.

Nonne Deo ſubjecta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus; * ſuſceptor meus, non movébor ámpliùs.

Quouſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos, tanquam paríeti inclináto & macériæ depulſæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucurri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjecta eſto ánima mea; * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea: * Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in ſtatéris; * ut decípiant ipſi de vanitáte in idipſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus; duo hæc audívi; quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia: * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Pſalmus 79.

Qui regis Iſraël, inténde; * qui dedúcis velut ovem Joſeph.

Qui ſedes ſuper Chérubim, * manifeſtáre coram Ephraim, Bénjamin & Manaſſe.

Excita poténtiam tuã, & veni, * ut ſalvos fácias nos.

Deus, converte nos, * & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra?

Poſuiſti nos in contradictiónem vicínis noſtris, * & inimíci noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos, * & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Diviſio Pſalmi 79.

Vineam de Ægypto tranſtuliſti [Dómine] * ejeciſti gentes, & plantaſti eam.

Dux itíneris fuiſti in conſpectu ejus; * plantaſti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbuſta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites ſuos uſque ad mare, * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxiſti macériam ejus, * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminávit eam aper de ſilva, * & ſinguláris ferus depaſtus eſt eam.

Deus virtútum, convértere; * réſpice de cœlo, & vide, & viſita víneam iſtã.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua; * & ſuper fílium hóminis, quem confirmaſti tibi.

Incenſa igni & ſuffoſſa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua ſuper virum dé xteræ tuæ * & ſuper fílium hóminis, quem confirmaſti tibi.

Et non diſcédimus à te; vivificábis nos, * & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos, * & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Ant. Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Attingit.

Pſalmus 104.

Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & pſállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini, * quærite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham ſervi ejus, * fílii Jacob electi ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter : * in univerſa terra judícia ejus.

Memor fuit in ſéculum teſtamenti ſui,*verbi quod mandávit in mille generatiónes :

Quod diſpóſuit ad Abraham, * & juramenti ſui ad Iſaac.

Et ſtátuit illud Jacob in præceptum, * & Iſraël in teſtamentum æternum,

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan * funículum hæreditátis veſtræ :

Cùm eſſent número brevi, * paucíſſimi, & íncolæ ejus.

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Diviſio Pſalmi 104.

NOn relíquit [Dñus] hóminē nocére eis, * & corrípuit pro eis Reges.

Nolíte tángere chriſtos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem ſuper terram, * & omne firmamentum panis contrívit.

Miſit ante eos virum : * in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, * ferrum pertránſiit ánimam ejus, donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : * miſit rex, & ſòlvit eum ; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ ;

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetipſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſraël in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum vehementer, * & firmávit eum ſuper inimícos ejus.

Convertit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus.

Miſit Móyſen ſervum ſuum, * Aaron quem elégit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Miſit ténebras, & obſcurávit ; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convertit aquas eórum in ſánguinem, * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas, * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía & cínifes, * in ómnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terra ipsórum.

Et percuſſit víneas eórum & ficúlneas eórum, * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, & venit locuſta & bruchus, * cujus non erat númerus.

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percuſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et eduxit eos cum argento & auro; * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Altera diviſio Pſalmi 104.

LÆtáta eſt Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit coturnix; * & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in ſicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum.

Et eduxit pópulum ſuum in exultatióne, * & electos ſuos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum poſſedérunt;

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Attingit à fine uſque ad finem fórtiter, & diſpónit ómnia ſuáviter. *Sap.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Protector eſt.

Pſalmus 105.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, * & fáciunt juſtítiam in omni témpore.

Memento noſtri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * víſita nos in ſalutári tuo;

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

Peccávimus cum pátribus noſtris, * injuſtè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt aſcendentes in mare, * mare rubrum.

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum, * ut notam

fáceret poténtiam ſuam.

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.

Et ſalvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulantes eos: * unus ex eis non remanſit.

Et crediderunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Diviſio Pſalmi 105.

Citò fecérunt, oblíti ſunt óperum ejus, * & non ſuſtinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſerto, * & tentavérunt Deum in inaquóſo.

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & miſit ſaturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aaron ſanctum Dómini.

Aperta eſt terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit ſuper congregatiónem Abíron.

Et exarſit ignis in ſynagógâ eórum; * flamma combuſſit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt ſculptile:

Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedentis fœnum.

Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit, ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes electus ejus ſtetiſſet in confractióne in conſpectu ejus;

Ut avérteret iram ejus, ne diſpérderet eos: * & pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem.

Non credidérunt verbo ejus, & murmuravérunt in tabernáculis ſuis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſerto.

Et ut dejíceret ſemen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beélphegor, * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis, * & multiplicáta eſt in eis ruína.

Et ſtetit Phínees, & placávit; * & ceſsávit quaſsátio.

Et reputátum eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem uſque in ſempiternum.

Altera diviſio Pſ. 105. Et

Irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; & vexátus eſt Móyſes

propter eos, * quia exacerbavérunt ſpíritum ejus.

Et diſtinxit in lábiis ſuis: * non diſperdidérunt gentes quas dixit Dóminus illis.

Et commixti ſunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & ſerviérunt ſculptílibus eórum: * & factum eſt illis in ſcándalum.

Et immolavérunt fílios ſuos, * & fílias ſuas dæmóniis.

Et effudérunt ſánguinem innocentem, * ſánguinem filiórum ſuórum, & filiárum ſuárum, quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et infecta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum, * & abominátus eſt hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium: * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum; & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum: * ſæpè liberávit eos.

Ipſi autem exacerbavérunt eum in consílio ſuo, * & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit, cùm tribularentur, * & audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit teſtamenti ſui, * & pœnítuit eum ſecundùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericórdias * in conſpectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noſter, * & cóngrega nos de natiónibus:

Ut confiteámur nómini ſancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Iſrael à ſéculo, & uſque in ſéculum: * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Ant. Protector eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte. *Eccli.* 2.

℣. Adjútor meus eſto, ne derelinquas me; ℟. Neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus. *Pſ.* 26.

Pater noſter.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 4. D. Tua, Pater.

Pſalmus 106.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

Dicant qui redempti ſunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos.

A ſolis ortu & occáſu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in ſolitúdine, in inaquóſo; * viam civi-

tátis habitáculi non invenérunt.

Eſurientes & ſitientes: * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de neceſſitátibus eórum éripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia ſatiávit ánimam inánem, * & ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis.

Sedentes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíſſimi irritavérunt.

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum: * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris & umbra mortis, * & víncula eórum diſrúpit.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Diviſio Pſalmi 106.

Suſcépit eos [Dóminus] de via iniquitátis eórum; * propter injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem eſcam abomináta eſt ánima eórum, * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et ſacrificent ſacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui deſcendunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

Dixit: & ſtetit ſpíritus procellæ, * & exaltáti ſunt fluctus ejus.

Aſcendunt uſque ad cœlos; & deſcendunt uſque ad abyſſos: * ánima eórum in malis tabeſcébat.

Turbáti ſunt & moti ſunt ſicut ébrius; * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularen-

tur, * & de neceſſitátibus eórum edúxit eos.

Et ſtátuit procellam ejus in auram, * & ſiluérunt fluctus ejus.

Et lætáti ſunt, quia ſiluérunt: * & deduxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et exaltent eum in eccléſia plebis, * & in cáthedra ſeniórum laudent eum.

Altera diviſio Pſ. 106.

POſuit [Dóminus] flúmina in deſertum, * & éxitus aquárum in ſitim;

Terram fructíferam in falsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Póſuit deſertum in ſtagna aquárum, * & terram ſine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic eſuriéntes; * & conſtituérunt civitátem habitatiónis.

Et ſeminavérunt agros, & plantavérunt víneas: * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti ſunt nimis; * & jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti ſunt, * & vexáti ſunt à tribulatióne malórum & dolóre.

Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & póſuit ſicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabuntur: * & omnis iníquitas oppilábit os ſuum.

Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc, * & intélliget miſericórdias Dómini?

Canticum Moyſi. Exod. 15.

CAntémus Dómino, glorióſè enim magnificátus eſt: * equum & aſcensórē dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor; Omnípotens nomen ejus: * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Electi príncipes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro, * abyſſi operuérunt eos; deſcendérunt in profundum quaſi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine: déxtera tua, Dómine, percuſſit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ depoſuiſti adversários tuos.

Miſiſti iram tuam, quæ devorávit eos ſicut ſtípulam; * & in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérſequar, & comprehendam; * dívidam ſpólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum; * interficiet eos manus mea.

Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare: * ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in ſanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendiſti manum tuam, & devorávit eos terra: * dux fuiſti in miſericórdia tua pópulo quem redemiſti.

Et portaſti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum ſanctum tuum.

Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

Tunc conturbáti ſunt príncipes Edom, robuſtos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat ſuper eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quaſi lapis, donec pertránſeat pópulus tuus, Dómine: * donec pertránſeat pópulus tuus iſte quem poſſediſti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíſſimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dóminus regnábit in æternum & ultrà.

Ingreſſus eſt enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare: * & reduxit ſuper eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Iſrael ambulavérunt per ſiccum * in médio ejus.

Pſalmus 134.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, ſervi, Dóminum;

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dominus: * pſállite nómini ejus, quóniam ſuáve.

Quóniam Jacob elégit ſibi Dóminus, * Iſraël in poſſeſſiónem ſibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, in cœlo, & in terra, * in mari, & in ómnibus abyſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de theſauris ſuis, * qui percuſſit primogénita Ægypti ab hómine uſque ad pecus.

Et miſit ſigna & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus.

Qui percuſſit gentes multas, * & occídit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Iſrael pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non aúdient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſrael, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúſalem.

Ant. Tua, Pater, providéntia gubernat; oſtendens quóniam potens es. *Sap.* 14.

Capitulum. Philipp. 4

Nihil ſollíciti ſitis; ſed in omni oratióne & obſecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes veſtræ innoteſcant apud Deũ.

Hymnus.

Non cæca ſors mundum regit,
Nec verſat humánas vices:
Has lege certâ pónderat
Intentus è cœlo Deus.

Hic dat mori, dat vívere;
Hic ſceptra regum dívidit,
Paciſque ſolus árbiter,
Aut bella ſedat, aut movet.

Hic, ímpios ultrò ſinit
Caput ſuperbum tóllere:
Sed imminentem vértici
Cladem ſceleſto præparat.

Hic, paúperi tendens manum,
Humi jacentem súblevat;
Tactus potenti dexterâ,
Dum dives ex alto ruit.

Seu te ſecunda ſors beat,
Adverſa ſeu te déprimit;
Diſpenſat adverſam Deus,
Idémque mittit próſperam.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,

Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis; ℟. A generatióne in generatiónem. *Pſ.* 89.

Ad Benedictus, *Ant.* 7. a. Oculi Dómini ſuper timentes eum; protector poténtiæ, firmamentum virtútis, & adjutórium casûs; dans ſanitátem & vitam & benedictiónem. *Eccli.* 34.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Quid eſt homo.

Pſalmus 9.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te, * pſallam nómini tuo, Altíſſime;

In convertendo inimícum meum retrorsùm: * infirmabuntur & peribunt à fácie tua.

Quóniam feciſti judícium meum & cauſam meam: * ſediſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

Increpaſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deleſti in ætermum, & in ſǽculum ſǽculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * & civitátes eórum deſtruxiſti.

Périit memória eórum cum ſónitu, * & Dóminus in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte; judicábit pópulos in juſtítia.

Et factus eſt Dóminus refúgium paúperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et ſperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquiſti quærentes te, Dómine.

Pſállite Dómino, qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus.

Quóniam requírens ſánguinem, eórum recordátus eſt; * non eſt oblítus clamórem paúperum.

Diviſio Pſalmi 9.

MIſerére meî, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exaltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infixæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem abſcondérunt, * comprehenſus eſt pes eórum.

Cognoſcétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuárum comprehenſus eſt peccátor.

Convertantur peccatóres

in infernum, * omnes gentes quæ obliviſcuntur Deū.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis: * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine; non confortétur homo; * judicentur gentes in conſpectu tuo.

Conſtítue, Dómine, legiſlatórem ſuper eos, * ut ſciant gentes quóniam hómines ſunt.

Altera diviſio Pſalmi 9.

UT quid, Dómine, receſſiſti longè; * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſuperbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * ſecundùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpectu ejus: * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſine malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine & dolo; * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt: * inſidiátur in abſcóndito, quaſi leo in ſpelunca ſua.

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo ſuo humiliábit eum, * inclinábit ſe, & cadet, cùm dominátus fuérit paúperum.

Dixit enim in corde ſuo: Oblítus eſt Deus; * avertit fáciem ſuam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua; * ne obliviſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper, * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & maligni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in ſæculum

ſéculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Deſidérium paúperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupillo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

Ant. Quid eſt homo, quia magníficas eum, ô cuſtos hóminum? *Job.* 7.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

AD TERTIAM.

Ant. 1. f. Pater.

Pſalmus 19.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui, * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo: * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis; * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt; * nos autem ſuréximus, & erecti ſumus.

Dómine, ſalvum fac regem, * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguaſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Pſalmus 53.

DEus, in nómine tuo ſalvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam, * aúribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni inſurrexérunt adversùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam, * & non propoſuérunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus ſuſceptor eſt ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua diſperde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum eſt.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuiſti me, * & ſuper inimícos meos deſpexit óculus meus.

Ant. Pater, panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie. *Luc.* 11.

Capitulum. Oſeæ 11.

EGo quaſi nutrítius Ephraïm, portábam eos in bráchiis meis. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis.

℟. *breve.* Dóminus regit me, * Et nihil mihi déerit.

℣. In loco páſcuæ, ibi me collocávit. * Et nihil mihi déerit. Glória. ℟. Dóminus regit me. *Pſ.* 22.

℣. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; ℟. Et tu das eſcam illórum in témpore opportúno. *Pſ.* 144.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

AD SEXTAM.

Ant. 4. c. Quómodò.

Pſalmus 56.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî; * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam & veritátem ſuam, * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & ſagittæ, * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum,

Deus, parátum cor meum: * cantábo & pſalmum dicam.

Exurge, glória mea; exurge, pſaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Pſalmus. 93.

DEus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem ſuperbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * úſquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipientes in pópulo; * & ſtulti, aliquando ſápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non conſíderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem ſciéntiam?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ ſunt.

Diviſio Pſalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelínquet.

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium: * & qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſúrget mihi advérsùs malignántes? * aut quis ſtabit mecum advérsùs operántes iniquitátem?

Niſi quia Dóminus adjúvit me: * pauló minùs habitáſſet in inferno ánima mea.

Si dicébam, Motus eſt pes meus; * miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in cor-

de meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto ?

Captábunt in ánimam juſti, * & ſánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium ſpei meæ;

Et reddet illis iniquitátem ipsórum, & in malítia eórum diſperdet eos : * diſperdet illos Dóminus Deus noſter.

Ant. Quómodò poſſet áliquid permanére, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocátum non eſſet, conſervarétur? *Sap.* 11.

Capitulum. Job. 12.

IN manu Dei ánima omnis viventis : apud ipſum eſt ſapiéntia & fortitúdo; ipſe habet conſílium & intelligéntiam.

℟. *breve.* Sperent in te, * Qui novérunt nomen tuum. ℣. Quóniam non dereliquiſti quærentes te, Dómine. * Qui novérunt nomen tuum. Glória. ℟. Sperent in te. *Pſ.* 9.

℣. Mihi adhærére Deo bonum eſt, ℟. Pónere in Dómino Deo ſpem meam. *Pſ.* 72.

Cætera ut in Feria II. & ſic in aliis Feriis.

Pars Hyemalis.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Non eſt.

Pſalmus 43.

DEus, áuribus noſtris audívimus, * patres noſtri annuntiavérunt nobis,

Opus quod operátus es in diébus eórum, * & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantaſti eos : * afflixiſti pópulos, & expuliſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos.

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuiſti in eis.

Tu es ipſe Rex meus & Deus meus, * qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo ſpernémus inſurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo; * & gládius meus non ſalvábit me.

Salvaſti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudiſti.

Diviſio Pſalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in ſǽculum.

Nunc autem repuliſti & confudiſti nos; * & non

egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris.

Avertiſti nos retrorsùm poſt inimícos noſtros : * & qui odérunt nos, diripiébant ſibi.

Dediſti nos tanquam oves eſcárum, * & in géntibus diſperſiſti nos.

Vendidiſti pópulum tuum ſine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuiſti nos oppróbrium vicínis noſtris,* ſubſannatiónem & deríſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuiſti nos in ſimilitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me eſt;* & confúſio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & perſequentis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos, nec oblíti ſumus te, * & iníquè non égimus in teſtamento tuo.

Et non receſſit retrò cor noſtrum, * & declinaſti sémitas noſtras à via tua.

Quóniam humiliaſti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſalmi 43.

SI oblíti ſumus nomen Dei noſtri, * & ſi expándimus manus noſtras ad Deum aliénum.

Nonne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti súmus ſicut oves occiſiónis.

Exurge; quare obdormis, Dómine? * exurge, & ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis; * oblivíſceris inópiæ noſtræ & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra : * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exurge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Non eſt ſapiéntia, non eſt prudéntia, non eſt consílium contra Dóminum. *Prov.* 21.

Capitulum. I. Petr. 5.

HUmiliámini ſub potenti manu Dei, omnem ſollicitúdinem veſtram projicientes in eum; quóniam ipſi cura eſt de vobis.

℟. *breve.* Bonum eſt confídere in Dómino, * Quàm confídere in hómine. ℣. Bonum eſt ſperáre in Dómino.* Quàm confídere in hómine. Glória. ℟. Bonum eſt. *Pſ.* 117.

℣. Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, ℟. Et non reſpexit in vanitátes

nitátes & insánias falſas. *Pſ.* 39.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

Deus, in adjutórium.

Ant. 3. b. Quærite.

Pſalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolóſam ?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi ! quia incolátus meus prolongátus eſt ; habitávi cum habitántibus Cedar : * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo : * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introïtum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, * niſi quia Dóminus erat in nobis :

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertranſívit ánima noſtra : * fórſitan pertranſiſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Pſalmus 124.

QUi confidunt in Dómino, ſicut mons Sion: * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jeruſalem.

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli ſui, ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum, * ut non extendant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax ſuper Iſrael.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite, poſtquàm ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis ſuis ſomnum: * ecce hæréditas Dómini, filii: merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis, * ita filii excuſſórũ.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis: * non confundétur, cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

Ant. Quærite primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus; & hæc ómnia adjicientur vobis. *Matth.* 6.

Capitulum. Sap. 6.

NOn ſúbtrahet perſónam cujuſquam Deus, quóniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æquáliter cura eſt illi de ómnibus.

Hymnus.

CUr, aut amictûs, aut cibi
Te cura mordet ánxia?
Homo, tibi veſtem, cibum
Rex ipſe mundi próvidet.

Qui veſtit agri lília,
Cœlíque nutrit páſſeres,
Te lílio pluris facit,
Facitque pluris páſſere.

Eſcam petenti fílio
Lethále virus non dares:
Tibíne cœleſtis Pater
Pro pane ſaxum pórrigat?

Ergo quieſce, próvidi
Secúrus in ſinu Dei:
Inter patres vel óptimos
Se nemo tam probat patrem.

Qui a vera promiſit bona,
Sit cura primùm quærere;
Si quæris, ultrò cétera,
Voventis ad nutum fluent.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo ſimul cum Spíritu,
Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, ℟. Et ipſe te enútriet. *Pſ.* 54.

Ad Magníficat *Ant.* 8. g. Non eſt álius Deus, niſi tu, Dómine, cui cura eſt de ómnibus. *Sap.* 12.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, &c.

Ant. 7. c. Tu, Dómine.

Pſalmus 10.

IN Dómino confído; quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagittas ſuas in pháretra, * ut ſagittent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxérunt: * juſtus autem, quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cælo ſedes ejus.

Oculi ejus in páuperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

Pſalmus 11.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit ſanctus; * quóniam diminútæ ſunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti ſunt unuſquiſque ad próximum ſuum: * lábia dolóſa in corde & corde locúti ſunt.

Diſperdat Dóminus univérſa lábia dolóſa, * & linguam magnilóquam.

Qui dixérunt: Linguam noſtram magnificábimus; lábia noſtra à nobis ſunt: * quis noſter Dóminus eſt?

Propter miſériam ínopum, & gémitum páuperum, * nunc exurgam, dicit Dóminus:

Ponam in ſalutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum ſéptuplum.

Tu, Dómine, ſervábis nos, & cuſtódies nos, * à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * ſecúndùm altitúdinem tuam multiplicaſti fílios hóminum.

Pſalmus 12.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * uſquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam conſília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequando dicat inimícus meus; Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdiâ tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo; cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Tu, Dómine, ſervábis nos, & cuſtódies nos.

Cætera ut in Feriâ II. & ſic in aliis Feriis.

FERIA QUARTA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Unum Legiſlatórem Dóminum, * Veníte, adorémus. *Jacob.* 4.

Hymnus.

De montis alto cúlmine
Clangunt tubæ, fulmen micat,
Ignes coruſcant fulgurum,
Numénque præſens nuntiant.

Vocem Tonantis árbitram
Arrecta tellus audiat:
Legem verendi Núminis,
Orbis tremiſcens áccipe.

Qui jura præſcripſit polo,
Aſtríſque ſignávit viam;
Fluctus maris qui témperat,
Hic juſſa dat mortálibus.

Huic terra, pontus, ſídera
Cultu perenni sérviunt.
An ſola gens mortálium
Cultum rebellis ábnuat?

Præsta, beáta Trínitas;
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Deus excelſus.

Pſalmus 36.

Noli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tanquàm fœnum velóciter areſcent, * & quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam, * & judícium tuum tanquàm merídiem: * ſúbditus eſto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua, * in hómine faciente injuſtítias.

Déſine ab ira, & derelinque furórem; * noli

æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignantur, exterminabuntur: * ſuſtinentes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc puſillum, & non erit peccátor: * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabuntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum ſuum;

Ut dejíciant páuperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Mélius eſt módicum juſto * ſuper divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conterentur: * confirmat autem juſtos Dóminus.

Diviſio Pſalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundentur in témpore malo, & in diébus famis ſaturábuntur, * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficientes, quemádmodùm fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet? * juſtus autem miſerétur & tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigentur; * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui, * & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur, & cómmodat, * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum: * & inhábita in ſéculum ſéculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabuntur.

Injuſti punientur, * & ſemen impiórum períbit.

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in ſéculum ſéculi ſuper eam.

Altera diviſio Pſalmi 36.

O S juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipſius, * & non ſupplantabuntur greſſus ejus.

Conſíderat peccátor juſtum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum, cum judicábitur illi.

Expecta Dóminum, & cuſtódi viam ejus, & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram : * cum períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut cedros Líbani.

Et tranſívi, & ecce non erat : * & quæſívi eum, & non eſt inventus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem : * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.

Injuſti autem diſperíbunt ſimul, * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem juſtórum à Dómino, * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos : * & éruet eos à peccatóribus, & ſalvábit eos, quia ſperavérunt in eo.

Ant. Deus excelſus, & nullus ei ſímilis in legiſlatóribus. *Job.* 36.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Inclináte.

Pſalmus 77.

A Ttèndite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum : * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in Jacob, * & legem póſuit in Iſrael.

Quanta mandávit pátribus noſtris, nota fácere ea fíliis ſuis, * ut cognoſcat generátio áltera.

Fílii qui naſcentur & exurgent, * & narrábunt fíliis ſuis;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans;

Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt

créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, * converſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſtendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Diviſio Pſalmi 77.

INterrúpit [Dominus] mare, & perduxit eos, * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi: * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abyſſo multa.

Et eduxit aquam de petra: * & deduxit tanquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo: * dixérunt; Numquid póterit Deus paráre menſam in deſerto?

Quóniam percuſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torrentes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare, * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideò audívit Dóminus, & diſtulit: * & ignis accenſus eſt in Jacob, & ira aſcendit in Iſrael.

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus deſuper, * & jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária miſit eis in abundántia.

Altera diviſio Pſalmi 77.

TRánſtulit [Dñus] Auſtrũ de cœlo, * & induxit in virtúte ſua Africum.

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eórum áttulit eis: * non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipſórum, * & ira Dei aſcendit ſuper eos.

Et occidit pingues eórũ, * & electos Iſrael impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte

dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eórum, * & Deus excelſus redemptor eórum eſt;

Et dilexérunt eum in ore ſuo, * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtamento ejus.

Ipſe autem eſt miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſperdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram ſuam, * & non accendit omnem iram ſuam.

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens, & non rédiens.

Ant. Inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Lucerna.

Ex Pſalmo 77.

QUóties exacerbavérunt eum in deſerto, * in iram concitavérunt eum in inaquóſo?

Et converſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & Sanctum Iſrael exacerbavérunt.

Non ſunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis.

Sicut póſuit in Ægypto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convertit in ſánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Miſit in eos cœnomyíam, & comédit eos: * & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locuſtæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * & poſſeſſiónem eórum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ: * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immiſſiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ ſuæ: non pepercit à morte animábus eórum: * & jumenta eórum in morte conclúſit.

Et percuſſit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Diviſio Pſalmi 77.

ABſtulit [Dóminus] ſicut oves pópulum ſuũ, * & perduxit eos tanquam gregem in deſerto.

Et deduxit eos in ſpe, & non timuérunt, * & inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem ſanctificatiónis ſuæ, * mon-

tem quem acquiſívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes, * & ſorte divíſit eis terram in funículo diſtributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Iſrael.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excelſum; * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum: * quemádmodùm patres eórum, converſi ſunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis: * & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & ſprevit; * & ad níhilum redégit valde Iſrael.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulcritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hæreditátem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis: * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabantur.

Altera diviſio Pſal. 77. Et

Excitátus eſt tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percuſſit inimícos ſuos in poſterióra, * oppróbriũ ſempiternum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſeph, * & tribum Ephraïm non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctifícium ſuum in terra, * quam fundávit in ſæcula.

Et elégit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de grégibus óvium: * de poſt fœtantes accépit eum,

Páſcere Jacob ſervum ſuum, * & Iſrael hæreditátem ſuam.

Et pavit eos in innocéntia cordis ſui: * & in intelléctibus mánuum ſuárum deduxit eos.

Ant. Lucerna pédibus meis verbum tuum, & lumen sémitis meis. *Pſ.* 118.

℣. Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas;

℟. Teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis. *Pſ.* 18.

Pater noſter.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Cuſtodíte.

Pſalmus 67.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus, *

& fugiant qui odérunt eum à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, * & delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui aſcendit ſuper occáſum : Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpectu ejus : * turbabuntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo : * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo,

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepulcris.

Deus, cùm egrederéris in conſpectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deſerto :

Terra mota eſt, étenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sínaï, * à fácie Dei Iſrael.

Plúviam voluntáriam ſegregábis, Deus, hæreditáti tuæ : * & infirmáta eſt, tu verò perfeciſti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * paraſti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Diviſio Pſalmi 67.

Dominus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum, dilecti dilecti : * & ſpeciéi domûs divídere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ columbæ deargentátæ ; * & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : * ut quid ſuſpicámini montes coagulátos ?

Mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo : * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium : * Dóminus in eis, in Sina, in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitátem : * accepiſti dona in homínibus.

Etenim non credentes, * inhabitáre Dóminũ Deum.

Benedictus Dóminus die quotídie : * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum ſuórum, * vérticem capilli

perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus : Ex Baſan convertam ; * convertam in profundum maris :

Ut intingátur pes tuus in ſánguine ; * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Vidérunt ingreſſus tuos, Deus ; * ingreſſus Dei mei, Regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti pſallėntibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

Altera diviſio Pſalmi 67.

IN eccléſiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Iſrael.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus * in mentis exceſſu.

Príncipes Juda, duces eórum, * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

*A templo tuo in Jeruſalem, * tibi ófferent reges múnera.*

Increpa feras arúndinis: congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti ſunt argento.

Díſſipa gentes quæ bella volunt : vénient legáti ex Ægypto ; * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino.

Pſállite Deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli * ad Orientem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis : date glóriam Deo ſuper Iſrael ; * magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis ; Deus Iſrael ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ ; * benedictus Deus.

Cant. Baruch. 4.

OMnes qui tenent legem, pervénient ad vitam ; * qui autem dereliquérunt eam, in mortem.

Convértere, Jacob, * & apprehende eam.

Ambula per viam ad ſplendórem ejus * contra lumen ejus.

Ne tradas álteri glóriam tuam, * & dignitátem tuam genti aliénæ.

Beati ſumus, Iſrael ; * quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.

Pſalmus 147.

LAuda, Jeruſalem, Dóminum ; * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem ; * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emittit elóquium ſuum terræ, * velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut la-

nam, * nébulam ſicut cínerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emittet verbum ſuum, & líquefáciet ea: * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Cuſtodíte leges meas atque judícia: ego Dóminus. *Lev.* 18.

Capitulum. 2. *Eſdr.* 9.

AD montém Sínaï deſcendiſti, Dómine, & locútus es cum pátribus noſtris de cœlo, & dediſti eis judícia recta, & legem veritátis, & præcepta bona.

Hymnus.

QUæ juſſa ſaxo crédidit
Divína, cælans déxterâ;
Æterna dudùm Véritas
In corde noſtro ſcúlpſerat.

O ſancta Lex, certam poli
Pandis viam mortálibus.
In méntibus præfers facem,
Greſſúſque noſtros dírigis.

Erroris expers ámbulat,
Quicúmque te velit ducem.
A calle dévius perit,
Te quiſquis amens ábdicat.

Vitam dabis fidélibus,
Necem mináris ímpiis.
Si pœna terret ímminens,
Accendat ingens præmium.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Non fecit táliter omni natióni; ℟. Et judícia ſua non manifeſtávit eis. *Pſ.* 147.

Ad Benedictus *Ant.* 5. a. Finis præcepti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ & fide non fictâ. *I. Tim.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Homo ſenſátus.

Pſalmus 5.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxtà te malignus, * neque permanébunt injuſti ante óculos tuos.

Odiſti omnes qui operantur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum ſánguinum & do-

loſum abominábitur Dóminus;* ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas, * cor eórum vanum eſt.

Sepulcrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóse agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis: ſecundum multitúdinem impietátum eórũ expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te: * in æternum exultábunt, & habitábis in eis,

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ* coronaſti nos.

Pſalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea:* aúdiant manſuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idipſum.

Exquiſívi Dóminum, & exaudívit me;* & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini,* & fácies veſtræ non confundentur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum; * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus: * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

Diviſio Pſalmi 33.

VEníte, fílii, audíte me; * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dómini ſuper juſtos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini ſu-

per facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos; * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde, * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima, * & qui odérunt juſtum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

Ant. Homo ſensátus credit legi Dei; & lex illi fidélis. *Eccli.* 33.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Mélior eſt.

Pſalmus 28.

AFferte Dómino, fílii Dei, * afferte Dómino fílios aríetum.

Afferte Dómino glóriam & honórem, afferte Dómino glóriã nóminì ejus: * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas: Deus majeſtátis intónuit, * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte, * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et commínuet eas tanquam vítulum Líbani; * & dilectus quemádmodùm fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis: * vox Dómini concutientis deſertum; & commovébit Dóminus deſertum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos; & revelábit condenſa: * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & ſedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit: * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

Pſalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus eſt, * & vocávit terram.

A ſolis ortu uſque ad occáſum: * ex Sion ſpécies decóris ejus.

Deus manifeſtè véniet: * Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpectu ejus exardeſcet, * & in circúitu ejus tempeſtas válida.

Advocábit cœlum deſurſùm, * & terram diſcérnere pópulum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus, * qui órdinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia.

Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus, * quóniam Deus judex eſt.

Diviſio Pſalmi 49.

Audi, pópulus meus, & loquar; Iſrael, & teſtificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrifíciis tuis árguam te; * holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſilvárum, * jumenta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulcritúdo agri mecum eſt.

Si eſuríero, non dicam tibi; * meus eſt enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum; * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo ſacrificium laudis, * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enarras juſtítias meas, & aſſúmis teſtamentum meum per os tuum?

Tu verò odiſti diſciplínam, * & projeciſti ſermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advorsùs fratrem tuum loquebáris, & adversùs filium matris tuæ ponébas ſcándalum: * hæc feciſti, & tácui.

Exiſtimaſti iníquè quòd ero tuî ſímilis: * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviſcímini Deum: * nequando rápiat, & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me; * & illîc iter, quo oſtendam illi ſalutáre Dei.

Ant. Mélior eſt obediéntia quàm víctimæ. *I. Reg.* 15.

Capitulum. Proverb. 4.

Ne recédant elóquia Dómini ab óculis tuis; cuſtódi ea in médio cordis tui: vita enim ſunt inveniéntibus ea, & univerſæ carni sánitas.

℟. *breve.* Beáti * Immaculáti in via. ℣. Qui ámbulant in lege Dómini.

* Immaculáti in via. Glória. ℞. Beáti.

℣. Pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine; ℞. Et non eſt illis ſcándalum. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Nihil dúlcius.

Pſalmus 48.

AUdíte hæc, omnes gentes: * aúribus percípite, omnes qui habitátis orbem;

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in pſaltério propoſitiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte ſua, * & in multitúdine divitiárum ſuárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem ſuam,

Et prétium redemptiónis ánimæ ſuæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit ſapientes morientes: * ſimul insípiens & ſtultus peribunt.

Et relinquent aliénis divítias ſuas, * & ſepulcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intellexit: * comparátus eſt jumentis inſipiéntibus, & ſimilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis: * & póſteà in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inferno póſiti ſunt; * mors depaſcet eos.

Et dominabuntur eórum juſti in matutíno; * & auxílium eórum veteraſcet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Diviſio Pſalmi 48.

NE timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non ſumet ómnia, * neque deſcendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipſíus benedicétur: * confitébitur tibi, cùm beneféceris ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum, * &

uſque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intellexit: * comparátus eſt jumentis inſipiéntibus, & ſimilis factus eſt illis.

Pſalmus 52.

DIxit inſipiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrupti ſunt, & abominábiles facti ſunt in iniquitátibus: * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpexit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illîc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent; * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

Ant. Nihil dúlcius quàm reſpícere in mandátis Dómini. *Eccli.* 23.

Capitulum. 1. Joann. 5.

HÆc eſt cáritas Dei, ut mandáta ejus cuſtodiámus: & mandáta ejus grávia non ſunt.

℟. *breve.* Quàm dúlcia faúcibus meis * Elóquia tua, Dómine! ℣. Super mel ori meo. * Elóquia tua, Dómine. Glória. ℟. Quàm. *Pſ.* 118.

℣. Juſtítiæ Dómini rectæ, ℟. Lætificantes corda. *Pſ.* 18.

AD NONAM.

Ant. 8. d. Confortámini.

Pſalmus 72.

QUàm bonus Iſrael Deus, * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei.

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non eſt reſpectus morti eórum, * & firmamentum in plaga eórum.

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabuntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia; * operti ſunt iniquitáte & impietáte ſua.

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum: * tranſiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt & locúti ſunt nequítiam: * iniquitátem in excelſo locúti ſunt.

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hìc, * & dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt: Quómodò ſcit Deus? * &, ſi eſt ſciéntia in Excelſo?

Ecce ipſi peccatóres, & abundantes in ſǽculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine causâ juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocentes manus meas:

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verúmtamen propter dolos poſuiſti eis: * dejeciſti eos dum allevarentur.

Quómodò facti ſunt in deſolatiónem! súbitò defecérunt; * periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt: * & ego ad níhilum redactus ſum; & neſcívi.

Ut jumentum factus ſum apud te, * & ego ſemper tecum.

Diviſio Pſalmi 72.

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntáte tua deduxiſti me, * & cum glória ſuſcepiſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea & cor meum: * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elongant ſe à te, períbunt: * perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * pónere in Dómino Deo ſpem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Pſalmus. 74.

Confitébimur tibi, Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicábo.

Liquefacta eſt terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi columnas ejus.

Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere * & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

Nolite extollere in altum cornu veſtrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriente neque ab occidente, neque à deſertis móntibus; * quóniam Deus judex eſt.

Hunc humíliat, & hunc exaltat; * quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx ejus non eſt exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in ſǽculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabuntur córnua juſti.

Ant Confortámini, & viríliter ágite in lege, quia in ipſa glorióſi éritis. *I. Mach.* 2.

Capitulum. Hebr. 12.

Acceſſiſtis ad Sion montem, & teſtamenti novi mediatórem Jeſum; vidéte ne recuſétis loquentem.

℟. *breve.* Utinam * Dirigantur viæ meæ, ℣. Ad cuſtodiendas juſtificatiónes tuas! * Dirigantur viæ meæ. Glória. ℟. Utinam.

℣. Lætábor ego ſuper elóquia tua, ℟. Sicut qui invénit ſpólia multa. *Pſ.* 118.

AD VESPERAS.

Ant. 5. 2. Díliges Dóminum.

Pſalmus 127.

Beáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui ſicut novellæ olivárum * in circúitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jeruſalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem ſuper Iſrael.

Pſalmus 130.

Domine, non eſt exaltátum cor meum; * neque eláti ſunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Iſrael in Dómino * ex hoc nunc, & uſque in ſǽculum.

Pſalmus 144.

EXaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquentur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miséricors Dóminus, * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univerſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Diviſio Pſalmi 144.

COnfiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur;

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſeculórum, * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes eliſos.

Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; * & tu das eſcam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Altera diviſio Pſalmi 144.

JUſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet; * & deprecatiónem eórum exaúdiet, & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligentes ſe, * & omnes peccatóres diſperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Ant. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde

tuo, & próximum tuum ſicut teipſum. *Matth.* 22.

Capitulum. Eccli. 15.

DEus ab inítio conſtítuit hóminem, & reliquit illum in manu consílii ſui: adjécit mandáta & præcepta ſua. Si volúeris mandáta ſerváre, conſervábunt te.

Hymnus.

DUm prona legi nos,
Deus,
Vovére corda díſcimur,
Da mente ſcire quod doces,
Et ſponte quod jubes ſequi.

TE príncipem ſummo,
Deus,
Jubes amóre díligi:
Tibi ſecundùm prótinùs
Jubes amári próximum.

Tu, pacis autor, mútuos
Aſtringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens ſimus.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, ℟. Ut non confundar. *Pſ.* 118.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. a. Non auditóres legis juſti ſunt apud Deum; ſed factóres legis juſtificabuntur. *Rom.* 2.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. E. Conſerva me.

Pſalmus 13.

DIxit inſípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrupti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cœlo proſpexit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepulcrum patens eſt guttur eórum: linguis ſuis dolóse agébant, * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne, & amaritúdine plenum eſt, * velóces pedes eórum ad effundendum ſánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt; * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dóminum non invocavé-

ſunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt : * conſílium ínopis confudíſtis, quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula, * & operátur juſtítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo, * qui non egit dolum in lingua ſua.

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérſùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpectu ejus malígnus; * timentes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecúniam ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Pſalmus 15.

COnſerva me, Dómine, quóniam ſperávi in te; * dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum, * póſteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum : * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpectu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea : * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inferno : * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ : adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo; * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

Ant. Conſerva me, Dómine

mine, quóniam ſperávi in te.

FERIA QUINTA.
AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum omnis grátiæ, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5.

Hymnus.

FUNESTA peccáti lues
Fœdávit humánum genus,
Homo tenébris óbſitus,
Proclívis in malum ruit.

ADES, ſalúbris grátia,
Tanto medéla vúlneri:
Tu lumen addis méntibus,
Robúrque præſtas péctori.

NI luce noſtros prævià
Greſſus benigna dírigas;
Cæci vagámur, ímpares
Sedes meréri pátrias.

TU mórbidas ſeptémplici
Mentes laváctro próluis:
Per hos canáles próſluunt
Noſtræ ſalútis rívuli.

MOVENTIS impulſum Dei,
Mens fida, ſemper éxcipe;
Nec dura vel leviſſimos
Niſus repellas grátiæ.

SIT laus Patri, laus Filio;
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde noſtro fac tuæ
Victus triúmphet grátiæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. b. O quàm bonus.

Pſalmus [illegible]

ERuctávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúſa eſt grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tua & pulcritúdine tua intende, * próſperè procéde & regna.

Propter veritátem & manſuetúdinem & juſtítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli ſub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſéculum ſéculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ conſórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Diviſio Pſalmi 44.

AStitit regína à dextris tuis in veſtitu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíſcet rex decó-

rem tuum : * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs; * in fímbriis aúreis circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines poſt eam : * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii : * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum, * & in ſéculum ſéculi.

Pſalmus 45.

Deus noſter refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus, dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ ſunt aquæ eórum : * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus ; non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna : * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobiſcum ; * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram : * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiſcum : * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Ant. O quàm bonus & ſuávis eſt, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus ! *Sap.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. A. Miſeréris.

Pſalmus 64.

Te decet hymnus, Deus, in Sion ; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exaudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos ; * & impietátibus

pietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ : * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter ; * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ : * qui conturbas profundum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis : * éxitus matutíni & véſpere delectábis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam:* multiplicaſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis : paraſti cibum illórum ; * quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ, * campi tui replebuntur ubertáte.

Pingueſcent ſpecióſa deſerti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento : * clamábunt ; étenim hymnum dicent.

Pſalmus 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi:* voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi ; mánibus meis nocte contra eum : * & non ſum deceptus.

Rénuit conſolári ánima mea ; * memor fui Dei, & delectátus ſum : & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei ; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos æternos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo ; * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus ? * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc ?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcindet, * à generatióne in generatiónem ?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus ? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas ?

Et dixi : Nunc cœpi:* hæc mutátio déxteræ Excelſi.

Diviſio Pſalmi 76.

MEmor fui óperum Dómini ; * quia me-

mor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecíſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus; vidérunt te aquæ, * & timuérunt, & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo sónitûs aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagittæ tuæ tránſeunt, * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ: * commóta eſt & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis: * & veſtígia tua non cognoſcentur.

Deduxíſti ſicut oves pópulum tuum * in manu Móyſi & Aaron.

Ant. Miſeréris ómnium, & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam. *Sap.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Parcis ómnibus.

Pſalmus 84.

Benedixíſti, Dómine, terram tuam; * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ; * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam, * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus ſalutáris noſter; * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcéris nobis; * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu converſus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam, * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum ſalutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra

noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Pſalmus 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam: áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua juſtítia.

Et non intres in judícium cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos séculi, * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine: * defécit ſpíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

Diviſio Pſalmi 142.

AUdítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in miſericórdia tua diſperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Parcis ómnibus; quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11.

℣. Dic ánimæ meæ, Dómine: ℟. Salus tua ego ſum. *Pſ.* 34.

Pater noſter.

AD LAUDES.

Ant. 4. f. Deus.

Pſalmus 20.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex, * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudaſti eum.

Quóniam prævenísti eum

in benedictiónibus dulcédinis ; * poſuiſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te, & tribuiſti ei longitúdinem diérum in ſéculum, * & in ſéculum ſéculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſéculum ſéculi : * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo.

Quóniam rex ſperat in Dómino, * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes ; * & ſemen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala ; * cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Pſalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da,* & juſtítiam tuam fílio regis ;

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum ſole & ante lunam,* in generatióne & generatiónem.

Deſcendet ſicut plúvia in vellus ; * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia & abundántia pacis,* donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare ; * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent : * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ,* omnes gentes ſérvient ei.

Quia liberábit paúperem à potente, * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, *

& ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum ; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper : * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in ſummis móntium : ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus ; * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſécula : * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ,* omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum : * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra : Fiat, fiat.

Pſalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum , * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus ; * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum,* in conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ ; * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ* ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo , omnis terra : * cantáte, & exultáte, & pſállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce pſalmi , * in tubis ductílibus , & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpectu regis Dómini : * moveátur mare & plenitúdo ejus ; orbis terrárum , & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu : ſimul montes exultábunt à conſpectu Dómini , * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia , * & pópulos in æquitáte.

Canticum. Iſ. 12.

COnfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * converſus eſt furor tuus , & conſolátus es me.

Ecce Deus Salvátor meus : * fiduciáliter agam , & non timébo ;

Quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus , * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris, * & dicétis in die illa : Confitémini Dómino , & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus ; * me-

mentóte quóniam excelſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit; * annuntiáte hoc in univerſa terra.

Exulta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî Sanctus Iſrael.

Pſalmus 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus: * Deo noſtro ſit jucunda decoráque laudátio.

Ædíficans Jeruſalem Dóminus; * diſperſiónes Iſraélis congregábit.

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne: * psállite Deo noſtro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum.

Qui dat juméntis eſcam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit, * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timentes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ant. Deus, qui dives eſt in miſericórdia, cùm eſſémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto, ut oſténderet abundantes divítias grátiæ ſuæ. *Epheſ.* 2.

Capitulum. 2. Tim. 1.

DEus nos liberávit, & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ; non ſecundùm ópera noſtra, ſed ſecundùm propóſitum ſuum, & grátiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante témpora ſeculária.

Hymnus.

TUos canámus, Grátia,
Pio triumphos cántico.
Armis tuos victrícibus
Muníre geſtis mílites.
His Orcus armis víncitur;
His clauſtra panduntur poli.
Quid arma non vincant ſacro
Reſperſa Chriſti ſánguine?
Tu ſiſtis ad Chriſti pedes,
Dux blanda, fontem féminam.
Saulum furóre pércitum,
Ceu fulmen, exturbas equo.

Versare mentes éfficax,
Nutu rebelles állicis,
Duriſſimum ſeſe tuo
Cor ſponte ſubmittit jugo.

Te præda captantem volens
Amat ſequi. Nullus trahit
Neceſſitátis ímpetus;
Divína ſed virtus trahit.

Sit laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde noſtro fac tuæ
Virtus triumphet grátiæ.
Amen.

℣. Quid eſt homo, quòd memor es ejus; ℟. Aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum? *Pſ.* 8.

Ad Benedíctus, *Ant.* 3. a. Deus omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. *I. Tim.* 2.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. De plenitúdine ejus.

Pſalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubeſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim univerſi qui ſúſtinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonſtra mihi; * & ſémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvâtor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſéculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm miſericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício, * docébit mites vias ſuas.

Diviſio Pſalmi 24.

UNiverſæ viæ Dómini miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtamentum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nómen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multùm eſt énim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtamentum ipſius ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum, * quóniam ipſe

evellet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî, * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt; * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum, * & dimitte univerſa delicta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniã multiplicáti ſunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam & érue me: * non erubeſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Pſalmus 60.

EXaudi, Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi; * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltaſti me.

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea; * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſécula, * prótegar in velamento alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudiſti oratiónem meam; * dediſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in æternum in conſpectu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſéculum ſéculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus, & grátiam pro grátia. *Joann.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Hauriétis aquas.

Pſalmus 41.

QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulantis.

Quare triſtis es, ánima

mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Diviſio Pſalmi 41.

AD meipſum ánima mea conturbáta eſt; * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo : Suſceptor meus es.

Quare oblítus es meî, & quare contriſtátus incédo, * dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies : Ubi eſt Deus tuus?* Quare triſtis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Pſalmus 42.

JUdica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta : * ab hómine iníquo & dolóſo érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repuliſti ? & quare triſtis incédo, dum afflígit me inimícus ?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam; * ipſa me deduxérunt & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus : * quare triſtis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris. *Iſai.* 12.

Capitulum. Iſai. 55.

OMnes ſitientes, veníte ad aquas; & qui non habétis argentum, properáte, émite, & comédite.

℟. *br.* Flúminis ímpetus * Lætíficat civitátem Dei. ℣. Deus in médio ejus. * Lætíficat civitátem Dei. Glória. ℟. Flúminis. *Pſ.* 45.

℣. Flumen Dei replétum eſt aquis ; paraſti cibum illórum: ℟. Quóniam ita eſt præparátio ejus. *Pſ.* 64.

AD SEXTAM.

Ant. 8. g. Miſericórdiam.

Pſalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri noſtro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum ; * pſaltérium jucundum cum cíthara.

Buccináte in neoménia tuba , * in inſigni die ſolemnitátis veſtræ.

Quia præceptum in Iſrael eſt , * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti : * linguam quam non nóverat , audívit.

Divertit ab onéribus dorſum ejus ; * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

Diviſio Pſalmi 80.

IN tribulatióne invocaſti me , & liberávi te : * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis , probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus , & conteſtábor te : * Iſrael , ſi audíeris me, non erit in te Deus recens , neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus , qui eduxi te de terra Ægypti ; * dilάta os tuum , & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam , * & Iſrael non intendit mihi.

Et dimíſi eos ſecundùm deſidéria cordis eórum ; * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audiſſet me , * Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet :

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliaſſem , * & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei ; * & erit tempus eórum in ſécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti , * & de petra melle ſaturávit eos.

Pſalmus 83.

QUàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum ! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum , * & turtur nidum ſibi , ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum , * Rex meus , & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua , Dómine ! * in ſécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt au-

xílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit!

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noſter áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui.

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te!

Ant. Miſericórdiam & veritátem díligit Deus; grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Capitulum. Rom. 8.

SPíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus fílii Dei: ſi autem fílii, & hærédes.

℟. *br.* Beáta gens * Cujus eſt Dóminus Deus ejus! ℣. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. * Cujus eſt. Glória. ℟. Beáta gens. *Pſ.* 32.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ; ℟. Hæréditas mea præclára eſt mihi. *Pſ.* 15.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Grátia Dei.

Pſalmus 88.

MIſericórdias Dómini * in æternum cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixiſti: In æternum miſericórdia ædificábitur in cœlis;* præparábitur véritas tua in eis.

Diſpóſui teſtamentum electis meis; jurávi David ſervo meo: * Uſque in æternum præparábo ſemen tuum.

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * ſedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in eccléſia ſanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino; * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio ſanctórum: * magnus & terríbilis ſuper omnes qui in circúitu ejus ſunt.

Diviſio Pſalmi 88.

DOmine Deus virtútum, quis ſímilis tibi? * potens es, Dómine; & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliaſti ſicut vulnerátum ſuperbum: * in bráchio virtútis tuæ diſperſiſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundaſti; * Aquilónem & mare tu creaſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.

Miſericórdia & véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus qui ſcit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in juſtítia tua exaltabuntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu noſtrum.

Quia Dómini eſt aſsúmptio noſtra, * & Sancti Iſrael Regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixiſti: * Póſui adjutórium in potente, & exaltávi electum de plebe mea.

Invéni David ſervum meum, * óleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & ſuſceptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelſum præ régibus terræ.

In æternum ſervábo illi miſericórdiam meam: * & teſtamentum meum fidéle ipſi.

Et ponam in ſéculum ſéculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint;

Si juſtítias meas profaná-

verint, * & mandáta mea non cuſtodíerint;

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Miſericórdiam autem meam non diſpergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo teſtamentum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Altera diviſio Pſalmi 88.

SEmel jurávi in ſancto meo, ſi David méntiar: * Semen ejus in æternum manébit.

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, * & ſicut luna perfecta in æternum; & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti & deſpexiſti, * diſtuliſti Chriſtum tuum.

Evertiſti teſtamentum ſervi tui, * profanaſti in terra ſanctuárium ejus.

Deſtruxiſti omnes ſepes ejus; * poſuiſti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes tranſeuntes viam; * factus eſt oppróbrium vicínis ſuis.

Exaltaſti déxteram depriméntium eum; * lætificaſti omnes inimícos ejus.

Avertiſti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello.

Deſtruxiſti eum ab emundatióne, * & ſedem ejus in terram colliſiſti.

Minoraſti dies témporis ejus; * perfudiſti eum confuſióne.

Uſquequò, Dómine, avertis in finem; * exardeſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia: * numquid enim vanè conſtituiſti omnes fílios hóminum?

Quis eſt homo qui vivet, & non vidébit mortem; * éruet ánimam ſuam de manu ínferi?

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * ſicut juraſti David in veritáte tua?

Memor eſto, Dómine, oppróbrii ſervórum tuórum * (quod contínui in ſinu meo) multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine; * quod exprobravérunt commutatiónem Chriſti tui.

Benedictus Dóminus in æternum: * fiat, fiat.

Ant. Grátia Dei, vita æterna in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. *Rom. 6.*

Capitulum. Apoc. 3.

ECce ſto ad óſtium, & pulſo, dicit Dóminus: ſi quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum.

℟. *breve.* Non privábit

bonis eos qui ámbulant * In innocéntia. ℣. Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te! * In innocéntia. Glória. ℟. Non privábit. *Pſ.* 83.

℣. Oculi Dómini ſuper juſtos, ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Pſ.* 33.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Exhortámur.

Pſalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus ſum: * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpectu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus, * ego ſervus tuus, & fílius ancillæ tuæ.

Dirupiſti víncula mea: tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúſalem.

Pſalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ ſuæ, * ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtrî; * quia multùm repléti ſumus deſpectióne.

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbrium abundántibus, & deſpéctio ſuperbis.

Pſalmus 125.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gáudio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiſcum; * facti ſumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in Auſtro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * mittentes ſémina ſua.

Venientes autem vénient

cum exultatióne, * portantes manípulos ſuos.

Pſalmus 131.

MEmento, Dómine, David, * & omnis manſuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei;

Si dédero ſomnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta: * invénimus eam in campis ſilvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus; * adorábimus in loco ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur juſtítiam, * & ſancti tui exultent.

Propter David ſervum tuum, * non avertas fáciem Chriſti tui.

Diviſio Pſalmi 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eum; * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint fílii tui teſtamentum meum, * & teſtimónia mea hæc quæ docébo eos.

Et fílii eórum, uſque in ſéculum, * ſedébunt ſuper ſedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in ſéculum ſéculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * paúperes ejus ſaturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam ſalutári: * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David; * parávi lucernam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne: * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

Ant. Exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. 2. *Cor.* 6.

Capitulum. Eccli. 15.

APpóſuit tibi Deus aquam & ignem: ad quod volúeris, pórrige manum tuam. Ante hóminem vita & mors, bonum & malum: quod placúerit ei, dábitur illi.

Hymnus.

SUPERBA gens mortálium,
Faſtu profáno quid tumes?
Quodcumque rectum pérficis,

Dei faventis munus eſt.

Nil viribus debes tuis.
Ni, fons ſalútis, Grátia
Tuos labóres próvehat,
Nil, vana virtus, éfficis.

Dat velle, dat rectum ſequi,
Dat ipſe quod jubet, Deus.
Dum nos corónat, & ſua
Simul corónat múnera.

Poscamus ergo ſúpplices
Cœleſte donum grátiæ;
Nec, ſponte quod præbet Deus,
Rebelle pectus réſpuat.

Sit laus Patri, laus Fílio:
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde noſtro fac tuæ
Virtus triumphet Grátiæ.
Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quàm abſcondiſti timéntibus te! *Pſ.* 30.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. b. Qui perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Matth.* 10.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. f. Exaudi.

Pſalmus 31.

BEáti quorum remiſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua: * converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſiſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac qua gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum conſtringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris; * ſperantem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti; * & gloriámini, omnes recti corde.

Pſalmus 38.

DIxi : Cuſtódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam, * cùm conſíſteret peccátor adversùm me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſílui à bonis; * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me; * & in meditatióne mea exardeſcet ignis.

Locútus ſum in lingua mea : * Notum fac mihi, Dómine, finem meum.

Et númerum diérũ meórum, quis eſt; * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuiſti dies meos : * & ſubſtántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen univerſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertranſit homo : * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Diviſio Pſalmi 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium inſipienti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu feciſti : * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus :* propter iniquitátem corripuiſti hóminem.

Et tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam : * aúribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrígerer priuſquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Invitat. Chriſtum qui paſſus eſt pro nobis, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2.

Hymnus.

O Mira Patris cáritas!
Sic ille dilexit ſuos,
Ut ſponte natum tráderet;
Servi fit obſes Filius.

Splendoris ímmemor ſui,
Noſtræ ſalútis fit memor:
Ut nos in altum próvehat,
Ad ima deſcendit Deus.

Per mille fuſum vúlnera
Totum dat orbi ſánguinem;

Hoc fonte naſcens grátia;
Terras inundans éxpiat.

Dum cæſa tortóris manu
Procumbit inſons víctima;
Hanc ímmolat cœlo Pater,
Hanc mactat in terris amor.

Qui nos creávit, laus Patri,
Qui nos redémit Filio;
Fovens redemptos Grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. b. Deus.

Pſalmus 51.

Quid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injuſtítiam cogitávit lingua tua: * ſicut novácula acúta feciſti dolum.

Dilexiſti malítiam ſuper benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexiſti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolóſa.

Proptéreà Deus déſtruet te in finem; * evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terrà vivéntium.

Vidébunt juſti, & timébunt; & ſuper eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo qui non póſuit Deum adjutórem ſuum;

Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum, * & præváluit in vanitáte ſua.

Ego autem ſicut olíva fructífera in domo Dei: * ſperávi in miſericórdia Dei in æternum, & in ſéculum ſéculi.

Confitébor tibi in ſéculum quia feciſti, * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpectu ſanctórum tuórum.

Pſalmus 54.

Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea, * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira moleſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me, * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me, * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? * & volábo, & requieſcam.

Ecce elongávi fugiens, * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit * à puſillanimitáte ſpíritûs & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dí-

vide linguas eórum;* quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas, * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixiſſet mihi, * ſuſtinuiſſem útique.

Et ſi is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuiſſet, * abſcondiſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum conſenſu.

Véniat mors ſuper illos * & deſcendant in infernum viventes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi, * & Dóminus ſalvábit me.

Diviſio Pſalmi 54.

VEſpere & mane & merídie narrábo, & annuntiábo; * & exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi,* quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſécula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deum: * extendit manum ſuam in retribuendo.

Contaminavérunt teſtamentum ejus, diviſi ſunt ab ira vultûs ejus; * & appropinquávit cor illíus.

Molliti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum, * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in æternum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, dedúces eos * in púteum intéritûs.

Viri ſánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos; * ego autem ſperábo in te, Dómine.

Ant. Deus erat in Chriſto, mundum reconcílians ſibi. 2. *Cor.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Tráditus eſt.

Pſalmus 58.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris ſánguinum ſalva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea,

neque peccátum meum, Dómine; * ſine iniquitáte cucurri & direxi.

Exurge in occurſum meum, & vide; * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Iſrael.

Intende ad viſitandas omnes gentes: * non miſereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad véſperam, & famem patientur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Diviſio Pſalmi 58.

FOrtitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſceptor meus es: * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſtendet mihi ſuper inimícos meos: ne occídas eos; * nequandò obliviſcantur pópuli mei.

Diſperge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protector meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipsórum; * & comprehendantur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabuntur in conſummatióne: * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Convertentur ad véſperam, & famem patientur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergentur ad manducandum; * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultábo manè miſericórdiam tuam.

Quia factus es ſuſceptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: * Deus meus, miſericórdia mea.

Pſalmus 63.

EXaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor; * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexiſti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas; * intendérunt arcum rem amáram, ut ſagittent in occultis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt; * firmavérunt ſibi ſermónem nequam.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos; * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes; * defecérunt ſcrutantes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum, * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum, * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos, * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Tráditus eſt Chriſtus propter delicta noſtra. *Rom.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. a. Ipſe eſt.

Pſalmus 68.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam.

Infixus ſum in limo profundi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempeſtas demerſit me.

Laborávi clamans; raucæ factæ ſunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injuſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam, * & delicta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubeſcant in me, qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſrael.

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam, * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtimentum meum cilícium, * & factus ſum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur, qui ſedébant in porta, * & in me pſallébant, qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaudi me, *

in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto ut non infígar, * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demergat tempéſtas aquæ, neque absórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum.

Diviſio Pſalmi 68.

EXaudi me, Dómine, quóniam benigna eſt miſericórdia tua: * ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropérium meum, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpectu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meam fel, * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum, ne vídeant, * & dorſum eórum ſemper incurva.

Effunde ſuper eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deſerta, * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt, * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum, * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium, * & cum juſtis non ſcribantur.

Ego ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Altera diviſio Pſalmi 68.

LAudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

Vídeant paúperes, & læténtur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra.

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpexit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam, * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Ipſe eſt propitiátio pro peccátis noſtris: non pro noſtris tantùm, ſed étiam pro totíus mundi. 1. *Joann.* 2.

℣. Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemiſti. *Pſ.* 70.

Pater noſter.

AD LAUDES.

Ant. 7. ſ. Juſtus perit.

Pſalmus 69.

DEus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me feſtína.

Confundantur, & revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, & erubeſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur in te, omnes qui quærunt te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Pſalmus 70.

IN te, Dómine, ſperávi, non confundar in æternum: * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, * ut ſalvum me fácias.

Quóniam firmamentum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero: * de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantátio mea ſemper: * tanquam prodígium factus ſum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi, * & qui cuſto-

diébant ánimam meam, consílium fecérunt in unũ,

Dicentes: Deus derelíquit eum; * perſequímini & comprehéndite eum, quia non eſt qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réſpice.

Confundantur & defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiantur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo, * & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Diviſio Pſalmi 70.

OS meum annuntiábit juſtítiam tuam, * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Deus, docuiſti me à juventúte mea; * & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et uſque in ſenectam & ſénium: * Deus, ne derelinquas me;

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt;

Poténtiam tuam & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima quæ feciſti, magnália; * Deus, quis ſímilis tibi?

Quantas oſtendiſti mihi tribulatiónes, multas & malas! & converſus vivificaſti me, * & de abyſſis terræ íterùm reduxiſti me.

Multiplicaſti magnificéntiam tuam, * & converſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam: * Deus, pſallam tibi in cíthara, Sanctus Iſrael.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea quam redemiſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuam, * cùm confúſi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Canticum Habacuc, 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum; * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis.

Deus ab auſtro véniet; * & Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus; * & laudis ejus plena eſt terra.

Splendor ejus ut lux erit; * córnua in mánibus ejus.

Ibi abſcóndita eſt fortitúdo

túdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus ; * ſtetit, & menſus eſt terram.

Aſpexit, & diſſolvit gentes: * & contríti ſunt montes ſéculi.

Incurváti ſunt colles mundi* ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ:* turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine; * aut in flumínibus furor tuus, vel in mari indignátio tua?

Qui aſcendes ſuper equos tuos, * & quadrígæ tuæ ſalvátio.

Súſcitans ſuſcitábis arcum tuum, * juramenta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios ſcindes terræ : vidérunt te, & doluérunt montes ; * gurges aquárum tránſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuam : * altitúdo manus ſuas levávit.

Sol & luna ſtetérunt in habitáculo ſuo ; * in luce ſagittárum tuárum ibunt, in ſplendóre fulgurantis haſtæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obſtupefácies gentes.

Egreſſus es in ſalútem pópuli tui, * in ſalútem cum Chriſto tuo.

Percuſſiſti caput de domo ímpii;* denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum.

Maledixiſti ſceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad diſpergendum me.

Exultátio eórum * ſicut ejus qui dévorat paúperem in abſcóndito.

Viam feciſti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus eſt venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óſſibus meis, * & ſubter me ſcáteat ;

Ut requieſcam in die tribulatiónis, * ut aſcendam ad pópulum accinctum noſtrum.

Ficus enim non florébit, * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ, * & arva non áfferent cibum.

Abſcindétur de ovíli pecus, * & non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quaſi cervórum.

Et ſuper excelſa mea dúcet me victor * in pſalmis canentem.

Pſalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, * pſallam Deo meo quámdiù fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis ſunt!

Qui cuſtódit veritátem in ſéculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit eliſos, * Dóminus díligit juſtos.

Dóminus cuſtódit ádvenas: pupillum & víduam ſuſcípiet, * & vias peccatórum diſperdet.

Regnábit Dóminus in ſécula; * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

Ant. Juſtus perit, & non eſt qui recógitet in corde ſuo. *Iſai.* 57.

Capitulum. Hebr. 12.

ASpicientes in auctórem fidei, & conſummatórem Jeſum, qui, propóſito ſibi gaúdio, ſuſtínuit crucem, confuſióne contemptâ, recogitáte eum, ut ne fatigémini ánimis veſtris deficientes.

Hymnus.

QUICUMQUE defixam cruci
Dei vides imáginem,
Simulque diro cónſpicis
Mucróne confoſſum latus;

AGNOSCE, quanto vúlnere
Natúra læſa décidit.
Divínus en tanti cruor
Medéla ſola vúlneris.

NOS ergo Chriſtus ínnocens
Livóre ſanávit ſuo;
Noſtroſque languóres tulit
Ut lánguidis foret ſalus.

QUI tanta paſſus es, Deus,
Fac, írritus non ſit labor;
Nec ſânguinis fructum tui
Sinas nocentes pérdere.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio:
Fovens redemptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum; ℟. Quia factus es ſpes mea, Deus. *Pſ.* 60.

Ad Bened. *Ant.* 5. 2. Commendat caritátem ſuã Deus in nobis; quóniam, cùm peccatóres eſſémus,

Chriſtus pro nobis mórtuus eſt. *Rom.* 5.

AD PRIMAM.

Ant. 3. c. Recogitáte.

Pſalmus 34.

JUdica, Dómine, nocentes me; * expugna impugnantes me.

Apprehende arma & ſcutum, * & exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam, & conclúde adversùs eos qui perſequuntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundantur & revereantur, * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, & confundantur, * cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * & ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum, * & ángelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratis abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui: * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat, & cáptio quam abſcondit, apprehendat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuó.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis ſímilis tibi!

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Diviſio Pſalmi 34.

SUrgentes teſtes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam: * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et adversùm me lætáti ſunt, & convenérunt; * congregáta ſunt ſuper me flagella, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compuncti: tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frendúerunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies; * reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléſia magna; * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adverſantur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * & in iracúndiâ terræ loquentes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: * dixérunt; Euge, euge; vidérunt óculi noſtri.

Vidiſti, Dómine, ne ſíleas: * Dómine, ne diſcédas à me.

Altera diviſio Pſálmi 34.

EXurge, & intende judício meo; * Deus meus, & Dóminus meus, in cauſam meam.

Júdica me ſecundùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ; * nec dicant; Devorávimus eum.

Erubeſcant & revereantur ſimul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquuntur ſuper me.

Exultent & lætentur qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Recogitáte eum qui talem ſuſtínuit à peccatóribus adverſùm ſemetipſum contradictiónem. *Hebr.* 12.

AD TERTIAM.

Ant. 4. D. Recordáre.

Pſalmus 25.

JUdica me, Dómine; quóniam ego in innocéntia mea ingreſſus ſum, * & in Dómino ſperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut aúdiam vocem laudis, * & enarrem univerſa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris ſánguinum vitam meam:

In quorum mánibus ini-

quitátes ſunt, * déxtera eórum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingreſſus ſum; * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in directo; * in eccléſiis benedícam te, Dómine.

Pſalmus 39.

EXpectans expectávi Dóminum, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas, * & eduxit me de lacu miſériæ, & de luto fecis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos, * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi, & timébunt, * & ſperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, * & non reſpexit in vanitátes & insánias falſas!

Multa feciſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non eſt qui símilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluiſti, * aures autem perfeciſti mihi.

Holocauſtum & pro peccáto non poſtulaſti; * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Diviſio Pſalmi 39.

ANnuntiávi juſtítiam tuam in eccléſia magna: * ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcondi in corde meo; * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcondi miſericórdiam tuam & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capillos cápitis mei, * & cor meum dereliquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me; * Dómine, ad adjuvandum me réſpice.

Confundantur & reveréantur ſimul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsùm & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur ſuper te, omnes quærentes te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

Adjútor meus, & protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Recordáre paupertátis, absínthii & fellis. *Thren.* 3.

Capitulum. 1. *Petr.* 4.

CHriſto paſſo in carne, & vos eádem cogitatióne armámini; quia qui paſſus eſt in carne, déſiit à peccátis.

℟. *breve.* Protector noſter, * Aſpice, Deus. ℣. Et réſpice in fáciem Chriſti tui. * Aſpice, Deus. Glória. Protector. *Pſ.* 83.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; ℟. Effúndite coràm illo corda veſtra. *Pſ.* 61.

AD SEXTAM.

Ant. 8. g. Hæc récolens.

Pſalmus 21.

DEus, Deus meus, réſpice in me: quare me dereliquiſti? * longè à ſalúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaúdies: * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri: * ſperavérunt, & liberaſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum & abjéctio plebis.

Omnes videntes me, deriſérunt me: * locúti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxiſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ, in te projectus ſum ex útero.

Diviſio Pſalmi 21.

DE ventre matris meæ, Deus meus es tu; * ne diſcéſſeris à me.

Quóniam tribulátio próxima eſt, * quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os

ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum, * & diſperſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faúcibus meis; * & in púlverem mortis deduxiſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi veró conſideravérunt & inſpexérunt me; * diviſérunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuũ à me; * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam; * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis; * in médio eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univerſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael, * quóniam non ſprevit neque deſpexit deprecatiónem paúperis:

Nec avertit fáciem ſuam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Altera diviſio Pſalmi 21.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpectu timéntium eum.

Edent paúperes, & ſaturabuntur, & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in ſéculum ſéculi.

Reminiſcentur & convertentur ad Dóminum * univerſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpectu ejus * univerſæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum, * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpectu ejus cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet, * & ſemen meum ſérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Hæc récolens in

corde meo, ídeò ſperábo. *Thren.* 3.

Capitulum. 1. *Tim.* 2.

UNus mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetipſum pro ómnibus.

℟. *br.* Deus meus es tu, * Ne diſcéſſeris à me. ℣. Quóniam non eſt qui ádjuvet. * Ne diſcéſſeris à me. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 21.

℣. Aliéni inſurrexérunt adversùm me; ℟. Dóminus ſuſceptor eſt ánimæ meæ. *Pſ.* 53.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Mihi abſit.

Pſalmus 30.

IN te, Dómine, ſperávi, non confundar in ætérnum; * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii: * ut ſalvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas comméndo ſpíritum meum: * redemiſti me, Dómine Deus veritátis.

Odiſti obſervantes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo, & lætábor in miſericórdia tua.

Quóniam reſpexiſti humilitátem meam; * ſalvaſti de neceſſitátibus ánimam meam.

Nec concluſiſti me in mánibus inimíci; * ſtatuiſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valde, * & timor notis meis.

Qui vidébant me, foràs fugérunt à me: * oblivióni datus ſum tanquam mórtuus à corde.

Factus ſum tanquam vas pérditum; * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent ſimul adversùm me; * accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi,

Dómine : * dixi : Deus meus es tu ; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum , * & à perſequéntibus me.

Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum ; ſalvum me fac in miſericórdia tua ; * Dómine, non confundar, quóniam invocávi te.

Erubeſcant ímpii, & deducántur in infernum ; * muta fiant lábia dolóſa,

Quæ loquuntur adversùs juſtum iniquitátem, * in ſupérbia, & in abuſióne.

Altera diviſio Pſalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondiſti timéntibus te!

Perfeciſti eis qui ſperant in te, * in conſpectu filiórum hóminum.

Abſcondes eos in abſcóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus, * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ : * Projectus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudiſti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus, * quóniam veritátem requíret Dóminus , & retríbuet abundanter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Ant. Mihi abſit gloriári niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Gal.* 6.

Capitulum. 1. *Petr.* 2.

CArìſſimi, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequámini veſtígia ejus.

℟. *br.* Ego, Dómine, * In flagella parátus ſum. ℣. Et dolor meus in conſpectu meo ſemper. * In flagella parátus ſum. Glória. ℟. Ego, Dómine. *Pſ.* 37.

℣. In Deo ſalutáre meum & glória mea ; ℟. Deus auxílii mei , & ſpes mea in Deo eſt. *Pſ.* 61.

AD VESPERAS.

Ant. 4. A. Próprio Fílio ſuo.

Pſalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael:

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea ; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres, *

prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum : * confundantur & convertantur retrorsùm omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priuſquam evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum ſuam qui metit, * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini ſuper vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Pſalmus 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt, * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus, * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Pſalmus 139.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die conſtituébant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpentis : * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, * abſcondérunt ſuperbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum, * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Diviſio Pſalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitûs eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes, in ignem dejícies eos: *

in miſériis non ſubſiſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra : * virum injuſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen juſti confitebuntur nómini tuo ; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Pſalmus 141.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum.

Effundo in conſpectu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio.

In deficiendo ex me ſpíritum meum ; * & tu cognoviſti ſémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam ; * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine ; * dixi : Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me, * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam ad confitendum nómini tuo : * me expectant juſti, donec retríbuas mihi.

Ant. Próprio Fílio ſuo non pepercit Deus; ſed pro nobis ómnibus trádidit illum. *Rom.* 8.

Capitulum. 2. *Cor.* 5.

CAritas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quóniam ſi unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt. Et pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt.

Hymnus.

SPERATE, Mortáles, gravi
Peccáta quos premunt jugo :
Qui ſanguis in terras fluit,
Veſtræ ſalútis pignus eſt.

DIVINA mundi Víctima,
Amando non ſervas modum.
Cur totus it venis cruor ?
Guttam dediſſe ſúfficit.

IMMENSUS hoc Amor jubet,
Suaſque dat leges tibi.
Hic ſolus impónit crucem,
Et crux amanti fit levis.

SIC ergo, Chriſte, nos amas ?
Salváre ſic mundum juvat?
O ter beátum ! cui licet
Tecum pati, tecum mori.

Qui nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio:
Fovens redemptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Deo ſubjecta eſto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. d. Si quis non amat Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anáthema. *I. Cor.* 16.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. a. Dómine.

Pſalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt & corruptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem; * totâ die contriſtátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus, * & non eſt sánitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliátus ſum nimis, * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Diviſio Pſalmi 37.

COr meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi: * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, ſuper

me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagella parátus ſum, * & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus; * ne diſcéſſeris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Pſalmus 55.

MIſerére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur; * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcondent, * ipſi calcáneum meum obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimam meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * poſuiſti lácrymas meas in conſpectu tuo,

Sicut & in promiſſióne tua: * tunc convertentur inimíci mei retrorsùm.

In quacumque die invocávero te, * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo ſermónem: * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua quæ reddam, * laudatiónes tibi.

Quóniam eripuiſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine viventium.

Ant. Dómine, ante te omne deſidérium meum; & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

SABBATO

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum reddentem juſtis mercédem labórum ſuórum, * Veníte, adorémus. *Sap.* 10.

Hymnus.

HOMO creátur; hunc Deus
Cœleſtis oris hálitu
Succendit, & vivam ſuî
Spiráre dat imáginem.

HEU! cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit;
Deo ſuperbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

HINC pœna peccáti, labor
Cum patre natos óbruit.
Hinc terra cultóris manu
Verſanda ſpinas prótulit.

OMNES dolóris filii;
Omnes labóri náſcimur.
Inter labóres vívimus,
Labóre vitam claúdimus.

AT non caret fructu labor,
Factus medéla críminis:
Corpus domat, cor érigit,
Et munit ad cœlum viam.

QUI nos corónat, laus Patri;
Qui nos redémit, Filio:
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Ego.

Pſalmus 16.

EXaudi, Dómine, juſtítiam meam; * intende deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat; * óculi tui vídeant æquitátes.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: * igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, * ut non moveantur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudiſti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Diviſio Pſalmi 16.

MIrífica miſericórdias tuas, * qui ſalvos facis ſperantes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt; ádipem ſuum concluſérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projicientes me, nunc circumdedérunt me; * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dómine, præveni eum, & ſupplanta eum: * éripe ánimam

meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt filiis, * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo; * ſatiábor cùm appáruerit glória tua.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univerſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcendet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Ant. Ego in juſtítia apparébo conſpéctui tuo, Dómine; ſatiábor cùm appáruerit glória tua.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Apud te.

Pſalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dóminus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant ſuper me nocentes, * ut edant carnes meas;

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt.

Si conſiſtant adversùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ;

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcondit me in tabernáculo ſuo ; * in die malórum protexit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis : * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te ; * miſerére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum : Exquisívit te fácies mea ; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me, * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto ; * ne derelínquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me ; * Dóminus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me ; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age, * & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum.

Pſalmus 35.

DIxit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo : * non eſt timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóſè egit in conſpectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus : * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubíli ſuo ; * áſtitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo miſericórdia tua ; * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei, * judícia tua abyſſus multa.

Hómines & jumenta ſalvábis, Dómine : * quemádmodùm multiplicaſti miſericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum ſperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te eſt fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende miſericórdiam

tuam ſciéntibus te, * & juſtítiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non véniat mihi pes ſupérbiæ, * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem, * expulſi ſunt, nec potuérunt ſtare.

Ant. Apud te, Dómine, eſt fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Glorióſa.

Pſalmus 46.

OMnes gentes, plaúdite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excelſus, terríbilis: * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditátem ſuam, * ſpéciem Jacob quam diléxit.

Aſcendit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite: * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite ſapienter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti ſunt.

Pſalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univerſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi videntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturientis; * in ſpíritu vehementi cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in æternum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleſtímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, * & diſtribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſéculum ſéculi: * ipſe reget nos in ſécula.

Pſalmus 86.

FUndamenta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum: * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium * ómnium habitátio eſt in te.

Ant. Glorióſa dicta ſunt de te, cívitas Dei.

℣. Inclinávi cor meum ad faciendas juſtificatiónes tuas in æternum, ℟. Propter retributiónem. *Pſ.* 118

Pater noſter.

AD LAUDES.

Ant. 2. D. Non ſunt.

Pſalmus 57.

SI vere útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concinnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecundùm ſimilitúdinem ſerpentis, * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas;

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis ſapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decurrens: * intendit arcum ſuum, donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur; * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priuſquàm intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.

Lætábitur juſtus, cùm víderit vindictam: * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique

eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Pſalmus 66.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus: * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur & exultent gentes, * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter; benedícat nos Deus, * & métuant eum omnes fines terræ.

Pſalmus 75.

NOtus in Judæa Deus: * in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis; * turbáti ſunt omnes inſipientes corde.

Dormiérunt ſomnum ſuum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es; & quis reſiſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium: * terra trémuit, & quiévit.

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro; * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera;

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Cantic. Moyſi, Deut. 32.

AUdite, cœli, quæ loquor; * aúdiat terra verba oris mei.

Concreſcat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum.

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper grámina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro: * Dei perfecta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte, * juſtus & rectus.

Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus, * generátio prava atque perverſa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule ſtulte & insípiens?

Numquid non ipſe eſt pater tuus, * qui poſsédit te, & fecit & creávit te?

Meménto diérum antiquórum; * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi:

Quando dividébat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat fílios Adam;

Conſtítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Iſrael.

Pars autem Dómini pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra deſerta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis.

Circumduxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupillam óculi ſui.

Sicut áquila próvocans ad volandum pullos ſuos, * & ſuper eos vólitans,

Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit, * & non erat cum eo Deus aliénus.

Conſtítuit eum ſuper excelſam terram, * ut coméderet fructus agrórum:

Ut súgeret mel de petra, * oleumque de ſaxo duríſſimo;

Bútyrum de armento, & lac de óvibus; * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan:

Et hircos cum medulla trítici, * & sánguinem uvæ bíberet meraciſſimum.

Incraſsátus eſt diléctus, & recalcitrávit: * incraſsátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem ſuum, * & receſſit à Deo ſalutári ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo, * diis quos ignorábant.

Novi recenteſque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquiſti; * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; * quia provocavérunt eum filii ſui, & fíliæ.

Et ait: Abſcondam fáciem meam ab eis, * & conſiderábo noviſſima eórum.

Generátio enim perverſ

ſa eſt, * & infidéles fílii.

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus ; * & irritavérunt in vanitátibus ſuis.

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccenſus eſt in furóre meo, * & ardébit uſque ad inferni noviſſima.

Devorabitque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundamenta combúret.

Congregábo ſuper eos mala, * & ſagittas meas complébo in eis.

Conſumentur fame ; * & devorábunt eos aves morſu amaríſſimo.

Dentes beſtiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtábit eos gládius, & intùs pavor ; * júvenem ſimul ac vírginem, lactentem cum hómine ſene.

Dixi : Ubinam ſunt ? * ceſsáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum díſtuli, * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent : Manus noſtra excelſa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

Gens abſque conſílio eſt, & ſine prudéntia : * útinam ſáperent & intellígerent, ac noviſſima providérent !

Quómodò perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia.

Nonne ídeò quia Deus ſuus véndidit eos, * & Dóminus conclúſit illos ?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum ; * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis, * & botri amaríſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áſpidum inſanábile.

Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſauris meis ?

Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà eſt dies perditiónis, * & adeſſe feſtínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum ſuum ; * & in ſervis ſuis miſerébitur.

Vidébit quòd infirmáta ſit manus ; * & clauſi quoque defecérunt, reſiduíque conſumpti ſunt.

Et dicet : Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam ;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum ?

Surgant, & opitulentur

vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vivere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit érúere.

Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea;

Reddam ultiónem hóſtibus meis; * & his qui odérunt me, retríbuam.

Inebriábo ſagittas meas ſánguine, * & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum; * & de captivitáte nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur.

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Pſalmus 116.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. *Rom.* 8.

Capitulum. 1. *Cor.* 9.

NEſcítis quòd ii qui in ſtádio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus áccipit bravíum? *Sic cúrrite ut comprehendátis:*

Hymnus.

PUGNATE, Chriſti mílites;
Fortes fide resíſtite.
Immenſa promíſit Deus
Pio labóri præmia.

NON ille fluxas ac leves
Palmas dabit vincéntibus;
Sed lucis ætérnæ decus,
Et pura ſemper gaúdia.

MENTES beátas éxcipit
Formóſa cœlitum domus.
Hìc turba cœlis áltior,
Subjecta calcat sídera.

CADUCA vobis præmia
Offert levis mundi favor.
Vultus ad aſtra tóllite;
En ipſe ſit merces Deus.

HUC certa nos ſpes évocat:
Huc vota tendant ómnia;
Nec térreat brevis labor,
Ætérna quos merces manet.

QUI nos corónat, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio!
Almâ juvans nos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dómine, quis requieſcet in monte ſancto tuo?
℟. Qui ingréditur ſine má-

cula, & operátur juſtítiam. *Pſ.* 14.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Vitam illam expectámus quam Deus datúrus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2.

AD PRIMAM.

Ant. 7. *d.* Conténdite.

Pſalmus 40.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conſervet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra; * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus: * univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî: * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur foras, * & loquebátur in idipſum.

Adversùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei, * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt adversùm me; * numquid qui dormit, non adjíciet ut reſurgat?

Etenim homo pacis meæ in quo ſperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſerére meî, & resúſcita me; * & retribuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluiſti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepiſti, * & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Iſrael à ſéculo, & uſque in ſéculum: * Fiat, fiat.

Pſalmus 98.

DOminus regnávit, iraſcantur pópuli: * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excèlſus ſuper omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt; * & honor regis judícium díligit.

Tu paraſti directiónes: * judícium & juſtítiam in Jacob tu feciſti.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte ſcabellum pedum ejus, * quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in ſacerdótibus ejus, * & Sá-

muel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos: * in columna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus; * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter.

Pſalmus 107.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & pſallam in glória mea.

Exurge, glória mea; exurge, pſaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & pſallam tibi in natiónibus.

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberentur dilecti tui: * ſalvum fac dézterâ tuâ, & exaudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo: * exultábo, & dívidam Síchimam; & convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manaſſes: * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab lebes ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos; * & non exíbis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

Ant. Conténdite intráre per anguſtam portam. *Luc.* 13.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Vincenti dabo.

Pſalmus 87.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpectu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam,

Quia repléta eſt malis ánima

ánima mea, * & vita mea inferno appropinquávit.

Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum: * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormientes in ſepulchris, quorum non es memor ámpliùs, * & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Longè feciſti notos meos à me: * poſuérunt me abominatiónem ſibi.

Tráditus ſum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Diviſio Pſalmi 87.

CLamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília; * aut médici ſuſcitábunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepulcro miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcentur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam; * avertis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus ſum & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die; * circumdedérunt me ſimul.

Elongaſti à me amícum & próximum; * & notos meos à miséria.

Pſalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in eccléſia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum, * & fílii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & pſaltério pſallant ei.

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo; * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória, * lætabuntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum;

Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligándos reges eó-

rum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis;

Ut fáciant in eis judícium conſcriptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod eſt in paradíſo Dei mei. *Apoc.* 2.

Capitulum. Apoc. 2.

Vincenti dabo manna abſcónditum, & dabo illi cálculum cándidum; & in cálculo nomen novum ſcriptum quod nemo ſcit, niſi qui áccipit.

℟. *br.* Juſti * Hæreditábunt terram. ℣. Et inhabitábunt in ſéculum ſéculi ſuper eam.* Hæreditábunt terram. Glória. ℟. Juſti. *Pſ.* 36.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, ℟. Omnes qui ſperátis in Dómino. *Pſ.* 30.

AD SEXTAM.

Ant. 1. g. Unuſquiſque.

Pſalmus 100.

Miſericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Pſallam, & intélligam in via immaculáta: * quando vénies ad me?

Perambulábam in innocéntia cordis mei * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injuſtam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum; * declinantem à me malignum non cognoſcébam.

Detrahentem ſecrétò próximo ſuo, * hunc perſequébar.

Superbo óculo, & inſatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ qui facit ſupérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conſpectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operantes iniquitátem.

Pſalmus 108.

Deus, laudem meam ne tacúeris, * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apertum eſt.

Locúti ſunt adversùm me linguâ dolóſâ; * & ſermónibus ódii circumdedérunt me, & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi: * ego autem orábam.

Et poſuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Conſtítue ſuper eum peccatórem ; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus ; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci, * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur filii ejus, & mendícent ; * & ejiciantur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpectu Dómini ; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper : & diſpéreat de terra memória eórum ; * pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam.

Et perſecútus eſt hóminem ínopem & mendícum, * & compunctum corde, mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei : * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtimentum ; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtimentum quo operítur ; * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum ; * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Diviſio Pſalmi 108.

ET tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum, * quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum, * & cor meum conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra cùm declínat, ablátus ſum, * & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt propter óleũ.

Et ego factus ſum oppróbrium illis : * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus : * ſalvum me fac ſecundùm miſericórdiam tuam.

Et ſciant quia manus tua hæc : * & tu, Dómine, feciſti eam.

Maledícent illi, & tu

benedíces : * qui inſurgunt in me, confundantur ; ſervus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre : * & operiantur ſicut diplóide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum.

Quia áſtitit à dextris páuperis, * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meam.

Ant. Unuſquiſque própriam mercédem accípiet ſecundùm ſuum labórem. *I. Cor.* 3.

Capitulum. 2. Cor. 4.

QUod in præſenti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis.

℟. *br.* Expecta Dóminum, * Cuſtódi viam ejus. ℣. Ut hæreditáte cápias terram. * Cuſtódi viam ejus. Glória. ℟. Expecta. *Pſ.* 36.

℣. Judícia Dómini vera ; ℟. In cuſtodiendis illis retribútio multa. *Pſ.* 18.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Qui ámbulat.

Pſalmus 59.

DEus, repuliſti nos, & deſtruxiſti nos : * irátus es, & miſertus es nobis.

Commoviſti terram, & conturbaſti eam : * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendiſti pópulo tuo dura ; * potaſti nos vino compunctiónis.

Dediſti metuéntibus te ſignificatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs,

Ut liberentur dilecti tui : * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo : * Lætábor, & partíbor Síchimam, & convallem tabernaculórũ metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manaſſes ; * & Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceaméntum meum ; * mihi alienígenæ súbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me uſque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos ; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem ; * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

Pſalmus 78.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jerúſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris; * ſubſannátio & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine, iraſcéris in finem? * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum; citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ, * quia paúperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter; * & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Et propítius eſto peccátis noſtris * propter nomen tuum.

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi eſt Deus eórum?

Et innoteſcat in natiónibus coram óculis noſtris * últio ſánguinis ſervórum tuórum, qui effúſus eſt.

Intróeat in conſpectu tuo * gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui * póſſide fílios mortificatórum.

Et redde vicínis noſtris ſéptuplum in ſinu eórum, * impropérium ipsórũ quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſéculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Pſalmus 82.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus.

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt adversùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente, * & non memorétur nomen Iſrael ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter: * ſimul adversùm te teſtamentum diſpo-

ſuérunt tabernácula Idumæórum & Iſmaelítæ.

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec, * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Aſſur venit cum illis : * facti ſunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis ſicut Mádian & Síſaræ, * ſicut Jabin in torrente Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor ; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum ſicut Oreb & Zeb, * & Zébee & Sálmana :

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt : Hæreditáte poſſideámus ſanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit ſilvam, * & ſicut flamma combúrens montes ;

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubeſcant & conturbentur in ſéculum ſéculi, * & confundantur, & péreant.

Et cognoſcant quia nomen tibi Dóminus : * tu ſolus Altíſſimus in omni terra.

Ant. Qui ámbulat in juſtítiis, iſte in excelſis habitábit ; Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus. *Iſ.* 33.

Capitulum. Galat. 6.

BOnum facientes non deficiámus ; témpore enim ſuo metémus non deficientes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonū.

℟. *br.* Quærite Dóminum, * Et confirmámini. ℣. Quærite fáciem ejus ſemper. * Et confirmámini. Glória. ℟. Quærite. *Pſ.* 104.

℣. Beáti qui cuſtódiunt judícium, ℟. Et fáciunt juſtítiam in omni témpore. *Pſ.* 105.

AD VESPERAS QUÆ SUNT PRIMÆ DE DOMINICA.

Duplex.

[*Ab Adventu ad Præſentationem Domini (niſi Septuageſima intervenerit) Antiphona, Capitulum, Hymnus ℣. &c. habentur in Proprio Temporis.*]

In Sabbatis per annum

Ant. 4. D. Convértere.

Pſalmus 114.

DIlexi ; quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem ſuam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam, * miſéricors Dóminus & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus: * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus beneſécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus beneſécit tibi.

Ant. 1. a. Lætátus ſum.

Pſalmus 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem.

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſrael ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

Ant. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: In domum Dómini íbimus.

Ant. 7. c. Illîc.

Pſalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum * habitáre fratres in unum!

Sicut unguentum in cápite * quod deſcendit in barbam, barbam Aaron;

Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, * ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion;

Quóniam illîc mandávit Dóminus benedictiónem * & vitam uſque in ſéculum.

Ant. Illîc mandávit Dóminus benedictiónem, & vitam uſque in ſéculum.

Ant. 2. D. Si oblítus fúero.

Pſalmus 136.

SUper flúmina Babylónis, illîc sédimus, & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In ſalícibus in médio ejus * ſuſpéndimus órgana noſtra.

Quia illîc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos: *

Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non memínero tuî;

Si non propoſúero Jerúſalem * in princípio lætitiæ meæ.

Memor eſto, Dómine, filiórum Edom * in die Jerúſalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * uſque ad fundamentum in ea.

Fília Babylónis míſera, * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuiſti nobis.

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, oblivióni detur déxtera mea.

Ant. 6. F. Ad te.

Pſalmus. 140.

DOmine, clamávi ad te, exaudi me: * inténde voci meæ cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: * elevátio mánuum meárum ſacrifícium veſpertínum.

Pone, Dómine, cuſtódiam ori meo, * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excúſandas excuſatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem: * & non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Abſorpti ſunt juncti petræ júdices eórum; * aúdient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erupta eſt ſuper terram, * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecùs infernum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: * in te ſperávi; non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Ant. Ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; in te ſperávi.

Capitulum. Hebr. 4.

RElínquitur ſabbatiſmus pópulo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in réquiem ejus, étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. Feſtinémus ergo íngredi in illam réquiem.

Hymnus.

QUÆ ſex labórans per dies,
Terras polumque cóndidit,
Die quieſcens séptimâ,
Divína ceſsávit manus.

ÆTERNUS orbis Cónditor
Hanc ipſe ſacrávit diem;
Judæa quam, legis tenax,
Piis colébat rítibus.

Fœdus novum, ritus novos
Chriſtus dedit: Chriſto duce,
Adoptiónis filios
Jam ſánctior manet quies.

FUGAVIT umbram véritas,
Antíqua ceſſant Sábbata.
Jam lex amóris córdibus
Inſcripta mortáles regit.

NON victimárum sánguinis
Inánis aſcendit vapor;
Cruóre ſed litans ſuo
Fit noſtra Chriſtus víctima.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Deduc me, Dómine, in via tua, ℟. Et glorificábo nomen tuum in æternum. *Pſ.* 85.

Ad Magnif. *Antiphona habetur in Proprio. Oratio Dominicæ ſequentis.*

Poſteà ſi qua Commemoratio occurrit, fit hoc loco.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. g. Miſerére meî.

Pſalmus 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea; * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognoſco, * & peccátum meum contrà me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti; * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gau-

dium & lætítiam, * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui, * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útique: * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta: * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Pſalmus 85.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me, * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum: * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis, * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudiſti me.

Non eſt símilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecundùm ópera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, vénient & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília, * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * læ-

tétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruiſti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpectu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miséricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax,

Réſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuviſti me, & conſolátus es me.

Ant. Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die.

Hymnus, Capitulum, ℟. *breve, &c. habentur infrà, ad calcem Pſalterii, pag.* 164.

IN FERIIS PER ANNUM.

AD LAUDES.

In Feriis Adventûs dicuntur flexis genibus Preces ſequentes.

Kyrie, eléiſon. *Chorus.* Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40.

℣. Convértere, Dómine: uſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodùm ſperávimus in te. *Pſ.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur juſtítiam; ℟. Et ſancti tui exultent. *Pſ.* 131.

℣. Orémus pro ſummo Pontífice noſtro *N.* ℟. Paſcat hæreditátem Dómini in innocéntia cordis ſui. *Pſ.* 77.

℣. Orémus pro Antíſtite noſtro *N.* ℟. Dóminus conſervet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40.

℣. Orémus prò Rege noſtro *N.* ℟. Dómine, ſalvum fac Regem, & exáudi

nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; ℟. Et rege eos, & extolle illos uſque in æternum. *Pſ.* 27.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſediſti ab inítio. *Pſ.* 73.

℣. Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem: ℟. Fiat pax in virtúte tua & abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abséntibus. ℟. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te. *Pſ.* 85.

℣. Pro infirmis, afflictis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Iſrael ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24.

℣. Pro ómnibus fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant juſtitiam ejus. *Mic.* 7.

Deinde dicitur Pſal. De profundis. *pag.* 130, *& in fine* Glória Patri.

[*In Veſperis ejus loco dicitur, Pſal.* 50. Miſerére meî, Deus, *pag.* 153 *cum* Glória Patri.]

Finito Pſalmo dicitur:

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio, ſi propria non aſſignatur, dicitur de Dominicâ præcedenti.

Si facienda ſit Commemoratio alicujus Feſti occurrentis, fit hoc loco ſtatim poſt Orationem diei.

Non dicuntur Suffragia ſeu Commemorationes communes tempore Adventûs. A die ſecunda Januarii uſque ad Præſentationem Domini, non in Officio Feriali tantùm, ſed etiam in Duplicibus ſimpliciter & infrà (exceptâ Octavâ Epiphaniæ, aliiſve Octavis Patroni ſi occurrerint,) fit ſola Commemoratio Virginis Deiparæ, ut habetur ſuo loco.

Poſt Præſentationem uſque ad Feriam IV. Cinerum, fiunt in Feriis & Feſtis ſimplicibus Suffragia ut ſequitur.

De Patrono Eccleſiæ cujuſlibet Comm. fit ſuo loco.

[*Commemoratio ſequens dicitur in Officio Feriali tantùm.*

De S. Cruce.

Ant. Peccáta noſtra Chriſtus pértulit in córpore ſuo ſuper lignum, ut peccátis

mórtui, juſtítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2.

℣. Redémit nos ab inimícis noſtris; ℟. Quóniam in æternum miſericórdia ejus. *Pſ.* 135.

Orémus.

PErpétuâ nos, quæſumus, Dñe, pace cuſtódi, quos per lignum ſanctæ Crucis redímere dignátus es, Salvátor mundi, Qui vivis & regnas.

De B. Maria Virgine.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131.

Orémus.

FAmulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delictis ignoſce; ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eumdem Chriſtum.

De S. Eligio.

Ant. Eſt ſervus Chriſti Jeſu ſemper ſollícitus pro nobis in orationibus, ut ſtemus perfecti & pleni in omni voluntáte Dei. *Coloſſ.* 4.

℣. Ne rétrahas manus tuas ab auxílio ſervórum tuórum; ℟. Líbera nos, ferque præſídium. *Joſu.* 10.

Orémus.

ANnue, quæſumus, Dómine; ut mérita tibi plácita ſancti Pontíficis Elígii, grégibus quos fidéli miniſtério gubernávit, pietátem tuam ſemper exórent; Per Chriſtum Dóminum.

Pro Pace.

Ant. Deus det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus noſtris. *Eccli.* 50.

℣. Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; ℟. Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace. *Pſ.* 28.

Orémus.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si aliud non ſequitur Officium, ſecretò dicitur Fidélium ánimæ, &c. *Et* Pater noſter.

Deindè Antiphona de Beata, &c. *Denique* Divínum auxílium &c. *ut ad Laudes Dominicæ. pag.* 14.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. Credo. *ſecretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAm lucis orto ſídere,
Deum precémur ſúpplices,
Præſens benigno lúmine
Noſtros ut actus dírigat.

Nil lingua peccet, nil manus;
Nil mens inàne cógitet.
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Chriſte, ſis cuſtos vigil.
Da mente ſcire, quod doces;
Da corde, quod jubes, ſequi.

Tu ſpes ſalútis; áctuum
Tu finis & primórdium.
Te, proſequámur, aúſpice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Feriali Officio Antiphona dicitur ſecundùm Feriam, eaque ſingulis diebus aſſignata eſt.

In Feriali Officio,

Capitulum. If. 33.

DOmine, miſerére noſtrî, te enim expectávimus: eſto bráchium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis. ℟. Deo grátias.

In Feſtivali Officio dicitur ſequens

Capitulum. 1. *ad Tim.* 1.

REgi ſeculórum immortáli, inviſíbili, ſoli Deo, honor & glória in ſécula ſeculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris. [*Hic* ℣. *ſemper dicitur in Feriis, quandò alius non aſſignatus eſt in Proprio Temporis.*] * Miſerére nobis. Glória. ℟. Chriſte. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43.

PRECES.

Quandò ad Laudes dictæ ſunt Preces, hæ dicuntur flexis genibus.

In Semid. verò & ſuprà, & intra Octavas, omittuntur.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et mane orá-

tio mea prævéniet te. *Pſ.* 87.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum ſanctum tuum ne áuferas à me. *Pſ.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confírma me. *Pſ.* 50.

Quandò Preces non dicuntur flexis genibus, hîc fit Confeſſio: quando verò genua flectuntur, adduntur verſus ſequentes ante Confeſſionem.

℣. Vias tuas, Dómine, demonſtra mihi; ℟. Et sémitas tuas édoce me. *Pſ.* 24.

℣. Dírige me in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus ſalvátor meus. *Pſ.* 24.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris sánguinum ſalva me. *Pſ.* 58.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Pſ.* 69.

℣. Delicta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris; ℟. Secundùm miſericórdiam tuam, memento meî tu. *Pſ.* 24.

Hîc Hebdomadarius facit Confeſſionem.

Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaëli Archángelo, beáto Joanni Baptiſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis, fratres,) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, [*ad ſequentia verba ter percutitur pectus*]. meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaëlem Archángelum, beátum Joannem Baptiſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus reſpondet:

Miſereátur tuî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis tuis, per-

dúcat te ad vitam æternam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confeſſionem; & ubi dictum eſt vobis, fratres, & vos, fratres, *dicit* tibi, Pater, & te, Pater.

Factâ Confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit.

MIſereátur veſtrî omnípotens Deus; &, dimiſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

[*Qui ſolus recitat, ſemel dicit* Confiteor, *omiſſis vocibus quæ clauduntur parentheſi, addendo particulam* [&] *ante has voces* ómnibus Sanctis, & omnes Sanctos; *deinde* Miſereátur *ſemel, dicendo* noſtrî, noſtris, & nos.]

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen. *& proſequitur:*

℣. Dignáre, Dómine, die iſto; ℟. Sine peccáto nos cuſtodíre.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine; ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodùm ſperávimùs in te. *Pſ.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre feciſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciendam noſtra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

In Choro legitur Martyrologium, in cujus fine reſpondetur Deo grátias: *& ſtatim Hebdomadarius dicit altâ voce:*

℣. Pretióſa in conſpectu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115.

Et abſolutè ſine Dóminus vobiſcum, *& ſine* Orémus.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári & ſalvári, qui vivit

& regnat in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Poſteà dicitur, ℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Pſ.* 69.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto; ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſécula ſeculórum. Amen.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Tùm ſecretò* Pater noſter.

Altâ voce, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum. ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89.

℣. Glória. ℟. Sicut.

Orémus.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum, ut hîc, & in æternum, te auxiliante, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Lector verſus ad Celebrantem petit benedictionem, dicens: Jube, Domne, benedícere.

Bened. Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſ.* 118. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui quâlibet die varius legitur, & habetur in Proprio, in cujus fine dicitur Tu autem, Dómine, miſerére noſtri. ℟. Deo grátias.

Abſoluto Canone, Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123.

Deinde dicit Benedícite. ℟. Deus.

Hebdom. ℣. Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem: fáciens in nobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſécula ſeculórum. *Hebr.* 13. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

Deus, in adjutórium

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus!
O dulce lumen méntium,
Sacras refúſus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac ſancta jungant víncula.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fíli par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

PRECES.

Quandò ad Laudes dictæ ſunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam & Nonam, ita dicuntur flexis genibus.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℞. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℞. Et oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℞. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℞. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAm ſolis áureum jubar
Pleno coruſcat lúmine:
O vera, Chriſte, cláritas,
Noſtris refulge ſénſibus.

O dux ſalútis & via;
O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perennis gáudia.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Preces, flexis genibus, ſi dicantur, ut ſupra ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater. Ave. *ſecretò.*

Deus, in adjutórium.

Hymnus.

REcédit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus ſupernam júgiter
Suſpíret ardor pátriam.

Da, Chriſte, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui:
Fac, lucis usúræ brevi,
Æterna ſuccédat dies.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Preces, ſi dicendæ ſint, dicuntur ut ſuprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Preces, ſi dicendæ ſunt, habentur ſuprà ad Laudes, pag. 155. *in quibus loco Pſ.* De profundis, *dicitur Pſ.* Miſerére, *pag.* 153.

Si facienda ſit Commemoratio alicujus Feſti occurrentis, fit hoc loco ſtatim poſt Orationem diei.

Tempore Adventûs non dicuntur Suffragia ſeu Commemorationes communes.

A die ſecunda Januarii uſque ad Præſentationem Domini, non in Officio Feriali tantùm, ſed etiam in ſimpliciter Duplicibus & infrà, (exceptâ Octavâ Epiphaniæ aliiſve Octavis Patroni, ſi occurrerint,) fit ſola Commemoratio Virginis Deiparæ ut habetur in Proprio, ſuo loco.

Poſt Præſentationem uſque ad Feriam IV. Cinerum fiunt in Feriis & Feſtis ſimplicibus Suffragia ut ſequitur.

De Patrono Eccleſiæ cujuſlibet Commemoratio fit ſuo loco.

[*Commemoratio ſequens fit tantùm in Officio Feriali.*

De S. Cruce.

Ant. Mihi abſit gloriári niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Galat.* 6.

℣. In Deo ſalutáre meum, ℟. Et glória mea. *Pſ.* 61.

Orémus.

Perpétuâ nos, quæſumus, Dómine, pace cuſtódi, quos per lignum ſanctæ Crucis redímere dignátus es, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas.]

De B. Maria Virgine.

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

℣. Vultum tuum deprecabuntur, ℟. Omnes dívites plebis. *Pſ.* 44.

Orémus.

Famulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delíctis ignóſce; ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri interceſſióne ſalvémur; Per eumdem Chriſtum.

De S. Eligio.

Ant. Hic eſt fratrum amátor & pópuli Iſrael: hic eſt qui multùm orat pro pópulo, & univerſa civitáte. 2. *Mach.* 15.

℣. Cadat orátio noſtra in conſpectu tuo; ℟. Ora pro nobis ad Dóminum Deum. *Jerem.* 42.

Orémus.

Deus, qui beátum Elígium páuperum patrem, & exímium amatórem tuum nobis Paſtórem

miſericórditer providiſti; concéde propítius, ut quod ille nos dócuit verbis & exemplis, te ſuper ómnia diligentes in terris, coronári cum ipſo mereámur in cœlis; Per Chriſtum.

Pro Pace.

Ant. Deus memínerit teſtamenti ſui, & fáciat pacem; nec nos déſerat in témpore malo. 2. *Mach.* 1.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem, ℟. In plebem ſuam. *Pſ.* 84.

Orémus.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si Completorium non ſequitur, ſecretò dicitur Fidélium ánimæ, &c. *&* Pater noſter.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

Converte nos.

In Adventu, Hymnus.

IN noctis umbra déſides
Dum ſomnus artus óccupat,
Ad te, Redemptor, júgibus
Cor éxcubat ſuſpíriis.

VERBUM Dei, ſplendor Patris,
Deſideráte géntibus,
Novi miniſter fœderis,
Mundo jacenti náſcere.

NOX atra terris íncubat,
Incumbit horror críminum;
Prodi, ſalúbre méntibus
Parentis è ſinu jubar.

MUNDO Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

A vigilia Nativitatis Domini ad ejus Præſentationem incluſivè,

Hymnus.

MUNDI ſalus qui náſceris,
Jeſu puer, nos réſpice.
Tu vita noſtra per diem:
Sis tuta per noctem quies.

CANDOR paterni lúminis,
Seréna ſis lux méntium,
Matris recumbens in ſinu,
Noſtris quieſce córdibus.

ENIXA quæ Virgo Deum,
Alíſque mater úbere,
Amóre quo tu díligis,
Fac diligámus Fílium.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

A craſtino Præſentationis Domini uſque ad Feriam IV. Cinerum excluſivè.

Hymnus.

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póſcimus,
Ut pro tua cleméntia
Hâc nocte nos cuſtódias.

Fac, vana cuſtos Angelus
Pellat procul phantáſmata;
Et dormiente córpore,
Fac mens vigil te cógitet.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Feſtivali Officio, Hymnus.

DEus Creátor ómnium,
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces
Proni tibi perſólvimus.

Quod longa peccávit dies,
Nocturnus éxpiet dolor;
Nec per ſopórem nos ſinas
Hoſtis patére fraúdibus.

Infeſtus uſque círcuit,
Quærens leo quem dévoret;
Umbrántibus tuos, Pater,
Natos ſub alis prótege.

O quando luceſcet tuus
Qui neſcit occáſum dies!
O quando te perénniter
Amábimus, laudábimus!

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

In Officio de Beata; Hymnus Virgo Dei génitrix, *in Officio de B. M. V. in Sabbato.*

In Feriali Officio, Capitulum. 1. Petr. 5.

SObrii eſtóte, & vigiláte; quia adverſárius veſter diábolus, tanquam leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret: cui reſíſtite fortes in fide.

In Feſtivali Officio, Capitulum. 1. Theſſ. 5.

OMnes vos fílii lucis eſtis, & fílii diéi. Non ſumus noctis neque tenebrárum: ígitur non dormiámus ſicut & céteri; ſed vigilémus & sóbrii ſimus.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Commendo ſpíritum meum; ℣. Redemiſti me, Dómine Deus veritátis. * Commendo ſpíritum meum. Glória. ℟. In manus. *Pſ.* 30.

℣. Cuſtódi me, Dómine, ut pupillam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Pſ.* 16.

Ad Nunc dimittis, *niſi alia in Proprio aſſignata ſit,*

Ant. 3. c. Salva nos.

Canticum Simeon. Luc. 2.

NUnc dimittis ſervum tuum, Dñe, * ſecundùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * ſalutáre tuum,

Quod paraſti * ante fáciem ómnium populórum:

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſrael.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilantes, cuſtódi nos dormientes, ut vigilémus cum Chriſto, & requieſcámus in pace.

P R E C E S.

In Simplicibus & Feriis dicuntur; flexis autem genibus, quando Preces dictæ ſunt in Veſperis.

In Semiduplicibus verò & ſuprà non dicuntur, nec intra Octavas; ſed dictâ Antiphonâ, ſtatim dicitur Dóminus vobiſcum, *& O-ratio* Víſita, *ut infrà.*

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon, Kyrie, eléiſon.

Pater *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum *ſecretò uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedictus es, Dómine Deus patrum noſtrórum, ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſécula. *Dan.* 3.

℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ ſanctum, ℟. Et laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſéculis. *Dan.* 3.

℣. Benedictus es in firmamento cœli, ℟. Et laudábilis, & glorióſus in ſécula. *Dan.* 3.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noſter; ℟. Benedícat nos Deus. *Pſ.* 66.

Tunc Hebdomadarius facit Confeſſionem.

Confíteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptiſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis, fratres,) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, [*ad ſequentia verba ter percutitur pectus*] meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptiſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus reſpondet:

Miſereátur tuî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confeſſionem; & ubi di-

ctum eſt vobis, fratres, & vos fratres, *dicit* tibi, Pater, & te, Pater.

Factâ Confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIſereátur veſtrî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui ſolus recitat, ſemel dicit* Confiteor, *omiſſis vocibus quæ clauduntur parentheſi; addendo particulam* (&) *ante has voces* ómnibus Sanctis, & omnes Sanctos; *deinde* Misereátur *ſemel, dicendo* noſtrî, noſtris, & nos.]

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Poſteà dicitur ℣. Dignáre, Dómine, nocte iſtâ, ℟. Sine peccáto nos cuſtodíre.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodùm ſperávimus in te. *Pſ.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

VIſita, quæſumus, Dómine, habitatiónem noſtram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui ſancti hábitent in ea, qui nos in pace cuſtódiant, & benedíctio tua ſit ſuper nos ſemper; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde ſubmiſſiori voce dicitur: Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei, & communicátio ſancti Spíritûs ſit cum ómnibus nobis. 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Poſteà dicitur una ex his Antiphonis de B. Maria Virgine pro tempore.

ANTIPH. DE BEATA.

In Adventu.

ALMA Redemptóris Mater,
Quæ pérvia cœli
Porta manes, & ſtella maris,
Succurre cadenti,
Súrgere qui curat, pópulo:
Tu quæ genuiſti,
Natúrâ mirante,

Tuum ſanctum genitórem:
Virgo priùs ac poſtériùs,
Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave,
Peccatórum miſerére.

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ; ℟. Et concépit de Spíritu ſancto.

Orémus.

GRátiam tuam, quæſumus, Dómine, méntibus noſtris infunde; ut qui Angelo nuntiante Chriſti Filii tui incarnatiónem cognóvimus, per paſſiónem ejus & crucem ad reſurrectiónis glóriam perducámur; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

A die Natalis Domini uſque ad Præſentationem incluſivè.

℣. Poſt partum, Virgo inviolára permanſiſti; ℟. Dei génitrix, intercéde pro nobis.

Orémus.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præſtitiſti; tribue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. ℟. Amen.

A craſtino Præſentationis Domini, ad Feriam III. majoris Hebdomadæ.

AVe, Regína cœlórum,
Ave, Dómina Angelórum.
Salve, radix; ſalve, porta
Ex qua mundo lux eſt orta.
Gaude, Virgo glorióſa,
Super omnes ſpecióſa:
Vale, ô valde decóra,
Et pro nobis Chriſtum exóra.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo ſacráta; ℟. Da mihi virtútem contra hoſtes tuos.

Orémus.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium; ut qui ſanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Divínum auxílium máneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

Deinde dicitur ſecretò Pater, Ave. Credo.

ABSOLUTIONES

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

Dicendæ ad Matutinum, ante Lectiones.

IN DOMINICA
Et in Officiis ix. Lectionum quæ non ſunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO
ET PRO II. ET V. FERIA.
Abſolutio. 2. Mach. 1.

DEus det nobis cor ómnibus ut colámus eum: adapériat cor noſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis.
℟. Amen.

[*Sic reſpondetur ad ſingulas Abſolutiones & Benedictiones.*]

Benedictiones.

1. Deus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det nobis ſpíritum ſapiéntiæ. *Eph.* 1. ℟. Amen.
2. Fílius Dei det nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum. 1. *Joann.* 5.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joann.* 16.

IN II. NOCTURNO
ET PRO III. ET VI. FERIA.
Abſolutio. 3. Reg. 8.

DEus noſter inclínet corda noſtra ad ſe, ut cuſtodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti benedícat nos in omni benedictióne ſpirituáli. *Eph.* 1.
5. Sciámus ſupereminentem ſciéntiæ caritátem Chriſti, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Epheſ.* 3.
6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joann.* 2.

IN III. NOCTURNO.
Abſolutio. 2. Mach 1.

DEus memínerit teſtamenti ſui quod locútus eſt, & exáudiat oratiónes noſtras.
℟. Amen.

Benedictiones.

7. Evangélium, virtus Dei, ſit in ſalútem omni credénti. *Rom.* 1.
8. Occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.* 4.
¶ 9. Deus ſpei répleat nos omni gáudio & pace in credendo, ut abundémus in ſpe & virtúte Spíritûs ſancti. *Rom.* 15.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium cum Homilia, tunc nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

Eadem Benedictio dicitur in omni Feria, quando pro tertia Lectione legendum erit Evangelium cum Homilia.

Si nona Lectio ſit de Sancto, Benedictio erit: Ipſe Deus pacis ſanctíficet nos per ómnia. 1. *Theſſal.* 5.

Quandò DD. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, vel in Choro, vel privatìm cum uno aut pluribus, poſtquàm ipſe præmiſit de more, Jube, Domne, benedícete, *dignior poſt ipſum dicit illi*: Ora pro nobis, Pater. *Ipſe autem DD. Epiſcopus reſpondet*: Oto ut cáritas veſtra magìs ac magìs abundet in ſciéntia & in omni ſenſu. *Philipp.* 1. *Chorus reſp.* Amen. *Idem obſervatur, etiam in Choro, ubi unicus eſt Presbyter.*

FERIA IV. ET SABBATO.

Abſolutio. 2. Mach. 1.

DEus meminerit teſtamenti ſui quod locútus eſt, & exáudiat oratiónes noſtras. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitáre per fidem in córdibus noſtris. *Ephoſ.* 3.

2. Occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.* 4.

3. Deus ſpei répleat nos omni gaúdio & pace in credendo, ut abundémus in ſpe & virtúte Spíritûs Sancti. *Rom.* 15.

IN FESTIS B. MARIÆ VIRG. & Sanctorum,

Quæ ſunt ix. Lectionum.

In I. & III. Nocturno, Abſolutiones & Benedictiones dicuntur ut ſuprà in Dominica.

In II. Nocturno, ut ſequitur.

Abſolutio. 3. Reg. 8.

DEus noſter inclínet corda noſtra ad ſe, ut cuſtodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

PRO FESTIS BEATÆ MARIÆ *& in Sabbato.*

Benedictiones.

4. Exultet ſpíritus noſter in Deo, quia reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ. *Luc.* 1.

5. Nobiſcum ſit Deus, qui in ancilla ſua adimplévit miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis; & líberet nos de morte. *Eſther*, 15.

¶ *Notandum has Benedictiones non dici in Feſtis quæ ſunt ſimul de Domino & de B. Maria Virgine; qualia ſunt Annuntiatio, Purificàtio, & Viſitatio: in his enim Feſtis, Benedictiones ſumuntur è II. Nocturno Dominicæ.*

PRO FESTIS SANCTORUM.

Benedictiones.

4. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut ſciámus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Epheſ.* 1.

5. Dignos nos fáciat in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſſ.* 1.

6. Aperiantur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26.

IN FESTIS SANCTORUM *Quæ ſunt iij. Lectionum.*

Abſolutio eſt ſecundùm Feriam;

Benedictiones verò ſunt tres proximè ſuperiores. Si tamen pro tertia Lectione legendum ſit Evangelium, tunc tertia Benedictio erit: Fulgeat, *ut ſuprà.*

PROPRIUM

DE TEMPORE.

SABBATO

ante Dom. I. Adventûs.

Duplex.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Sabbato.

Antiphona, 1. *toni*, a.

DOmine, úſquequò tu non miſeréberis Jerúſalem, & úrbium Juda quibus irátus es? *Zach.* 1.

Ant. 7. d. Súſcita prædicatiónes quas locúti ſunt in nómine tuo Prophétæ prióres. *Eccli.* 36.

Ant. 5. a. Ne írritum fácias fœdus tuum nobiſcum: nonne tu es Dóminus Deus noſter quem expectávimus? *Jer.* 14.

Ant. 2. D. Da mercédem ſuſtinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniantur. *Eccli.* 36.

Ant. 3. *a.* Dabis, Deus, veritátem Jacob, miſericórdiam Abraham; quæ juraſti pátribus noſtris à diébus antíquis. *Mich.* 7.

Capitulum. Jerem. 33.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus, & ſuſcitábo verbum bonum quod locútus ſum ad domum Iſrael & ad domum Juda: in diébus illis germináre fáciam David germen juſtítiæ.

℟. Deo grátias.

Hymnus, Creátor, *infrà pag.* 182.

℣. Oriétur in diébus ejus juſtítia, ℟. Et abundántia pacis. *Pſ.* 71.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Propóſuit Deus in diſpenſatióne plenitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto. *Epheſ.* 1.

Oratio, ad Laudes, p. 177.

AD COMPLET.

Pſalmi & Ant. de Sabbato. Hymn. Capitul. ut in Dominicis, (*& ſic in omnibus Sabbatis*). *Cetera ut in Pſalterio, ſervatis quæ ſunt propria Temporis Adventûs, ut ſuprà, pag.* 164.

DOMINICA PRIMA

Adventûs.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum Deum qui ventúrus eſt, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Pſ. Veníte. *pag.* 2.

Hymnus Prædicta, *pag.* 179. *Pſalmi de Dominica in toto Officio, & ſic in ſequentibus Dominicis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus; & ſuſcitábo David germen juſtum, & fáciet judícium & juſtítiam in terra. *Jer.* 23.

℣. Juſtítia ante eum ambulábit; ℟. Et ponet in via greſſus ſuos. *Pſ.* 84.

Pater noſter.

Abſolutiones & Benedictiones habentur ad calcem Pſalterii, p. 169.

Incipit Liber Iſaíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VIſio Iſaíæ, filii Amos, quam vidit ſuper Judam & Jerúſalem in diébus Ozíæ, Jóathan, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda. Audíte, cœli, & aúribus pércipe, terra; quóniam Dóminus locútus eſt. Fílios enutrívi & exaltávi: ipſi autem ſprevérunt me. Cognóvit bos poſſeſſórem ſuum, & áſinus præſépe dómini ſui; Iſraël autem me non cognóvit, & pópulus meus non intellexit. Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, ſémini nequam, filiis ſcelerátis. Dereliquérunt Dóminum, blaſphemavérunt Sanctum Iſrael, abalienáti ſunt retrorsùm. Super quo percútiam vos ultrà, àddentes prævaricatiónem? Omne caput lánguidum, & omne cor mœrens. A planta pedis uſque ad vérticem non eſt in eo ſánitas. ¶ Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, & ſalvi éritis.

¶ *Sic terminantur Lectiones ex Iſaia, per Adventum, nihil reſpondendo.*

℟. Aſpiciébam in viſióne noctis; & ecce cum núbibus cœli quaſi Fílius hóminis veniébat: * Et Antíquus diérum dedit ei poteſtátem & honórem & regnum. † Omnes pópuli, tribus & linguæ ipſi ſérvient: ¶ Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferétur. ℣. Deſcendit de cœlo, Fílius hóminis, qui eſt in cœlo. * Et Antíquus diérum dedit ei poteſtátem & honórem & regnum. ℣. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. † Omnes pópuli, tribus & linguæ ipſi ſérvient. ℣. Pater díligit Fílium, & ómnia dedit in manu ejus. ¶ Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferétur. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. *Repetitur.* ℟. Aſpiciébam, *uſque ad* ℣. Deſcendit de cœlo. *Daniel.* 7. *Joann.* 3.

Lectio ij.

AUdíte verbum Dómini, príncipes Sodomórum: percípite aúribus legem Dei noſtri, pópulus Gomorrhæ. Quò mihi multitúdinem victimárum veſtrárum, dicit Dóminus? Plenus ſum: holocauſta aríetum, & ádipem pínguium, & ſánguinem vitulórum & agnórum & hircórum nólui. Cùm venirétis ante conſpectum meum, quis quæsívit hæc de mánibus veſtris, ut ambularétis in átriis meis? Ne offerátis ultrà ſacrifícium fruſtrà: incenſum abominátio eſt mihi. Neoméniam & ſábbatum & feſtivitátes álias non feram: iníqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolemnitátes veſtras odívit ánima mea: facta ſunt mihi moleſta, laborávi súſtinens. Et cùm extendéritis manus veſtras, avertam óculos meos à vobis: & cùm multiplicavéritis oratiónem, non exaúdiam, manus enim veſtræ ſánguine plenæ ſunt. Hæc dicit, &c.

℟. Scrutémur vias noſtras, & quærámus & revertámur ad Dóminum. * Levémus corda noſtra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. ℣. Quærite Dóminum, dum inveníri poteſt. * Levémus. *Thren.* 3. *Iſai.* 55.

Lectio iij.

LAvámini, mundi eſtóte, auferte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis: quiéſcite ágere perversè, díſcite benefácere: quærite judícium, ſubveníte oppreſſo, judicáte pupillo, deféndite víduam; & veníte, & argúite me, dicit Dóminus: Si fúerint peccáta veſtra ut cóccinum, quaſi nix dealbabuntur: &, ſi fúerint rubra quaſi vermículus, velut lana alba erunt. . . . Et convertam manum meam ad te, & éxcoquam ad purum ſcóriam tuam, & aúferam omne ſtannum tuum. Et reſtítuam júdices tuos ut fuérunt priùs, & conſiliários tuos ſicut antiquitùs: poſt hæc vocáberis Cívitas Juſti, Urbs fidélis. Hæc dicit, &c.

℟. Oculus non vidit, nec auris audívit, * Nec in cor hóminis aſcendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. ℣. Benefácite, & erit merces veſtra multa. * Nec. Glória. * Nec. *I. Cor.* 2. *Luc.* 6.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Ecce Deus noſter iſte; expectávimus eum, & ſalvábit nos. *Iſ.* 25.

℣. Judicábit Dóminus pópulum ſuum; ℟. Et in

ſigna in ſole & luna & ſtellis; & in terris preſsúra géntium. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 1. in Evangelia.

DOminus ac Redemptor noſter, fratres cariſſimi, parátos nos invenire desíderans, ſeneſcentem mundum quæ mala ſequantur, denúntiat; ut nos ab ejus amóre compeſcat. Appropinquantem ejus términum quantæ percuſſiónes prævéniant, innoteſcit: ut, ſi Deum metúere in tranquillitáte nólumus, vicínum ejus judícium vel percuſſiónibus attríti timeámus.

℟. Sol convertétur in ténebras, & luna in sánguinem, * Antequàm véniat dies Dómini magnus & horríbilis: & erit; Omnis qui invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit. ℣. Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſsúra géntium, areſcéntibus homínibus præ timóre. * Antequám. *Joel. 2. Luc. 21.*

Lectio viij. §. 2. poſt pauca.

NAm virtútes cœlórum movebuntur. Quid étenim Dóminus virtútes cœlórum, niſi Angelos, Archángelos, Thronos, Dominatiónes, Principátus & Poteſtátes, appellat? Quæ in adventu diſtricti Júdicis, noſtris tunc óculis viſibíliter apparébunt; ut diſtrictè tunc à nobis éxigant hoc quod nos modò inviſíbilis Cónditor æquanímiter portat. Ubi & súbditur: Et tunc vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus, cum poteſtáte magna & majeſtáte. Ac ſi apertè dicerétur: In poteſtáte & majeſtáte viſúri ſunt, quem in humilitáte póſitum audíre noluérunt; ut virtútem ejus tantò tunc diſtríctiùs séntiant, quantò nunc cervícem cordis ad ejus patiéntiam non inclínant.

℟. Incurvábitur ſublímitas hóminum, * Et humiliábitur altitúdo virórum, & elevábitur Dóminus ſolus in die illa. ℣. Vidébunt Fílium hóminis venientem in nube, cùm poteſtáte magna & majeſtáte. * Et humiliábitur. *Iſ. 2. Luc. 21.*

Lectio ix. §. 3.

SEd quia hæc contra réprobos dicta ſunt, mox ad electórum conſolatiónem verba vertuntur. Nam & súbditur: His autem fieri incipiéntibus, reſpícite, & leváte cápita veſtra; quóniam appropinquat redémptio veſtra. Ac ſi apertè Véritas electos ſuos admóneat, dicens: Cùm plagæ mundi crebre-

ſcunt, cùm terror judícii virtútibus commótis oſténditur, leváte cápita, id eſt, exhilaráte corda: quia dum finítur mundus cui amíci non eſtis, propè ſit redémptio quam quæſiſtis... Qui ergò Deum díligunt, ex mundi fine gaudére atque hilaréſcere jubentur: quia vidélicet eum quem amant, mox invéniunt; dum tranſitis quem non amavérunt.

℟. Leváte in cœlum óculos veſtros, & vidéte ſub terra deorsùm; * Quia cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atterétur: ſalus autem mea in ſempiternum erit. ℣. His fieri incipiéntibus, reſpícite, & leváte cápita veſtra; quóniam appropínquat redémptio veſtra. * Quia. Glória. * Quia. *Iſ.* 51. *Luc.* 21.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni* f.

ECce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur. *Iſ.* 40.

Ant. 4. A. Levábit ſignum in natiónes, & diſperſos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. *Iſ.* 11.

Ant. 7. a. De Jerúſalem dabit vocem ſuam: ſpes pópuli ſui & fortitúdo filiórum Iſrael. *Joel*, 3.

Canticum. Miſerére Deus, *pag.* 180.

Ant. 6. F. Judicábit judícium plebis ſuæ, & oblectábit juſtos misericórdiâ ſuâ. *Eccli.* 35.

Ant. 3. a. Replébitur terra, ut cognoſcant glóriam Dómini. *Habac.* 2.

Capitulum. Rom. 13.

HOra eſt jam nos de ſomno súrgere; nunc enim própior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credídimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquávit; abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulémus.

Hymnus. Vox clara. ℣. Excita, *pag.* 180.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Cùm vénerit Fílius hóminis in majeſtáte ſua, congregabuntur ante eum omnes gentes; & ſeparábit eos ab ínvicem, ſicut paſtor ſégregat oves ab hædis. *Matth.* 25.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut ab imminéntibus peccatórum noſtrórum perículis, te mereámur protegente éripi, te liberante ſalvári; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Oratio Dominica præced. dicitur per Hebdomadam, niſi aliter notetur.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologia:

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Antiphona de Laudibus quartâ prætermiſſâ; quod ſemper obſervatur, niſi aliter notetur.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Ecce Dóminus.

In ℟. *brevi,* ℣. Qui ventúrus es in mundum, *Joann.* 6.

Cetera ut in Pſalterio.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

Anno 633. *Cap.* 25.

SCiant Sacerdótes Scriptúras ſanctas, & Cánones meditentur; ut omne opus eórum in prædicatióne divínâ & doctrínâ conſiſtat; atque ædíficent cunctos tam fídei ſciéntiâ, quàm óperum diſciplínâ. Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

Ant. 4. A. Levábit ſignum.

Capitulum. Judæ. 24.

EI qui potens eſt vos conſerváre ſine peccáto, & conſtitúere ante conſpectum glóriæ ſuæ immaculátos in exultatióne in adventu Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſoli Deo ſalvatóri noſtro, per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum, glória & magnificéntia, impérium & poteſtas.

℟. *brev.* Tu exurgens, *infrà pag.* 181.

Oratio Excita, *ſuprà ad Laudes p.* 177, *& ſic ad Sextam & Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. 7. a. De Jerúſalem.

Capitulum. I. Joann. 2.

FIlíoli, manéte in eo; ut, cùm apparúerit, habeámus fidúciam, & non confundámur ab eo in adventu ejus.

℟. *brev.* Dóminus, *infrà, pag.* 181.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Replébitur terra.

Capitulum. Tit. 2.

SObriè, & juſtè, & piè vivámus in hoc ſéculo, expectantes beátam ſpem, & adventum glóriæ magni Dei, & Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti.

℟. *brev.* Oculi noſtri, *infrà, p.* 182.

AD VESPERAS.

Ant. 1. D. Ecce cum núbibus cœli quaſi Fílius hóminis veniébat; & Antíquus diérum dedit ei poteſtátem & honórem &

regnum. *Dan.* 7.

Ant. 3. a. Omnes pópuli, tribus & linguæ ipſi ſérvient. *Dan.* 7.

Ant. 7. *d.* Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferétur, & regnum ejus quod non corrumpétur. *Dan.* 7.

Ant. 5. C. Fluent ad eum pópuli, & judicábit inter pópulos multos, & corrípiet gentes fortes uſque in longînquum. *Mich.* 4.

Ant. 4. f. Ambulábimus in nómine Dómini Dei noſtri; & regnábit Dóminus in monte Sion, ex hoc nunc & uſque in æternum. *Mich.* 4.

Capitulum. II. Petr. 3.

NOn tardat Dóminus promiſſiónem ſuam, ſicut quidam exíſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam reverti.

Hymnus Creátor alme. & ℣. Memento, *pag.* 181.

Ad Magníf. *Ant.* 6. ℞. Vigiláte omni témpore orantes, ut digni habeámini ſtare ante Fílium hóminis. *Luc.* 21.

Oratio Excita, *p.* 177.

IN FERIIS ADVENTUS.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum Deum qui ventúrus eſt, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

PRædicta priſcis témpora pátribus,
Novíque partûs áurea ſécula
Optáta procédunt; ab alto,
Chriſte, micas nova lux olympo.

Disrumpe nubes, te ſitiéntibus
Demitte terris. Déſuper úberes,
Roráte, cœli; jam ſalúbres
In plúvias ruat omnis æther.

Nostri miſertus, (quæ tua cáritas!)
Mundo jacenti certa ſalus ades:
Te curſus ævi corruentis,
Téque novus vocat ordo rerum.

Qui cuncta fecit, jam fit homo, Deus:
Qui membra finxit, fingitur ártubus;
Qui nutrit omnes, nutriendus
Ubéribus puer indigébit.

Laus ſumma, mittis qui Génitum, Pater:
Laus, Nato, noſtrum qui réparas genus:
Fecunda per quem Virgo, compar
Sit tibi laus, utriuſque Nexus. Amen.

Pſalmi & Ant. de Pſaltério, ſecundùm Feriam.

℣. Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; ℟. Et ſalutáre tuum da nobis. *Pſ.* 84.

Tria ℟℟℟. *ſumuntur ex Dominica præcedentis Nocturno I. & II. alternatìm, ut notatur in qualibet Feria.*

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Pſalmi & Ant. de Pſalterio, ſecundùm Feriam.

Canticum Eccli. 36.

MIſerére, Deus, plebi tuæ ſuper quam invocátum eſt nomen tuum, * & Iſrael quem coæquaſti primogénito tuo.

Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jerúſalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuum.

Da teſtimónium his qui ab inítio creatúræ tuæ ſunt; * & ſúſcita prædicatiónes quas locúti ſunt in nómine tuo Prophétæ prióres.

Da mercédem ſuſtinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniantur: * & exaudi oratiónes ſervórum tuórum. Glória Patri.

Capitulum. Iſ. 2.

ERit in noviſſimis diébus præparátus mons domûs Dómini in vértice montium, & elevábitur ſuper colles; & fluent ad eum omnes gentes

Hymnus

VOx clara terris nos gravi
Somno ſepultos éxcitat:
Umbræ faceſſant, nox cadat:
Salus adeſt mortálibus.

VENERE tandem témpora;
Roráte, cœli, déſuper;
Nobis Deum nubes pluant,
Juſtúmque terra gérminet.

VERBUM Patris, mundi ſalus,
Afflicta, te vocat, Sion:
Audi preces geméntium,
Lapſóſque ſursùm ſúbleva.

ADSIS, Redemptor, & tuæ
Plebis relaxàns crímina,
Quas ira Patris clauſerat
Reclúde cœleſtes domos.

MUNDO Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſǽcula.
Amen.

Hæc Doxologia, Mundo Redemptor, *in fine Hymnorum hujus metri propriam non habentium, dicitur toto Tempore Adventûs, etiam in Feſtis, niſi aliter notetur.*

℣. Excita poténtiam tuam, & veni. ℟. Ut ſalvos fácias nos. *Pſ.* 79.

Ad Benedictus *Antiph. propria ut infrà, in qualibet Feria.*

Preces, flexis genibus, ut in Pſalterio. 155.

Orat. Dominicæ præced.

Non fiunt Commemorationes conſuetæ ad Laudes neque ad Veſperas, toto Tempore Adventûs.

A D H O R A S.

Doxologia Mundo Redemptor, &c.

A D P R I M A M.

Ant. 2. D. Salutáre tuum expectábo, Dómine. *Geneſ.* 49.

Capitulum, Dómine, miſerére noſtrî, *ut in Pſalterio, pag.* 158.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es in mundum. *Joann.* 6. *Hic Verſus dicitur quotidiè, uſque ad Nativitatem Domini, niſi aliter notetur.*

Preces, flexis genibus, pag. 158.

A D T E R T I A M.

Ant. 1. G. Obſecro, Dómine, mitte quem miſſúrus es. *Exod.* 4.

Capitulum. Zach. 2.

HAbitábo in médio tuî, Sion; & ſcies quia Dóminus exercítuum miſit me ad te.

℟. *brev.* Tu exurgens * Miſeréberis Sion. ℣. Quia tempus miſerendi ejus. * Miſeréberis. Glória. ℣. Tu exurgens. *Pſ.* 101.

℣. Benígnè fac, Dómine, ℟. In bona voluntáte tua, Sion. *Pſ.* 50.

Preces, flexis genibus, pag. 162.

Oratio Dominicæ præcedentis, & ſic ad Sextam & Nonam.

A D S E X T A M.

Ant. 3. c. Roráte, cœli, déſuper, & nubes pluant Juſtum: aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. *Iſ.* 45.

Capitulum. Iſ. 61.

SIcut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat; ſic Dóminus Deus germinábit juſtítiam & laudem coram univerſis géntibus.

℟. *brev.* Dóminus * Dabit benignitátem. ℣. Et terra noſtra dabit fructum ſuum. * Dabit benignitátem. Glória. ℟. Dóminus. *Pſ.* 84.

℣. Deſcendet ſicut plúvia in vellus, ℟. Et ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram. *Pſ.* 71.

Preces, flexis genibus, pag. 162.

A D N O N A M.

Ant. 7. d. Emitte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. *Iſ.* 16.

Capitulum. Iſ. 59.

ECce non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat; neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exaúdiat.

℞. *br.* Oculi noſtri * Ad Dóminum Deum noſtrum; ℣. Donec miſereátur noſtrî. * Ad Dóminum. Glória. Oculi. *Pſ.* 122.

℣. Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde, ℞. Et húmiles ſpíritu ſalvábit. *Pſ.* 33.

Preces flexis genibus, pag. 162.

AD VESPERAS.

Antiph. & Pſ. Feriales.

Capitulum. Jer. 33.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus; & ſuſcitábo verbum bonum quod locútus ſum ad domum Iſrael, & ad domum Juda.

Hymnus.

CReator alme síderum,
Intende votis súpplicum:
Tuæ memor cleméntiæ,
Veni, Redemptor ómnium.

DElusus hoſtis fraúdibus,
Mundus jacébat pérditus:
Quid non tuus poteſt amor!
Fis pérditi mundi ſalus.

UT tu piáres sánguine
Quod nos ſcelus commíſimus,
Te Vírginis claudis ſinu,
Patri Deo par víctima.

SALUTIS áuctor vix ades,
Et cœlites & ínferi,
Tremente curváti genu,
Subdunt tuo ſe Númini.

TE deprecámur ſéculi
Olim futúrum júdicem;
Tuâ potenti grátiâ
Defende nos ab hóſtibus.

MUNDO Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.
Amen.

℣. Memento noſtrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui; ℞. Víſita nos in ſalutári tuo. *Pſ.* 105.

Ad Magníficat, *Antiphona propria ut infrà in qualibet Feria.*

Preces, flexis genibus, pag. 155.

Orat. Dominicæ præced.

COMPLETORIUM *in Pſalterio, ſervatis quæ ſunt propria Temporis Adventûs. Preces, flexis genibus, pag.* 164 *& ſequent.*

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

ERit in noviſſimis diébus præparátus mons domûs Dómini in vértice móntium, & elevábitur ſuper colles. Et fluent ad eum omnes gentes; & ibunt pópuli multi, & dicent: Veníte & aſcendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos vias ſuas, & ambulábimus in ſémitis ejus; quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jeruſalem. Et judicábit gentes, & árguet pópulos

multos : & conflábunt glá-dios ſuos in vómeres, & lánceas ſuas in falces. Non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebuntur ultrà ad prælium. Domus Jacob, veníte, & ambulémus in lúmine Dómini. Hæc dicit, &c.

℟. Exulta ſatis, filia Sion; júbila, filia Jerúſalem : * Ecce Rex tuus véniet tibi Juſtus & Salvátor. ℣. Ipſe ſalvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. * Ecce. *Zach.* 9. *Matth.* 1.

Lectio ij. Cap. 3.

DIcite juſto quóniam benè, quóniam fructum adinventiónum ſuárum cómedet. Væ ímpio in malum : retribútio enim mánuum ejus fiet ei. Pópulum meum exactóres ſui ſpoliavérunt, & mulíeres dominátæ ſunt eis. Pópule meus, qui te beátum dicunt, ipſi te decípiunt, & viam gréſſuum tuórum díſſipant. Stat ad judicandum Dóminus, & ſtat ad judicandos pópulos. Dóminus ad judícium véniet cum sénibus pópuli ſui, & princípibus ejus : vos enim depaſti eſtis víneam, & rapína paúperis in domo veſtra. Quare attéritis pópulum meum, & fácies paúperum commólitis? Hæc dicit, &c.

℟. Scrutémur, *p.* 173.

Lectio iij. Cap. 4.

IN die illa erit germen Dómini in magnificéntia & glória, & fructus terræ ſublímis, & exultátio his qui ſalváti fúerint de Iſrael. Et erit : Omnis qui relictus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúſalem, ſanctus vocábitur ; omnis qui ſcriptus eſt in vita in Jerúſalem : ſi ablúerit Dóminus ſordes filiárum Sion, & sánguinem Jerúſalem láverit de médio ejus in ſpíritu judícii & ſpíritu ardóris. Et creábit Dóminus ſuper omnem locum montis Sion, & ubi invocátus eſt, nubem per diem, & fumum & ſplendórem ignis flammantis in nocte : ſuper omnem enim glóriam protéctio. Hæc dicit, &c.

℟. Oculus, *pag.* 173.

Ad Bened. *Ant.* 5. a. Non dominabuntur Jerúſalem ámpliùs aliéni; ſed sérvient Dómino Deo ſuo & regi ſuo quem ſuſcitábo eis. *Jer.* 30.

CANON.

Ex Concílio Senonenſi. *Ann.* 1528. *Decr.* 3. *de Fide.*

SAncta & inviolábilis eſt ſacrórum Conciliórum universálium auctóritas ; cui quiſquis pertináciùs refragátur, hoſtis fidei jure óptimo censéri debet.

Ad Magníf. *Ant.* 7. d.

Pacíficus vocábitur: & pacem & ótium dabo in Iſrael cunctis diébus ejus; firmabóque sólium regni ejus in æternum. *I. Paral.* 22.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 5.

CAntábo dilecto meo cánticum patruélis mei víneæ ſuæ. Vínea facta eſt dilecto meo in cornu fílio ólei. Et ſepívit eam, & lápides elégit ex illa: & plantávit eam electam, & ædificávit turrim in médio ejus, & tórcular extruxit in ea: & expectávit ut fáceret uvas, & fecit labruſcas. Nunc ergo, habitatóres Jerúſalem, & viri Juda, judicáte inter me & víneam meam. Quid eſt quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? An quòd expectávi ut fáceret uvas, & fecit labruſcas. Hæc dicit, &c.

℟. Præparábitur. *p.* 174.

Lectio ij.

ET nunc oſtendam vobis quid ego fáciam víneæ meæ. Auferam ſepem ejus, & erit in direptiónem: díruam macériam ejus, & erit in conculcatiónem; & ponam eam deſertam. Non putábitur, & non fodiétur; & aſcendent vepres & ſpinæ: & núbibus mandábo ne pluant ſuper eam imbrem. Vínea enim Dómini exercítuum, domus Iſrael eſt; & vir Juda, germen ejus delectábile: & expectávi ut fáceret judícium, & ecce iníquitas; & juſtítiam, & ecce clamor. Hæc dicit, &c.

℟. Confortáre, *pag.* 175.

Lectio iij.

VÆ qui consúrgitis manè ad ebrietátem ſectandam, & potandum uſque ad véſperam, ut vino æſtuétis. Cíthara & lyra, & tympanum & tíbia, & vinum in convíviis veſtris: & opus Dómini non reſpícitis; nec ópera mánuum ejus conſiderátis. Proptéreà captívus ductus eſt pópulus meus, quia non hábuit ſciéntiam; & nóbiles ejus interiérunt fame, & multitúdo ejus ſiti exáruit. Proptéreà dilatávit infernus ánimam ſuam, & apéruit os ſuum abſque ullo término: & deſcendent fortes ejus, & pópulus ejus, & ſublímes glorióſique ejus ad eum. Et incurvábitur homo, & humiliábitur vir, & óculi ſublímium deprimentur. Et exaltábitur Dóminus exercítuum in judício; & Deus ſanctus ſanctificábitur in juſtítia. Hæc dicit, &c.

℟. Expectat, *pag.* 175.

Ad Bened. *Ant.* 5. c.

Convertam manum meam

ad te, Sion: poſt hæc vocáberis Cívitas Juſti, Urbs fidélis. *Iſ.* 1.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi ſecundo.

Ann. 836. *c.* 2. *Can.* 4.

CONvenit Sacerdotáli miniſtério ſcire formam Evangélicam, documenta Apoſtólica, Canónum inſtitúta, normam régulæ Paſtorális à ſanctíſſimo Pontífice Gregório éditæ; ne, juxta eumdem ſanctíſſimum virum, ab imperítis, quod abſit, Paſtorále magiſtérium áliquâ temeritáte uſurpétur aut vileſcat.

Ad Magníf. *Ant.* 7. *d.* Jerúſalem, erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam; pópulus tuus omnes juſti, in perpétuum hæreditábunt terram. *Iſ.* 60.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno quo mórtuus eſt rex Ozías, vidi Dóminum ſedentem ſuper ſólium excelſum & elevátum: & ea quæ ſub ipſo erant replébant templum:... Séraphim ſtabant ſuper illud... Væ mihi quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego ſum, & in médio pópuli pollúta lábia habentis ego hábito, & Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, & in manu ejus cálculus quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, & dixit: Ecce tétigit hoc lábia tua, & auferétur iníquitas tua, & peccátum tuum mundábitur. Hæc dicit, &c.

℟. Exulta, *pag.* 183.

Lectio ij.

ET audívi vocem Dómini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices pópulo huic: Audíte audientes, & nolíte intellígere: & vidéte viſiónem, & nolíte cognóſcere. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava; & óculos ejus claude: ne fortè vídeat óculis ſuis, & áuribus ſuis áudiat, & corde ſuo intélligat & convertátur, & ſanem eum. Et dixi: Uſquequò, Dómine? Et dixit: Donec deſolentur civitátes abſque habitatóre, & domus ſine hómine. Hæc dicit, &c.

℟. Scrutémur, *p.* 173.

Lectio iij. Cap. 7.

ET dixit Dóminus ad Iſaíam: Egrédere in occurſum Achaz tu, & qui derelíctus eſt Jaſub fílius tuus, ad extrémum aquæductûs piſcínæ ſuperióris in via agri fullónis.... Et adjécit Dóminus loqui ad Achaz dicens: Pete

tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergò, domus David. Numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe homínibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Própter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet & páriet filium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum & mel cómedet, ut ſciat reprobáre malum & elígere bonum. Hæc dicit.

℟. Oculus, *pag.* 173.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Jurávi ut non iraſcar tibi; miſericórdia mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non movébitur. *Iſ.* 54.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Anno* 1563. *Seſſione* 25. *de Reform. cap.* 18.

SCiant univerſi, ſacratíſſimos Cánones exactè ab ómnibus, & quoad ejus fieri póterit, indiſtinctè obſervandos.

Ad Magníf. *Ant.* 1. f. Ponam viſitatiónem tuam pacem, & occupábit ſalus muros tuos, & portas tuas laudátio. *Iſ.* 60.

FERIA QUINTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 8.

COngregámini, pópuli, & vincímini; & audíte, univerſæ procul terræ; confortámini, & vincímini; accíngite vos, & vincímini; ìníte conſilium, & diſſipábitur: loquímini verbum, & non fiet: quia nobiſcum Deus. Hæc enim ait Dóminus ad me: Sicut in manu forti erudívit me, ne irem in via pópuli hujus, dicens; Non dicátis, Conjurátio: ómnia enim quæ lóquitur pópulus iſte, conjurátio eſt: & timórem ejus ne timeátis, neque paveátis. Dóminum exercítuum ipſum ſanctificáte: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter; & erit vobis in ſanctificatiónem. In lápidem autem offenſiónis & in petram ſcándali duábus dómibus Iſrael; in láqueum & in ruínam habitántibus Jeruſalem. Et offendent ex eis plúrimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Liga teſtimónium, ſigna legem in diſcípulis meis. Et expectábo Dóminum, qui abſcondit fáciem ſuam à domo Jacob, & præſtolábor eum. Hæc dicit, &c.

℟. Præparábitur, *p.* 174.

Lectio ij. Cap. 10.

NUmquid gloriábitur ſecúris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltábitur ſerra contra eum à quo tráhitur? Quómodo ſi

elevétur virga contra elevantem ſe, & exaltétur báculus qui útique lignum eſt. Propter hoc mittet Dominátor Dóminus exercítuum in pínguibus ejus tenuitátem: & ſubtùs glóriam ejus ſuccenſa ardébit quaſi combúſtio ignis. Et erit lumen Iſrael in igne, & Sanctus ejus in flamma: & ſuccendétur, & devorábitur ſpina ejus, & vepres in die una. Hæc dicit, &c.

℟. Confortáre, *pag.* 175.

Lectio iij.

ET erit in die illa: non adjíciet resíduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Jacob, inniti ſuper eo qui pércutit eos: ſed innitétur ſuper Dóminum, Sanctum Iſrael, in veritáte. Relíquiæ convertentur, relíquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fúerit pópulus tuus, Iſrael, quaſi aréna maris, relíquiæ convertentur ex eo: conſummátio abbreviáta inundábit juſtítiam. Conſummatiónem enim & abbreviatiónem Dóminus Deus exercítuum fáciet in médio omnis terræ. Hæc dicit, &c.

℟. Expectat, *pag.* 175.

Ad Bened. *Ant.* 4. A. In monte Sion, & in Jerúſalem erit ſalvátio, & in resíduis quos Dóminus vocáverit. *Joel.* 2.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 22. *de Reform. c.* 1.

STátuit ſancta Synodus, ut quæ áliàs à ſummis Pontificibus, & à ſacris Concíliis de Clericórum vita, honeſtáte, cultu, doctrinâque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſatiónibus, choréis, áleis, lúſibus, ac quibuſcumque crimínibus, necnon ſeculáribus negótiis fugiendis, copióſè ac ſalúbriter ſancíta fuérunt, eádem in póſterum iiſdem pœnis vel majóribus, arbitrio Ordinárii, imponendis, obſerventur.

Ad Magníf. *Ant.* 7. a. Oriétur timéntibus nomen meum ſol juſtítiæ, & ſánitas in pennis ejus. *Malach.* 4.

FERIA SEXTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcendet: & requieſcet ſuper eum Spíritus Dómini, Spíritus ſapiéntiæ & intellectûs, Spíritus consílii & fortitúdinis, Spíritus ſciéntiæ & pietátis; & replébit eum Spíritus timóris Dómini. Non ſecundùm viſiónem oculórum judicábit, neque ſecundùm audítum aúrium árguet; ſed judicábit in ju-

ſtítia paúperes, & árguet in æquitáte pro manſuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris ſui, & ſpíritu labiórum ſuórum interfíciet ímpium. Et erit juſtítia cíngulum lumbórum ejus, & fides cinctórium renum ejus. Hæc dicit, &c.

℟. Exulta, *pag.* 183.

Lectio ij.

HAbitábit lupus cum agno; & pardus cum hædo accubábit: vítulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur; & puer párvulus minábit eos. Vítulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent cátuli eórum: & leo quaſi bos cómedet páleas. Et delectábitur infans ab úbere ſuper forámine áſpidis: & in caverna réguli, qui ablactátus fúerit, manum ſuam mittet. Non nocébunt, & non occídent in univerſo monte ſancto meo; quia repléta eſt terra ſciéntiâ Dómini, ſicut aquæ maris operientes. Hæc dicit.

℟. Scrutémur, *pag.* 173.

Lectio iij.

IN die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum ejus glorióſum. Et erit in die illa: Adjíciet Dóminus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum resíduum pópuli ſui: . . . & levábit ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſrael, & diſperſos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. Hæc dicit, &c.

℟. Oculus, *pag.* 173.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Ecce ego ſalvábo pópulum meum de terra orientis & de terra occáſûs ſolis, & habitábunt in médio Jerúſalem. *Zach.* 8.

CANON.

Ex Concílio Senonenſi. *Ann.* 1528. *Decr.* 3. *de Fide.*

CUm certa ſit & infallíbilis Eccléſiæ régula, nec aliquandò inviſibilitátis prætextu elúdi queat, ea profectò ſacris generálibus Concíliis auctóritas derogári non poteſt, quæ próximè universálem repræſentant Eccléſiam.

Ad Magníf. *Ant.* 4. A. Ero Deus univerſis cognatiónibus Iſrael, & ipſi erunt mihi in pópulum. *Jer.* 31.

SABBATO.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

MIſerébitur Dóminus Jacob, & éliget adhuc de Iſrael; & requiéſcere eos fáciet ſuper humum ſuam. Adjungétur ádvena ad eos, & adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, & addúcent eos in locum ſuum: & poſſidébit eos domus Iſrael ſuper terram Dómini in ſervos & ancillas: & erunt capientes eos

qui ſe céperant; & ſubjícient exactóres ſuos. Et erit in die illa: cùm réquiem déderit tibi Deus à labóre tuo, & à concuſſióne tua, & à ſervitúte dura, quâ antè ſerviſti; ſumes parábolam iſtam contra Regem Babylónis, & dices: Quómodò ceſsávit exactor? quiévit tribútum? Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium, cædentem pópulos in indignatióne plagâ inſanábili, ſubjicientem in furóre gentes, perſequentem crudéliter. Conquiévit & síluit omnis terra, gavíſa eſt & exultávit. Hæc dicit, &c.

℟. Præparábitur, *p.* 174.

Lectio ij.

QUómodò cecidiſti de cœlo, Lúcifer, qui manè oriebáris? corruiſti in terram, qui vulnerábas gentes? Qui dicébas in corde tuo: In cœlum conſcendam; ſuper aſtra Dei exaltábo sólium meum; ſedébo in monte teſtamentí, in latéribus Aquilónis; aſcendam ſuper altitúdinem núbium; símilis ero Altíſſimo. Verúmtamen ad infernum detrahéris in profundum laci: qui te víderint, ad te inclinabuntur, téque proſpícient: Númquid iſte eſt vir qui conturbávit terram, qui concuſſit regna, qui póſuit orbem deſertum, & urbes ejus deſtruxit, vinctis ejus non apéruit cárcerem? Hæc dicit.

℟. Confortáre, *pag.* 175.

Lectio iij.

NE lætéris, Philiſthæa omnis tu, quóniam comminúta eſt virga percuſsóris tui: de radíce enim cólubri egrediétur régulus, & ſemen ejus abſorbens vólucrem. Et paſcentur primogéniti paúperum, & paúperes fiduciáliter requieſcent: & interíre fáciam in fame radícem tuam, & relíquias tuas interfíciam. Ulula, porta; clama, cívitas: proſtráta eſt Philiſthæa omnis; ab Aquilóne enim fumus véniet, & non eſt qui effúgiet agmen ejus. Et quid reſpondébitur núntiis gentis? Quia Dóminus fundávit Sion, & in ipſo ſperábunt paúperes pópuli ejus. Hæc dicit, &c.

℟. Expectat, *pag.* 175.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. In sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinúimus, te: nomen tuum & memoriále tuum in deſidério ánimæ. *Iſ.* 26.

CANON.

Ex Concílio Nicæno ſecundo.

Ann. 787. *Can.* 1.

CAnones ampléctimur, non ſolùm qui ab al-

mis Apóſtolis & univerſálibus Synodis, ſed qui étiam in áliis Concíliis quæ locáliter per províncias & regiónes ſunt collecta, in expoſitiónem hujúſmodi decretórum promulgáti ſunt, & qui à ſanctis Pátribus noſtris prolâti fuiſſe probantur; ab uno enim omnes eodémque Spíritu illumináti, quæ erant utília definiérunt.

AD VESPERAS.

Pſalmi & Antiphonæ ut in Veſperis Sabbati ante Dominicam I. Adventûs, pag. 171.

Capitulum. Deut. 18.

PRophétam de gente tua, & de frátribus tuis ſicut me, ſuſcitábit tibi Dóminus Deus tuus: ipſum aúdies.

Hymnus Creátor alme, *pag.* 182.

℣. Oriétur, *pag.* 171.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Atténdite ad me, pópule meus; quia lex à me éxiet, & judícium meum in lucem populórum requieſcet *Iſ.* 51.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA II. Adventûs.

AD MATUTINUM.

Invitatorium & Hymnus, pag. 179.

Pſalmi ut in Pſalterio.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Flos de radíce Jeſſe aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spíritus ſapiéntiæ & intelléctûs, Spíritus ſciéntiæ & pietátis. *Iſ.* 11.

℣. Díriget manſuétos in judício: ℟. Docébit mites vias ſuas. *Pſ.* 24.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 16.

EMitte Agnum, Dómine, dominatórem terræ de petra deſerti ad montem fíliæ Sion. Et erit; Sicut avis fúgiens, & pulli de nido avolantes, ſic erunt fíliæ Moab in tranſcenſu Arnon. Ini consílium, coge concílium: pone quaſi noctem umbram tuam in merídie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei: Moab, eſto latíbulum eórum à fácie vaſtatóris: finítus eſt enim pulvis, conſummátus eſt miſer; deféc̄it qui conculcábat terram. Et præparábitur in miſericórdia sólium, & ſedébit ſuper illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans & quærens judícium, & velóciter reddens quod juſtum eſt. Hæc dicit, &c.

℟. Hoc erit pactum quod fériam cum domo Iſrael, dicit Dóminus; * Dabo legem meam in viſcéribus eórum, & in corde eórum ſcribam eam. ℣.

Conſummábo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda teſtamentum novum. * Dabo. *Jer.* 31. *Hebr.* 8.

Lectio ij. Cap. 19.

ECce Dóminus aſcendet ſuper nubem levem, & ingrediétur Ægyptum, & commovebuntur ſimulácra Ægypti à fácie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in médio ejus. Et concúrrere fáciam Ægyptios adversùs Ægyptios: & pugnábit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amícum ſuum, cívitas adversùs civitátem, regnum adversùs regnum. Et dirumpétur ſpíritus Ægypti in viſcéribus ejus, & consílium ejus præcipitábo: & interrogábunt ſimulácra ſua, & divínos ſuos, & pythónes & aríolos. Et tradam Ægyptum in manu dominórum crudélium, & Rex fortis dominábitur eórum, ait Dóminus Deus exercítuum. Hæc dicit, &c.

℟. Properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, aſcendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: * Et docébit nos de viis ſuis. ℣. Meſsías venit, qui dícitur Chriſtus; cùm vénerit ille, nobis annuntiábit ómnia. * Et docébit nos. *Mich.* 4. *Joann.* 4.

Lectio iij.

IN die illa erunt quinque civitátes in terra Ægypti loquentes linguâ Chánaan, & jurantes per Dóminum exercítuum: Cívitas ſolis vocábitur una. In die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti, & títulus Dómini juxta términum ejus: erit in ſignum, & in teſtimónium Dómino exercítuum in terra Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulantis, & mittet eis Salvatórem & propugnatórem qui líberet eos. Et cognoſcétur Dóminus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptii Dóminum in die illa, & colent eum in hóſtiis & in munéribus: & vota vovébunt Dómino, & ſolvent. Et percútiet Dóminus Egyptum plagâ, & ſanábit eam: & reverténtur ad Dóminum, & placábitur eis, & ſanábit eos. Hæc dicit, &c.

℟. Erunt óculi tui videntes præceptórem tuum; * Et † Aures tuæ áudient verbum monentis: Hæc eſt via, ambuláte in ea. ℣. Lex per Moyſen data eſt: grátia & véritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. * Et. Glória. † Aures. *Iſ.* 30. *Joann.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In ſciéntia ſua

juſtificábit ipſe juſtus ſervus meus multos. *Iſ.* 53.

℣. Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus;

℟. Quóniam loquétur pacem in plebem ſuam. *Pſ.* 84.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 1. de Jejunio decimi menſis & Collectis.

Lectio iv.

SI fidéliter, dilectiſſimi, atque ſapienter creatiónis noſtræ intelligámus exórdium, inveniémus hóminem ídeò ad imáginem Dei cónditum, ut imitátor ſui eſſet auctóris; & hanc eſſe naturálem noſtri géneris dignitátem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpéculo divínæ benignitátis forma reſpléndeat. Ad quam quotídiè nos útique réparat grátia Salvatóris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in ſecundo.

℟. Prophétam ſuſcitábo eis, & ponam verba mea in ore ejus; * Loquetúrque ad eós ómnia quæ præcépero illi. ℣. Hic eſt verè Prophéta qui ventúrus eſt in mundum. * Loquetúrque. *Deut.* 18. *Joann.* 6.

Lectio v.

CAuſa autem reparatiónis noſtræ non eſt niſi miſericórdia Dei, quem non diligerémus, niſi nos prior ipſe dilígeret; & ténebras ignorántiæ noſtræ ſuæ veritátis luce diſcúteret. Quod per ſanctum Iſaíam Dóminus pronúntians ait: Addúcam cæcos in viam quam ignorábant, & sémitas quas neſciébant, fáciam illos calcáre. Fáciam illis ténebras in lucem, & prava in directa. Hæc verba fáciam illis, & non relinquam eos. Et íterùm; Inventus ſum, inquit, à non quæréntibus me, & palàm appárui iis qui me non interrogábant.

℟. Fériam vobiſcum pactum ſempitérnum, miſericórdias David fidéles; * Ecce teſtem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. ℣. Mittam Fílium meum dilectum. * Ecce teſtem. *Iſ.* 55. *Luc.* 20.

Lectio vj.

QUod quómodò implétum ſit, Joannes Apóſtolus commémorat, dicens: Scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum, & ſimus in vero Fílio ejus. Et íterùm: Nos ergo diligámus Deum, quóniam ipſe prior diléxit nos. Diligendo ítaque nos, Deus ad imáginem ſuam nos réparat: & ut in nobis formam ſuæ bonitátis invéniat, dat unde ipſi quoque, quod operátur, operémur: accendens ſcílicet méntium noſtrárum lucernas; & igne nos ſuæ caritátis inflammans;

mans; ut non ſolùm ipſum, ſed étiam quidquid díligit, diligámus.

℟. Pópulus durâ cervíce convertétur, & ſcient quia ego ſum Dóminus Deus eórum; & * Dabo eis cor, & intélligent; aures, & aúdient, & laudábunt me. ℣. Inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos: & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus. * Dabo eis. Glória. * Dabo. *Baruch.* 2. *II. Cor.* 6.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Ducam cæcos in viam quam néſciunt; & in sémitis quas ignoravérunt, ambuláre eos fáciam. *Iſ.* 42.

℣. Benedictiónem dabit legiſlátor; ℟. Vidébitur Deus deórum in Sion. *Pſ.* 83.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: Joannes, cùm audiſſet in vínculis ópera Chriſti, mittens duos de diſcípulis ſuis, ait illi: Tu es qui ventúrus es? an álium expectámus? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 6. in Evang.

§. 1.

VIſis tot ſignis tantíſque virtútibus, non ſcandalizári quiſquam pótuit, ſed admirári. Sed infidélium mens grave in illo ſcándalum pértulit; cùm eum poſt tot mirácula morientem vidit. Unde & Paulus dicit: Nos autem prædicámus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam. Stultum quippe homínibus viſum eſt, ut pro homínibus auctor vitæ morerétur: & inde contra eum homo ſcándalum ſumpſit, unde étiam plus débitor fieri débuit. Nam tantò Deus ab homínibus dígniùs honorandus eſt, quantò pro homínibus & indigna ſuſcépit.

℟. Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos: tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt: tunc sáliet ſicut cervus claudus; * Et aperta erit lingua mutórum. ℣. Cæci vident, claudi ámbulant, lepróſi mundantur, ſurdi aúdiunt. * Et aperta. *Iſ.* 35. *Matth.* 11.

Lectio viij.

QUid eſt ergo dícere: Beátus qui non fúerit ſcandalizátus in me; niſi apertâ voce abjectiónem mortis ſuæ humilitatémque ſignáre? Ac ſi patenter dicat: Mira quidem fácio, ſed abjecta pérpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te ſúbſequor, ca-

vendum valdè eſt homínibus ne in me mortem deſpíciant, qui ſigna venerantur.

℟. Audient in die illa ſurdi verba libri, & de ténebris & calígine óculi cæcórum vidébunt; * Et paúperes hómines in Sancto Iſrael exultábunt. ℣. Mórtui reſurgunt, paúperes evangelizantur. * Et paúperes. *Iſ.* 29. *Matth.* 11.

Lectio ix. §. 5.

SEd quid exiſtis vidére in deſertum? Prophétam? Etiam, dico vobis, & plus quàm Prophétam. Prophétæ quippe miniſtérium eſt ventúra prædícere, non étiam demonſtráre. Joannes ergo plus quàm Prophéta eſt, quia eum quem præcurrendo prophetáverat, étiam oſtendendo monſtrábat. Sed quia arundo vento agitáta eſſe denegátur, quia non eſſe veſtítus móllibus dícitur, quia Prophétæ nomen huic impar eſſe perhibétur; jam quid digne dici poſſit, audiámus. Séquitur: Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

℟. Euntes renuntiáte Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. * Beátus eſt qui non fúerit ſcandalizátus in me. ℣. Qui me invénerit, invéniet vitam, & hauriet ſalútem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam ſuam.* Beátus eſt. Glória. * Beátus eſt. *Matth.* 11 *Prov.* 8.

AD LAUDES.

Antiphona. 8. g.

DOminus formans me ex útero ſervum ſibi, ut redúcam Jacob ad eum, dixit: Ecce dedi te in lucem géntium. *Iſ.* 49.

Ant. 2. D. Ad annuntiandum manſuétis miſit me, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem. *Iſ* 61.

Ant. 3. a. Miſit me ut prædicárem annum placábilem Dómino, ut conſolárer omnes lugentes. *Iſ.* 61.

Cantic. Miſerére, Deus, *pag.* 180.

Ant. 1. d. Dabo eis cor ut ſciant me; & erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum. *Jer.* 24.

Ant. 7. b. Lætábor ſuper eis cùm benè eis fécero; addúcam ſuper eos omne bonum quod ego loquor ad eos. *Jer.* 32.

Capitulum. Iſ. 48.

HÆc dicit Dóminus redemptor tuus, Sanctus Iſrael: Ego Dóminus Deus tuus, docens te utília, gubernans te in via quâ ámbulas.

Hymnus, Vox clara, ℣. Excita, *pag.* 180.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Joannes, cùm audiſſet in vínculis ópera Chriſti, mittens duos de diſcípulis ſuis, ait : Tu es qui ventúrus es? an álium expectámus? *Matth.* 11.

Oratio.

EXcita, Dómine, corda noſtra ad præparandas Unigéniti tui vias; ut per ejus adventum purificátis tibi méntibus, ſervíre mereámur; Qui tecum vivit & regnat.

AD PRIMAM.

Ant. 8. g. Dóminus.

CANON.

Ex Concílio Bituricenſi. *Ann.* 1584. *tit.* 24. *Can.* 2.

CUjuſque Ordinis myſtérium & rátio explicétur, ut inde Ordinem ſuum reveréri unuſquíſque diſcat, ejúſque dignitátem omnes ſuſpíciant.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Ad annuntiandum.

Capitulum. Iſ. 42.

DEdi te in fœdus pópuli, in lucem géntium, ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de concluſióne vinctum, de domo cárceris ſedentes in ténebris.

℟. *breve.* Tu exurgens, *pag.* 181.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Miſit me.

Capitulum. Iſ. 54.

POnam univerſos fílios tuos doctos à Dómino, & multitúdinem pacis fíliis tuis : & in juſtítia fundáberis.

℟. *breve.* Dóminus, *pag.* 181.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Lætábor.

Capitulum. Jer. 33.

ERit mihi in nomen, & in gáudium, & in laudem, & in exultatiónem cunctis géntibus terræ, quæ audíerint ómnia bona, quæ ego factúrus ſum eis.

℟. *brev.* Oculi, *p.* 182.

AD VESPERAS.

Antiphona. 1. f.

ECce ego mitto Angelum meum, & præparábit viam ante fáciem meam, & ſtatìm véniet Dominátor. *Malach.* 3.

Ant. 2. D. Præparábitur in miſericórdia ſólium, & ſedébit ſuper illud in veritáte in tabernáculo David. *Iſ.* 16.

Ant. 4. F. Dóminus diléxit eum, fáciet voluntátem ſuam. Ego, ego adduxi eum, & directa eſt via ejus. *Iſ.* 48.

Ant. 7. a. Veníte in conſpectu ejus : commoveátur à fácie ejus omnis terra, quia venit. *I. Paral.* 16.

Ant. 5. a. Paſtor unus

erit ómnium eórum : in judíciis meis ambulábunt, & mandáta mea cuſtódient, & fácient ea. *Ezech.* 37.

Capitulum. Jer. 32.

FEriam eis pactum ſempiternum, & non déſinam eis benefácere, & timórem meum dabo in corde eórum, ut non recédant à me.

Hymnus, Creátor alme.

℣. Memento. *pag.* 182.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Dixit Jeſus ad turbas de Joanne : Hic eſt de quo ſcriptum eſt : Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11.

Oratio ſuprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophétæ.

Lectio j. Cap. 24.

ECce Dóminus diſſipábit terram, & nudábit eam, & afflíget fáciem ejus, & diſperget habitatóres ejus. Et erit ſicut pópulus, ſic ſacerdos ; & ſicut ſervus, ſic dóminus ejus ; ſicut ancilla, ſic dómina ejus ; ſicut emens, ſic ille qui vendit ; ſicut fœnerátor, ſic is qui mútuum áccipit ; ſicut qui répetit, ſic qui debet. Diſſipatióne diſſipábitur terra, & direptióne prædábitur. Dóminus enim locútus eſt verbum hoc. Luxit & defluxit terra, & infirmáta eſt : defluxit orbis, infirmáta eſt altitúdo pópuli terræ. Et terra infecta eſt ab habitatóribus ſuis ; quia tranſgreſſi ſunt leges, mutavérunt jus, diſſipavérunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledíctio vorábit terram, & peccábunt habitatóres ejus : ideóque insánient cultóres ejus, & relinquentur hómines pauci. Hæc dicit, &c.

℟. Hoc erit, *pag.* 190.

Lectio ij.

TRanſlátum eſt gaúdium terræ : relicta eſt in urbe ſolitúdo, & calámitas ópprimet portas. Quia hæc erunt in médio terræ, in médio populórum : quómodò ſi paucæ olívæ quæ remansérunt, excutiantur ex ólea ; & racémi, cùm fúerit finíta vindémia. Hi levábunt vocem ſuam atque laudábunt : cùm glorificátus fúerit Dóminus, hínnient de mari. Propter hoc in doctrínis glorificáte Dóminum : in ínſulis maris nomen Dómini Dei Iſrael. A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam Juſti. Hæc dicit, &c.

℟. Properábunt, *p.* 191.

Lectio iij.

IN die illa viſitábit Dóminus ſuper milítiam cœli in excelſo ; & ſuper

reges terræ qui ſunt ſuper terram. Et congregabuntur in congregatióne unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in cárcere; & poſt multos dies viſitabuntur. Et erubeſcet luna, & confundétur ſol, cùm regnáverit Dóminus exercítuum in monte Sion & in Jeruſalem; & in conſpectu ſenum ſuórum fúerit glorificátus. Hæc dicit, &c.

℟. Erunt óculi tui, *p.* 191.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Míſerans miſerébitur tuî Dóminus, & non fáciet avoláre à te ultrà Doctórem tuum. *Iſ.* 30.

CANON.

Ex Concílio Bituricenſi. *Ann.* 1584. *tit.* 24.

CUm legem Chriſti Dómini duntaxat adumbrârit lex Moſis, & ſacrificii miniſtros habúerit Levítas, Sacerdótes & Pontífices: æquum eſt étiam legis Evangélicæ ſuos quoſdam eſſe miniſtros, qui & altári sérviant, & myſtéria diſpenſent.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. In die illa inclinábitur homo ad factórem ſuum, & óculi ejus ad Sanctum Iſrael reſpícient. *Iſ.* 17.

FERIA TERTIA.

De Iſáia Prophéta.

Lectio j. Cap. 28.

VÆ corónæ ſupérbiæ, ébriis Ephraim, & flori decidenti, glóriæ exultatiónis ejus; qui erant in vértice vallis pinguíſſimæ, errantes à vino. Ecce válidus & fortis Dóminus ſicut ímpetus grándinis; turbo confringens ſicut ímpetus aquárum multárum inundántium, & emiſsárum ſuper terram ſpatióſam. Pédibus conculcábitur coróna ſupérbiæ ebriórum Ephraim. Et erit flos décidens glóriæ exultatiónis ejus qui eſt ſuper vérticem vallis pínguium, quaſi temporáneum ante maturitátem autumni: quod cùm aſpéxerit videns, ſtatìm ut manu tenúerit, devorábit illud. Hæc dicit, &c.

℟. Prophétam, *pag.* 192.

Lectio ij.

IN die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, & ſertum exultatiónis resíduo pópuli ſui; & ſpíritus judícii ſedenti ſuper judícium, & fortitúdo reverténtibus de bello ad portam. Verùm hi quoque præ vino neſciérunt, & præ ebrietáte erravérunt. Sacerdos & Prophéta neſciérunt præ ebrietáte, abſorpti ſunt à vino, erravérunt in ebrietáte; neſciérunt videntem, ignoravérunt judícium. Omnes enim menſæ replétæ ſunt vómitu, ſordiúmque, ita ut non eſſet ultrà locus.

Quem docébit ſciéntiam? & quem intellígere fáciet audítum? Ablactátos à lacte, avulſos ab ubéribus. Hæc dicit, &c.

℟. Fériam, *pag.* 192.

Lectio iij.

AUdíte verbum Dómini, viri illusóres, qui dominámini ſuper pópulum meum qui eſt in Jerúſalem. Dixiſtis enim: Percúſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fécimus pactum. Flagellum inundans cùm transíerit, non véniet ſuper nos; quia posúimus mendácium ſpem noſtram, & mendácio protecti ſumus. Idcircò hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lápidem, lápidem probátum, angulárem, prêtióſum, in fundamento fundátum: qui credíderit, non feſtínet. Et ponam in póndere judícium, & juſtítiam in mensúra: & ſubvertet grando ſpem mendácii; & protectiónem aquæ inundábunt. Et delébitur fœdus veſtrum cum morte; & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Hæc dicit, &c.

℟. Pópulus, *pag.* 193.

Ad Bened. *Ant.* 8. c. De Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúſalem. *Mich.* 4.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricenſi. *Ann.* 1584. *tit.* 24.

INſtítuit Chriſtus Dóminus duódecim Apóſtolos Eccléſiæ ſuæ miniſtros, diſpenſatóres verbi ſui & Sacramentórum: quibus póſteà ſecundi Ordinis ſeptuaginta duos diſcípulos adjunxit, quorum óperâ totum mundum illuſtrávit.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Dedi te in fœdus pópuli, ut díceres his qui vincti ſunt; Exíte: & his qui in ténebris; Revelámini. *Iſ.* 49.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 29.

OBſtupéſcite & admirámini; fluctuáte & vacilláte: inebriámini, & non à vino; movémini, & non ab ebrietáte. Quóniam míſcuit vobis Dóminus ſpíritum ſopóris; claudet óculos veſtros. Prophétas & príncipes veſtros qui vident viſiónes, opériet. Et erit vobis víſio ómnium ſicut verba libri ſignáti, quem cùm déderint ſciénti lítteras, dicent: Lege iſtum: & reſpondébit: Non poſſum; ſignátus eſt enim. Et dábitur liber neſcienti lítteras, dicetúrque ei: Lege: & reſpondébit: Néſcio lítteras. Hæc dicit, &c.

℟. Hoc erit, *pag.* 190.

Lectio ij.

ET dixit Dóminus : Eò quòd appropinquat pópulus iſte ore ſuo, & lábiis ſuis gloríficat me, cor autem ejus longè eſt à me, & timuérunt me mandáto hóminum & doctrínis : ideò ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic miráculo grandi & ſtupendo : períbit enim ſapiéntia à ſapiéntibus ejus ; & intellectus prudéntium ejus abſcondétur. Væ qui profundi eſtis corde, ut à Dómino abſcondátis consílium ; quorum ſunt in ténebris ópera, & dicunt : Quis videt nos ? &, Quis novit nos ? Perverſa eſt hæc veſtra cogitátio : quaſi ſi lutum contra figulum cógitet, & dicat opus factóri ſuo : Non feciſti me ; & figmentum dicat fictóri ſuo : Non intélligis. Hæc dicit, &c.

℟. Properábunt, *p.* 191.

Lectio iij.

AUdient in die illa ſurdi verba libri ; & de ténebris & calígine óculi cæcórum vidébunt. Et addent mites in Dómino lætítiam, & paúperes hómines in Sancto Iſrael exultábunt ; quóniam defécit qui prævalébat, conſummátus eſt illúſor, & ſuccíſi ſunt omnes qui vigilábant ſuper iniquitátem : qui peccáre faciébant hómines in verbo, & arguentem in porta ſupplantábant, & declinavérunt fruſtrà à Juſto. Propter hoc hæc dicit Dóminus ad domum Jacob, qui redémit Abraham : Non modò confundétur Jacob, nec modò vultus ejus erubeſcet : ſed, cùm víderit filios ſuos, ópera mánuum meárum, in médio ſuî ſanctificantes nomen meum, & ſanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Iſrael prædicábunt : & ſcient errantes ſpíritu intellectum, & muſſitatóres diſcent legem. Hæc dicit, &c.

℟. Erunt óculi tui, *pag.* 191.

Ad Bened. *Ant.* 3. *a.* Ecce ſuper montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem. *Nahum.* 1.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ordine, cap.* 4.

SI quis omnes Chriſtiános promíſcuè novi teſtamenti Sacerdótes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtáte ſpirituáli præditos affirmet ; nihil áliud fácere vidétur, quàm Eccleſiáſticam Hierárchiam quæ eſt ut caſtrórum ácies ordináta, confúndere ; perindè ac ſi, contra beáti Pauli doctrínam, omnes Apóſtoli, omnes Prophétæ, omnes Evangeliſtæ, omnes

Paſtóres, omnes ſint Doctóres.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Domus Jacob, veníte, & ambulémus in lúmine Dómini. *Iſ.* 2.

FERIA QUINTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 30.

VÆ filii deſertóres, dicit Dóminus, ut facerétis consílium, & non ex me: & ordiréminì telam, & non per ſpíritum meum, ut adderétis peccátum ſuper peccátum: qui ambulátis ut deſcendátis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxílium in fortitúdine Pharaónis, & habentes fidúciam in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitúdo Pharaónis in confuſiónem, & fidúcia umbræ Ægypti in ignomíniam. Hæc dicit, &c.

℟. Prophétam, *pag.* 192.

Lectio ij.

POpulus enim ad iracúndiam próvocans eſt, & filii mendáces, filii nolentes audíre legem Dei. Qui dicunt vidéntibus, Nolíte vidére: & aſpiciéntibus, Nolíte aſpícere nobis ea quæ recta ſunt: loquímini nobis placéntia, vidéte nobis erróres. Auferte à me viam, declináte à me sémitam: ceſſet à fácie noſtra Sanctus Iſrael. Proptéreà hæc dicit Sanctus Iſrael: Pro eo quòd reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calúmnia & in tumultu, & innixi eſtis ſuper eo; proptéreà erit vobis iníquitas hæc ſicut interrúptio cadens, & requiſíta in muro excelſo; quóniam súbitò, dum non ſperátur, véniet contrítio ejus. Hæc dicit, &c.

℟. Fériam, *pag.* 192.

Lectio iij.

PRoptéreà expectat Dóminus ut miſereátur veſtrî: & ídeò exaltábitur parcens vobis; quia Deus judícii Dóminus: beáti omnes qui expectant eum. Pópulus enim Sion habitábit in Jerúſalem; plorans nequáquàm plorábis: míſerans miſerébitur tuî. Ad vocem clamóris tui ſtatìm ut audíerit, reſpondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, & aquam brevem: & non fáciet avoláre à te ultrà Doctórem tuum: & erunt óculi tui videntes præceptórem tuum; & aures tuæ aúdient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambuláte in ea; & non declinétis neque ad déxteram, neque ad ſiniſtram. Hæc dicit, &c.

℟. Pópulus, *pag.* 193

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Ponam óculos meos ad placandum; & dabo eis

cor ut ſciant me. *Jer.* 24.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ordine, cap.* 6.

SI quis díxerit in Ecclé-ſia Cathólica non eſſe Hierárchiam divínâ ordinatióne inſtitútam, quæ conſtat ex Epíſcopis, Presbyteris & Miniſtris, anáthema ſit.

Ad Magníf. Ant. 2. D. Státuam illis teſtamentum álterum ſempitérnum, ut ſim illis in Deum: & ipſi erunt mihi in pópulum. *Baruch*, 2.

FERIA SEXTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 30.

DAbitur plúvia sémini tuo, ubicumque ſemináveris in terra: & panis frugum terræ erit ubérrimus & pinguis. Páſcétur in poſſeſſióne tua in die illo agnus ſpatiósè: & tauri tui, & pulli aſinórum qui operantur terram, commiſtum migma cómedent, ſicut in área ventilátum eſt. Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem elevátum rivi curréntium aquárum, in die interfectiónis multórum, cùm cecíderint turres. Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſéptempliciter ſicut lux ſeptem diérum, in die quâ alligáverit Dóminus vulnus pópuli ſui, & percuſſúram plagæ ejus ſanáverit. Hæc dicit, &c.

℟. Hoc erit pactum, *pag,* 190.

Lectio ij.

ECce nomen Dómini venit de longinquo; ardens furor ejus & gravis ad portandum: lábia ejus repléta ſunt indignatióne, & lingua ejus quaſi ignis dévorans. Spíritus ejus velut torrens inundans uſque ad médium colli; ad perdendas gentes in níhilum, & frænum erróris, quod erat in maxillis populórum. Cánticum erit vobis ſicut nox ſanctificátæ ſolemnitátis, & lætítia cordis, ſicut qui pergit cum tíbia, ut intret in montem Dómini ad Fortem Iſrael. Et audítam fáciet Dóminus glóriam vocis ſuæ, & terrórem bráchii ſui oſtendet in comminatióne furóris, & flamma ignis devorantis: allídet in túrbine & in lápide grándinis. A voce enim Dómini pavébit Aſſur virgâ percuſſus. Hæc dicit, &c.

℟. Properábunt gentes, *pag.* 191.

Lectio iij. Cap. 32.

ECce in juſtítia regnábit Rex, & príncipes in judício præerunt. Et erit vir ſicut qui abſcónditur à vento, & celat ſe à

tempeſtáte ſicut rivi aquárum in ſiti, & umbra petræ prominentis in terra deſerta. Non caligábunt óculi vidéntium; & aures audiéntium diligenter auſcultábunt. Et cor ſtultórum intélliget ſciéntiam; & lingua balbórum velóciter loquétur & planè. Non vocábitur ultrà is qui insípiens eſt, princeps; neque fraudulentus appellábitur major. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertimini ad me, & ſalvi éritis.

℟. Erunt óculi tui videntes, *pag.* 191.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Ego ſuſcitávi Chriſtum meum ad juſtítiam, & omnes vias ejus dirigam. *Iſ.* 45.

CANON.

Ex Concílio Pariſienſi ſexto.

Anno 829. *libro* 1. *cap.* 4.

SAcerdótes per Dei grátiam fiunt divínæ voluntátis índices, Eccleſiárum Chriſti, poſt Apóſtolos fundatóres, fidélis pópuli duces, veritátis aſſertóres, pravæ doctrínæ hoſtes, ómnibus bonis amábiles.

Ad Magníf. *Ant.* 7. d. Expectátio Iſrael, Salvátor ejus in témpore tribulatiónis; Dómine, nè derelinquas nos. *Jer.* 14.

SABBATO.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 32.

ERit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputábitur. Et habitábit in ſolitúdine judícium; & juſtítia in Charmel ſedébit. Et erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium & ſecúritas uſque in ſempiternum. Et ſedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulenta. Hæc dicit, &c.

℟. Prophétam, *p.* 192.

Lectio ij. Cap. 33.

VÆ qui prædáris; nonne & ipſe prædáberis, & qui ſpernis; nonne & ipſe ſpernéris? Cùm conſummáveris deprædatiónem, deprædáberis: cùm fatigátus desíeris contémnere, contemnéris. Dómine, miſerére noſtrî; te enim expectávimus: eſto bráchium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis. A voce Angeli fugérunt pópuli, & ab exaltatióne tua diſperſæ ſunt gentes. Et congregabuntur ſpólia veſtra ſicut collígitur bruchus, velut cùm foſſæ plenæ fúerint de eo. Magnificátus eſt Dóminus, quóniam habitávit in excelſo: implévit Sion judício & juſti-

tiâ. Et erit fides in tempóribus tuis; divítiæ ſalútis ſapiéntia & ſciéntia: timor Dómini ipſe eſt theſaurus ejus. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertimini ad me, & ſalvi éritis.

℟. Fériam vobiſcum, *pag.* 192.

Lectio iij.

NUnc conſurgam, dicit Dóminus: nunc exaltábor, nunc ſublevábor. Concipiëtis ardórem, pariétis ſtípulam: ſpíritus veſter ut ignis vorábit vos. Et erunt pópuli quaſi de incéndio cinis; ſpinæ congregátæ igni comburentur. Audíte, qui longè eſtis, quæ fécerim; & cognóſcite, vicíni, fortitúdinem meam. Contérriti ſunt in Sion peccatóres; poſſédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devorante? quis habitábit ex vobis cum ardóribus ſempiternis? Qui ámbulat in juſtítiis, & lóquitur veritátem; qui prójicit avarítiam ex calúmnia, & excutit manus ſuas ab omni múnere; qui obtúrat aures ſuas, ne aúdiat ſánguinem, & claudit óculos ſuos ne vídeat malum. Iſte in excelſis habitábit: munimenta ſaxórum ſublímitas ejus; panis ei datus eſt, aquæ ejus fidéles ſunt. Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertimini ad me, & ſalvi éritis.

℟. Pópulus durâ cervíce, *pag.* 193.

Ad Bened. *Ant.* 4. A. Tempus requirendi Dóminum, cùm vénerit qui docébit vos juſtítiam. *Oſ.* 10.

CANON.

Ex Concílio Pariſienſi ſexto.

Anno 829. *libro* 1. *cap.* 12.

GRandis dígnitas Sacerdótum; ſed grandis ruína, ſi peccent. Lætámur ad aſcenſum: ſed timeámus ad lapſum. Non eſt tanti gaúdii excelſa tenuiſſe, quanti mœróris de ſublímibus corruiſſe. Nec enim ſolùm pro delictis noſtris reddémus ratiónem; ſed pro ómnium, quorum abútimur donis, & nequáquàm ſumus de eórum ſalúte ſollíciti.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Sabbato & Antiphonæ ut in Veſperis Sabbati ante Dominicam I. Adventûs, pag. 171.

Capitulum. Gen. 49.

NOn auferétur ſceptrum de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectátio géntium.

Hymn. Creátor alme, *pag.* 282.

℣. Oriétur, *pag.* 171.

Ad Magnif. [*Niſi dicenda ſit Antiph.*O,] *Ant.* 3. a. Sion, vidébunt gentes Juſtum tuum, & cuncti reges Inclytum tuum; & vocábitur tibi nomen novum quod os Dómini nominábit. *Iſ.* 62.

Orat. ut infrà ad Laudes.

DOMINICA III. Adventûs.

Ad Matut. Invit. Hymn. pag. 179.

Pſalmi de Pſalterio.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Noli timére, Sion; non diſſolvantur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis: ipſe ſalvábit. *Soph.* 3.

℣. Tu, Dómine, pópulum húmilem ſalvum fácies, ℟. Et óculos ſuperbórum humiliábis. *Pſ.* 17.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 33.

RESpice Sion civitátem ſolemnitátis noſtræ: óculi tui vidébunt Jerúſalem, habitatiónem opulentam, tabernáculum quod nequáquam transferri póterit. Nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur; quia ſolúmmodò ibi magníficus eſt Dóminus noſter. Locus fluviórum rivi latíſſimi & patentes; non tranſíbit per eum navis rémigum, neque triéris magna tranſgrediétur eum. Dóminus enim judex noſter, Dóminus légifer noſter, Dóminus rex noſter: ipſe ſalvábit nos. Hæc dicit, &c.

℟. Stabit Dominátor in Iſrael, & paſcet in ſublimitáte nóminis Dómini Dei ſui; * Et magnificábitur uſque ad términos terræ. ℣. Exiet Dux qui regat pópulum meum Iſrael. * Et magnificábitur. *Mich.* 5. *Matth.* 2.

Lectio ij. Cap. 35.

LÆtábitur deſerta & ínvia, & exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans. Glória Libani data eſt ei; decor Carméli & Saron. Ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas, & génua debília roboráte. Dícite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére: ecce Deus veſter ultiónem addúcet retributiónis; Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos. Tunc aperientur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt. Tunc sáliet ſicut cervus, claudus; & aperta erit lingua mutórum: quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitúdine:

& quæ erat árida, erit in ſtagnum; & sítiens, in fontes aquárum. Hæc dicit, &c.

℟. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis; * Super sólium David, & ſuper regnum ejus ſedébit: ut confirmet illud, & corróboret in judício & juſtítiâ. ℣. Dabit illi Dóminus Deus ſedem David patris ejus. * Super sólium. *Iſ.* 9. *Luc.* 1.

Lectio iij.

IN cubílibus in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci. Et erit ibi sémita & via, & Via ſancta vocábitur. Non transíbit per eam pollútus; & hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala béſtia non aſcendet per eam, nec inveniétur ibi: & ambulábunt qui liberáti fúerint. Et redempti à Dómino convertentur, & vénient in Sion cum laude: & lætítia ſempiterna ſuper caput eórum; gaúdium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus. Hæc dicit, &c.

℟. Rex unus erit ómnibus ímperans, & non erunt ultrà duæ gentes, neque polluentur in idólis ſuis. Erunt mihi pópulus, & ego ero eis Deus: * Et † Servus meus David rex ſuper eos, paſtor unus erit ómnium. ℣. Fiet unum ovíle, & unus paſtor. * Et ſervus. Glória. † Servus. *Ezech.* 37. *Joann.* 10.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Relinquent gentes idóla ſua, & vénient in Jerúſalem, & inhabitábunt in ea, adorantes Regem Iſrael. *Tob.* 14.

℣. Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: ℟. Omnes gentes magnificábunt eum. *Pſ.* 71.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Serm.* 2. *de Jejunio decimi menſis & Collectis.*

Lectio iv.

QUod témporis rátio, & devotiónis noſtræ ádmonet conſuetúdo, paſtoráli vobis, dilectíſſimi, ſollicitúdine prædicámus décimi menſis celebrandum eſſe jejúnium, quo pro conſummáta perceptióne ómnium frúctuum, diligentíſſimè largitóri eórum Deo continéntiæ libámen offertur. Quid enim poteſt efficácius eſſe jejúnio? cujus obſervántiâ appropinquámus Deo, & reſiſtentes diábolo vítia blanda ſuperámus.

℟. Jejúnium décimi erit dómui Juda in gaúdium & lætítiam, & in ſolemnitátes præcláras: * Veritátem tantùm & pacem dilígite. ℣. Pacem ſequímini cum

ómnibus, & ſanctimóniam ſine qua nemo vidébit Deum. * Veritátem. *Zach.* 8. *Hebr.* 12.

Lectio v.

SEmper virtúti cibus jejúnium fuit. De abſtinéntia pródeunt caſtæ cogitatiónes, rationábiles voluntátes, ſalubrióra consília: & per voluntárias afflictiónes caro concupiſcéntiis móritur, virtútibus ſpíritus innovátur. Sed quia non ſolo jejúnio animárum noſtrárum ſalus acquíritur, jejúnium noſtrum miſericórdiis paúperum ſuppleámus. Impendámus virtúti, quod ſubtráhimus voluptáti. Fiat reféctio paúperis abſtinéntia jejunantis.

℟. Hoc eſt jejúnium quod elégi, dicit Dóminus; Frange eſurienti panem tuum, & egénos vagóſque induc in domum tuam; * Tunc invocábis, & Dóminus exaúdiet; clamábis, & dicet: Ecce adſum. ℣. Cùm vénerit Fílius hóminis: dicet his qui à dextris ejus erunt: Veníte, benedícti Patris mei; eſurívi enim, & dediſtis mihi manducáre. * Tunc. *Iſ.* 58. *Matth.* 25.

Lectio vj.

STudeámus viduárum defenſióni, pupillórum utilitáti, lugéntium conſolatióni, diſſidéntium paci. Suſcipiátur peregrínus, adjuvétur oppreſſus, veſtiátur nudus, foveátur ægrótus: ut quicumque noſtrûm de juſtis labóribus auctóri bonórum ómnium Deo ſacrifícium hujus pietátis obtúlerit, ab eódem regni cœleſtis præmium percípere mereátur. Quartâ ígitur & ſextâ Fériâ jejunémus: Sábbato autem apud beátum Petrum Apóſtolum páriter vigilémus, cujus ſuffragántibus méritis, quæ póſcimus, impetráre poſsímus, per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

℟. Bona eſt orátio cum jejúnio & eleemóſynâ; * Quóniam † Eleemóſyna facit inveníre miſericórdiam & vitam ætérnam. ℣. Date eleemóſynam; & ecce ómnia munda ſunt vobis. * Quóniam. Glória. † Eleemóſyna. *Tob.* 12. *Luc.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Sedébit pópulus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ & in réquie opulenta. *Iſ.* 32.

℣. Fílii Sion exultent in rege ſuo; ℟. Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo. *Pſ.* 149.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore; Miſérunt Judæi ab Jeroſólymis Sacerdótes & Levítas ad Joannem ut interrogárent eum: Tu quis es? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 7. in Evang. §. 1.

EX hujus nobis lectiónis verbis, fratres caríſſimi, Joannis humílitas commendátur, qui cùm tantæ virtútis eſſet, ut Chriſtus credi potuiſſet, elégit sólidè ſubsíſtere in ſe, ne humánâ opinióne raperétur inániter ſuper ſe. Nam confeſſus eſt, & non negávit, & confeſſus eſt quia, Non ſum ego Chriſtus. Sed quia dixit, Non ſum, negávit planè quod non erat; ſed non negávit quod erat; ut veritátem loquens, ejus membrum fieret, cujus ſibi nomen falláciter non uſurpáret. Cùm ergo non vult appétere nomen Chriſti, factus eſt membrum Chriſti: quia dùm infirmitátem ſuam ſtúduit humíliter agnóſcere, illíus celſitúdinem méruit veráciter obtinére.

℟. Hoc eſt teſtimónium Joannis, quandò miſérunt Judæi ad eum; * Non ſum ego Chriſtus: non ſum Elías: non ſum Prophéta: ego vox clamantis in deſerto. ℣. Non eſt exaltátum cor meum, neque ambulávi in magnis, neque in mirabílibus ſuper me. * Non ſum. *Joann.* 1. *Pſ.* 130.

Lectio viij. §. 2.

JOannes vocem ſe eſſe áſſerit, quia Verbum præcédit. Adventum ítaque Domínicum præcurrens, vox dícitur; quia per ejus miniſtérium Patris Verbum ab homínibus audítur. Qui étiam in deſerto clamat: quia derelictæ deſtitutæque Judææ ſolátium Redemptóris annúntiat. Quid autem clamet, insínuat cùm ſubjungit: Dirígite viam Dómini, ſicut dixit Iſaías Prophéta. Via Dómini ad cor dirígitur, cùm veritátis ſermo humíliter audítur. Via Dómini ad cor dirígitur, cùm ad præceptum illíus vita præparátur. Unde ſcriptum eſt: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit, & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & manſiónem apud eum faciémus.

℟. Confeſſus eſt Joannes: Non ſum ego Chriſtus: * Ipſe eſt qui poſt me ventúrus eſt, qui ante me factus eſt; cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrígiam calceamenti. ℣. Ante Dóminum qui

elégit me, vílior fiam; & ero húmilis in óculis meis. * Ipſe eſt qui poſt me. *Joann.* 1. *II.Reg.* 6.

Lectio ix. §. 3.

JOannes myſtérium noſtri Redemptóris annúntians, hunc in médio hóminum & ſtetiſſe áſſerit & neſcíri: quia per carnem Dóminus appárens, & viſíbilis éxtitit córpore, & inviſíbilis majeſtáte. De quo étiam ſubdit: Qui poſt me venit, ante me factus eſt. Sic namque dícitur, Ante me factus, ac ſi dicátur, ante me póſitus. Poſt me ergo venit, quia póſtmodùm natus: ante me autem factus eſt, quia mihi prælátus. Sed hæc pauló ſupériùs dicens, étiam prælatiónis ejus cauſas apéruit cùm ſubjunxit: Quia prior me erat. Ac ſi apertè dicat: Indè me étiam pòſt natus ſúperat, quò eum nativitátis ſuæ témpora non anguſtant. Nam qui per matrem in témpore náſcitur, ſine témpore eſt à Patre generátus. Cui quantæ reveréntiæ humilitátem débeat, ſubdendo manifeſtat: Cujus non ſum dignus ſólvere corrígiam calceamenti.

℞. Propter Sion non tacébo, & propter Jerúſalem * Non quieſcam, donec egrediátur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvátor ejus ut lampas accendátur. ℣. Ego vox clamantis in deſerto: Dírigite viam Dómini. * Non quieſcam. Glória Patri. * Non quieſcam. *Iſ.* 62. *Joann.* 1.

AD LAUDES.

Antiphona, 7. d.

REgnábit Dóminus in monte Sion ex hoc nunc & uſque in æternum. *Mich.* 4.

Ant. 4. a. Erit Jerúſalem ſancta; & erit in die illa: ſtillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte. *Joel.* 3.

Ant. 8. g. Erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium & ſecúritas uſque in ſempitérnum. *Iſ.* 32.

Cantic. Miſerére, Deus *pag.* 180.

Ant. 1. a. Sedébit vir ſubtus vitem ſuam & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui detérreat. *Mich.* 4.

Ant. 2. A. Propè eſt ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. *Iſ.* 14.

Capitulum. Jer. 31.

AUdíte verbum Dómini, gentes; & annuntiáte in ínſulis quæ procul ſunt, & dícite: Qui diſperſit Iſrael, congregábit eum; & cuſtódiet eum ſicut paſtor gregem ſuum.

Hymn. Vox clara. ℣. Excita, *pag.* 180.

Ad Bened. *Ant.* 7. c. Ego baptízo in aqua; médius autem veſtrûm ſtetit quem vos neſcítis; ipſe eſt qui poſt me ventúrus eſt. *Joann.* 1.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut hi qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítiùs adverſitáte liberentur; Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Regnábit.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi ſecundo.

Ann. 1569. *tit.* 1. *decr.* 22.

DOmínico illo die qui quátuor ſtatúta jejúnii témpora, quibus Ordinis ſacramentum miniſtrátur, próximè antecédit, Paróchi non ſolùm ſolemne illud jejúnium hujus rei causâ inſtitútum denúntient; verùm étiam in ſua unuſquiſque eórum Parochiáli Eccléſia ſupplicatiónes piè ac religiósè hábeat: ... ut, Dei ope implorátâ, tùm Epíſcopus in eórum delectu quibus Ordines cónferet, Spíritûs ſancti lúmine illuſtrétur; tùm illi quibus conferentur, in vitæ ſanctitáte, doctrínâ religiosíſque virtútibus proficiant.

AD TERTIAM.

Ant. 4. a. Erit Jerúſalem.

Capitulum. Iſ. 52.

QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem! annuntiantis bonum, prædicantis ſalútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus.

℟. *br.* Tu exurgens, *pag.* 181.

AD SEXTAM.

Ant. 8. g. Erit opus.

Capitulum. Jer. 30.

REvertétur Jacob & quieſcet, & cunctis âffluet bonis, & non erit quem formídet; quóniam tecum ego ſum, ait Dóminus, ut ſalvem te.

℟. *br.* Dóminus. *p.* 181.

AD NONAM.

Ant. 2. A. Propè eſt.

Capitulum. Habac. 2.

APparébit in finem, & non mentiétur: ſi moram fécerit, expecta illum, quia véniens véniet, & non tardábit.

℟. *br.* Oculi. *pag.* 182.

AD VESPERAS.

Antiphona. 1. D.

VEniet ex Sion, qui erípiat & avertat impietátem à Jacob. *Rom.* 11.

Ant. 3. a. Dicit Dóminus Redemptor tuus Iſrael: Ego ſum Dóminus, ſúſcitans verbum ſervi ſui, & consílium nuntiórum ſuórum complens. *Iſai.* 44.

Ant. 1. D. Locútus ſum

ſuper Prophétas & ego viſiónem multiplicávi; & in manu Prophetárum aſſimilátus ſum. *Oſ.* 12.

Ant. 5. C. Propter hoc ſciet pópulus meus nomen meum in die illa; quia ego ipſe qui loquébar, ecce adſum. *Iſai.* 52.

Ant. 4. A. Bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra; & habitábo vobiſcum. *Jerem.* 7.

Capitulum. Iſ. 46.

PRopè feci juſtítiam meam, non elongábitur; & ſalus mea non morábitur. Dabo in Sion ſalútem, & in Iſrael glóriam meam.

Hymn. Creátor alme.

℣. Memento, *pag.* 182.

Ad Magníf. [*Niſi dicenda ſit Antiph.* O], *Ant.* 2. D. Véniet fórtior me, cujus non ſum dignus sólvere corrígiam calceamentórum ejus: ipſe vos baptizábit in Spíritu ſancto. *Luc.* 3.

Oratio, ſuprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 40.

SUper montem excelſum aſcende tu, qui evangelízas Sion: exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúſalem: exalta, noli timére. Dic civitátibus Juda: Ecce Deus veſter. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illíus coram illo. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit; fœtas ipſe portábit. Hæc dicit, &c.

℟. Stabit, *pag.* 204.

Lectio ij. Cap. 41.

TAceant ad me ínſulæ, & gentes mutent fortitúdinem: accédant, & tunc loquantur. Simul ad judícium propinquémus. Quis ſuſcitávit ab oriente Juſtum? vocávit eum ut ſequerétur ſe? Dabit in conſpectu ejus gentes, & reges obtinébit: dabit quaſi púlverem gládio ejus, ſicut ſtípulam vento raptam árcui ejus. Perſequétur eos, transíbit in pace: sémita in pédibus ejus non apparébit. Quis hæc operátus eſt & fecit, vocans generatiónes ab exórdio? Ego Dóminus: primus & noviſſimus ego ſum. Hæc dicit, &c.

℟. Multiplicábitur, *pag.* 205.

Lectio iij.

ET tu Iſrael ſerve meus, Jacob quem elégi, ſemen Abraham amíci mei, in quo apprehendi te ab extrémis terræ, & à longinquis ejus vocávi te, & dixi tibi: Servus meus es

m; elégi te, & non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum ſum : ne declínes, quia ego Deus tuus. Confortávi te, & auxiliátus ſum tibi, & ſuſcépit te déxtera Juſti mei. Ecce confundentur & erubeſcent omnes qui pugnant adversùm te : erunt quaſi non ſint, & períbunt viri qui contradícunt tibi. Quæres eos, & non invénies, viros rebelles tuos : erunt quaſi non ſint, & véluti consúmptio hómines bellantes adversùm te. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicénſque tibi : Ne tímeas, ego adjŭvi te. Hæc, &c.

℟. Rex, *pag.* 205.

[*Si incepta fuerint Ant. O, tunc ad Laudes & Horas Ant. propria, ut ordinantur ante officium Vigil. Natal. Domini.*]

Ad Bened. *Ant.* 8. c. Servus meus Princeps eórum in perpétuum, & percútiam illis fœdus pacis. *Ezech.* 37.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 23. *de Ordine, Can.* 3.

SI quis díxerit Ordinem, ſive ſacram Ordinatiónem non eſſe verè & própriè ſacramentum à Chriſto Dómino inſtitútum; vel eſſe figmentum quoddam humánum, excogitátum à viris rerum eccleſiaſticárum imperítis; aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi Miniſtros verbi Dei & Sacramentórum; anáthema ſit.

Ad Magníf. [*Niſi dicenda ſit Antiphona* O,] *Ant.* 8. g. Non éxcidit verbum Dómini : qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, revertentur ad eam. *Tob.* 14.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 42.

ECce ſervus meus; ſuſcípiam eum : electus meus; complácuit ſibi in illo ánima mea : dedi Spíritum meum ſuper eum, judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quaſsátum non cónteret, & linum fúmigans non extinguet : in veritáte edúcet judícium. Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terra judícium : & legem ejus ínſulæ expectábunt. Hæc, &c.

℟. Redempti à Dómino convertentur, * Et vénient in Sion cum laude, & lætítia ſempiterna ſuper caput eórum. ℣. Et erit : in loco ubi dictum eſt eis, Non plebs mea vos; ibi vocabuntur Fílii Dei vivi. * Et vénient in Sion. *Iſ.* 35. *Rom.* 9.

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus Deus creans cœlos, & extendens eos; firmans terram & quæ gérminant ex ea; dans flatum pópulo qui eſt ſuper eam, & ſpíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in juſtítia, & apprehendi manum tuam, & ſervávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium; ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de concluſióne vinctum, de domo cárceris ſedentes in ténebris. Ego Dóminus: hoc eſt nomen meum: glóriam meam álteri non dabo, & laudem meam ſculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce venérunt: nova quoque ego annúntio: ántequàm oriántur, audíta vobis fáciam. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ, qui deſcénditis in mare & plenitúdo ejus, ínſulæ & hábitatóres eárum. Hæc dicit, &c.

℟. Super montem excelſum aſcende tu, * Qui evangelízas Sion: exalta in fortitúdine vocem tuam, dic civitátibus Juda: Ecce Deus veſter. ℣. Verbum miſit Deus filiis Iſrael, annúntians pacem per Jeſum Chriſtum. * Qui evangelízas. *Iſ.* 40. *Act.* 10.

Lectio iij.

ET ducam cæcos in viam quam néſciunt; & in ſémitis quas ignoravérunt, ambuláre eos fáciam: ponam ténebras coram eis in lucem, & prava in recta. Hæc verba feci eis, & non derelíqui eos. Converſi ſunt retrorsùm: confundantur confuſióne qui confídunt in ſcúlptili, qui dicunt conflátili: Vos dii noſtri. Surdi, audíte; & cæci, intuémini ad vidéndum. Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem núntios meos miſi? Quis cæcus, niſi qui venúndatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Dómini? Qui vides multa, nonne cuſtódies? qui apertas habes aures, nonne aúdies? Et Dóminus vóluit ut ſanctificáret eum, & magnificáret legem, & extólleret. Hæc dicit, &c.

℟. Anima noſtra súſtinet Dóminum; quóniam adjútor & protector noſter eſt: * In eo lætábitur cor noſtrum; & in nómine ſancto ejus ſperávimus. ℣. Dictum eſt per Iſaíam Prophétam: In nómine ejus gentes ſperábunt. * In eo. Glória. * In eo. *Pſ.* 32. *Matth.* 12.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Nomen ſanctum meum notum fáciam in médio pópu-

li mei Iſrael; & ſcient gentes quia ego Dominus. *Ezech.* 39.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 12.

SCiant Epíſcopi non ſíngulos in ætáte conſtitútos debére ad Ordines aſſúmi; ſed dignos duntaxat, & quorum probáta vita ſenectus ſit.

Ad Magníficat, [*Niſi dicenda ſit Antiphona* O,] *Ant.* 8. g. Dabo clavem domûs David ſuper húmerum ejus; & apériet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui apériat. *Iſ.* 22.

FERIA QUARTA

Quatuor Temporum.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 43.

ET nunc hæc dicit Dóminus creans te, Jacob, & formans te, Iſrael: Noli timére, quia redémi te, & vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cùm tranſíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te: cùm ambuláveris in igne, non combuŕeris, & flamma non ardébit in te. Quia ego Dóminus Deus tuus, Sanctus Iſrael, Salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægyptum, Æthiópiam & Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, & glorióſus; ego dilexi te, & dabo hómines pro te, & pópulos pro ánima tua. Hæc dicit, &c.

℟. Jejúnium, *pag.* 205.

Lectio ij.

NOli timére, quia ego tecum ſum: ab Oriente addúcam ſemen tuum, & ab Occidente congregábo te. Dicam Aquilóni: Da: & Auſtro: Noli prohibére: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extrémis terræ. Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formavi eum, & feci eum. Educ foràs pópulum cæcum, & óculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt. Omnes gentes congregátæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus. Quis in vobis annúntiet iſtud, & quæ prima ſunt, audíre nos fáciet? Dent teſtes eórum, juſtificentur, & áudiant; & dicant: Verè. Vos teſtes mei, dicit Dóminus, & ſervus meus, quem elégi: ut ſciátis, & credátis mihi, & intelligátis quia ego ipſe ſum. Ante me non eſt formátus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dóminus, & non eſt abſque me ſalvátor. Hæc dicit, &c.

℟. Hoc eſt jejúnium, *pag.* 206.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1.

IN illo témpore; Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem deſponsátam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David; & nomen Vírginis, María. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in Feſto Annuntiat. B. M. Virg.

EXórdium noſtræ redemptiónis, fratres caríſſimi, hodierna nobis ſancti Evangélii léctio commendat, quæ Angelum à Deo de cœlis miſſum narrat ad Vírginem: ut novam è carne nativitátem Fílii Dei prædicáret, per quam nos, abjectâ vetuſtáte nóxiâ, renovári, atque inter fílios Dei computári poſsímus. . . . Aptum profectò humánæ reſtauratiónis princípium fuit, ut Angelus à Deo mitterétur ad Vírginem partu conſecrandam divíno: quia prima perditiónis humánæ fuit cauſa, cùm ſerpens à diábolo mittebátur ad mulíerem ſpíritu ſupérbiæ decipiendam: imò ipſe in ſerpente diábolus veniébat, qui genus humánum, deceptis paréntibus primis, immortalitátis glóriâ nudáret.

℞. Audíte, domus David: Dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium; * Et † Vocábitur nomen ejus Emmánuel. ℣. Miſſus eſt Angelus Gábriel ad Maríam, & ait ei: Ne tímeas: ecce concípies & páries fílium. * Et vocábitur. Glória. † Vocábitur. *Iſ.* 7. *Luc.* 1.

Ad Bened. *Ant.* 1. G. Ave, María, grátiâ plena: Dóminus tecum: inveniſti grátiam apud Deum. *Luc.* 1.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus: ut redemptiónis noſtræ ventúra ſolémnitas & præſentis nobis vitæ ſubsídia cónferat, & ætérnæ beatitúdinis præmia largiátur; Per Dóminum noſtrum.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes & Horas tantùm.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi quarto.

Ann. 1576. *part.* 1. *cap.* 5. *de ſacris IV. Tempor.*

SAcra Quátuor jejuniórum Témpora ex ſancti Spíritûs doctrína ſalutáriter inſtitúta, ſicut olìm & frequenti fidélium conventu, & ſolemni celebritáte, & religióſo ſupplicatiónum officio colebantur;

ita ad illórum cultum paſtoráli curâ erudítis fidélium méntibus, in uſum antíquæ pietátis revocanda ſunt.

Ad Magníf. [*Niſi dicenda ſit Antiphona* O,] *Ant.* 8. g. Angelus dixit Maríæ: Spíritus ſanctus supervéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi; ideóque & quod naſcétur ex te ſanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

Oratio, Excita, *p.* 209.

FERIA QUINTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 44.

ET nunc audi, Jacob, ſerve meus, & Iſrael quem elégi. Hæc dicit Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus: Noli timére, ſerve meus Jacob, & rectíſſime, quem elégi. Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper áridam: effundam ſpíritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiónem meam ſuper ſtirpem tuam. Et germinábunt inter herbas, quaſi sálices juxta præterfluentes aquas. Iſte dicet: Dómini ego ſum: & ille vocábit in nómine Jacob, & hic ſcribet manu ſuâ: Dómino: & in nómine Iſrael aſſimilábitur. Hæc dicit, &c.

℟. Stabit Dominátor, *pag.* 204.

Lectio ij.

MEmento horum, Jacob; & Iſrael, quóniam ſervus meus es tu. Formávi te; ſervus meus es tu, Iſrael; ne oblivíſcáris meî. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, & quaſi nébulam peccáta tua: revértere ad me, quóniam redémi te. Laudáte, cœli, quóniam miſericórdiam fecit Dóminus: jubiláte, extréma terræ: reſonáte, montes, laudatiónem, ſaltus & omne lignum ejus; quóniam redémit Dóminus Jacob, & Iſrael gloriábitur. Hæc dicit, &c.

℟. Multiplicábitur ejus imperium, *pag.* 205.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus redemptor tuus, & formátor tuus ex útero: Ego ſum Dóminus fáciens ómnia, extendens cœlos ſolus, ſtabíliens terram, & nullus mecum. Irrita fáciens ſigna divinórum, & aríolos in furórem vertens: convertens ſapientes retrorsùm, & ſciéntiam eórum ſtultam fáciens: súſcitans verbum ſervi ſui, & consílium nuntiórum ſuórum complens. Qui dico Jerúſalem, Habitáberis: & civitátibus Juda, Ædificabímini, & deſerta ejus ſuſcitábo. Qui dico profundo: Deſoláre, & flúmina

tua arefáciam. Qui dico Cyro : Paſtor meus es, & omnem voluntátem meam complébis. Qui dico Jerúſalem : Ædificáberis, & Templo : Fundáberis. Hæc dicit, &c.

℟. Rex unus, *pag.* 205.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Sion, eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui : non vocáberis ultrà Derelicta. *Iſ.* 62.

CANON.

[Ex Concílio Románo. *Ann.* 465. *Can.* 3.

INſcii litterárum, nec non & áliqua membrórum damna perpeſſi ; & hi qui ex pœniténtibus ſunt, ad ſacros Ordines aſpiráre non aúdeant. Quiſquis tálium conſecrátor extíterit, factum ſuum diſſolvet.

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 45.

EGo Dóminus, & non eſt alter, formans lucem & creans ténebras, fáciens pacem & creans malum : ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, déſuper, & nubes pluant Juſtum : aperiátur terra, & gérminet Savatórem, & juſtítia oriátur ſimul. Ego Dóminus creávi eum .... Ego ſuſcitávi eum ad juſtítiam, & omnes vias ejus dírigam : ipſe ædificábit civitátem meam, & captivitátem meam dimittet, non in prétio, neqúe in munéribus. Hæc dicit, &c.

℟. Redempti à Dómino, *pag.* 211.

[*Si hâc die occurrat Feſtum Sancti Thomæ, Lectio ſequens dividitur in duas, diviſione factâ ad Aſteriſcum.* *]

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus : Labor Ægypti, & negotiátio Æthiópiæ, & Sabaïm viri ſublímes ad te transíbunt, & tui erunt : poſt te ambulábunt ; vincti mánicis pergent ; & te adorábunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſcónditus, Deus Iſrael ſalvátor. * Confúſi ſunt, & erubuérunt omnes : ſimul abiérunt in confuſiónem fabricatóres errórum. Iſrael ſalvátus eſt in Dómino ſalúte ætérnâ : non confundémini, & non erubeſcétis uſque in ſéculum ſéculi. Quia hæc dicit Dóminus creans cœlos : ipſe Deus formans terram & fáciens eam, ipſe plaſtes ejus : non in vanum creávit eam. Hæc dicit, &c

℟. Super montem excelſum, *pag.* 212.

Lectio

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1.

EXurgens María in diébus illis, ábiit in montána cum feſtinatióne, in civitátem Juda: & intrávit in domum Zacharíæ, & ſalutávit Eliſabeth. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. in Luc. libr. 2. §. 19.

MOrále eſt ómnibus; ut qui fidem éxigunt, fidem áſtruant. Et ídeò Angelus cùm abſcóndita nuntiáret, ut fidem aſtrúeret exemplo, ſenióris féminæ ſterilíſque conceptum Vírgini Maríæ nuntiávit; ut poſsíbile Deo omne quod ei placúerit, aſséreret. Ubi audívit hoc María, non quàſi incrédula de oráculo, nec quaſi incerta de núntio, nec quaſi dúbitans de exemplo; ſed quaſi læta pro voto, religióſa pro officio, feſtína præ gaúdio, in montána perrexit. Quò enim jam Deo plena, niſi ad ſuperióra cum feſtinatióne conténderet? Neſcit tarda molímina ſancti Spíritûs grátia.

℟. Unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? * Beáta quæ credidiſti, quóniam † Perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino. ℣. Glorióſa dicta ſunt de te. * Beáta. Glória. † Perficientur. *Luc. 1. Pſ. 86.*

[*Ad Laudes & per Horas, Antiphonæ propriæ, ut infrà ante Officium Vigiliæ Natalis Domini; & ſic in ſequentibus Feriis.*]

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Ut audívit ſalutatiónem Maríæ Eliſabeth, exultávit infans in útero ejus; & repléta eſt Spíritu ſancto. *Luc. 1.*

Oratio.

AUrem tuam, quæſumus, Dómine, précibus noſtris accómmoda, & mentis noſtræ ténebras grátiâ tuæ viſitatiónis illuſtra; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes & Horas diei tantùm.

CANON.

Ex Concílio Remenſi.

Ann. 1564. *ſtat.* 8.

SAtius eſt promovendos ad ſacros Ordines & Eccléſiæ gubernatiónem, diù multúmque ánteà probáre & exploráre, quàm de témerè admiſſis póſteà pudére & pœnitére. Quapropter, ſanctárum Synodórum veſtígiis inhærendo, conabuntur Epíſcopi ſuos Cléricos gradátim, omni adhíbitâ cautióne, ordináre.

Ad Magníf. *Ant.* O.

Oratio. Excita, quæſumus, *pag.* 209.

SABBATO
Quatuor Temporum.
De Iſaía Prophéta.
Lectio j. Cap. 46.

RΕcordámini prióris ſéculi, quóniam ego ſum Deus, & non eſt ultrà Deus, nec eſt ſímilis meî : annúntians ab exórdio novíſſimum, & ab inítio quæ necdùm facta ſunt; dicens : Conſílium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet : vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntátis meæ. Et locútus ſum, & addúcam illud : creávi, & fáciam illud. Audíte me, duro corde, qui longè eſtis à juſtítia. Propè feci juſtítiam meam, non elongábitur ; & ſalus mea non morábitur. Dabo in Sion ſalútem, & in Iſrael glóriam meam. Hæc dicit.

℟. Jejúnium. *pag.* 205.

[*Si hâc die occurrat Feſtum Sancti Thomæ, Lectio ſequens dividitur in duas, diviſione factâ ad aſteriſcum.* *]

Lectio ij. Cap. 48.

ACcédite ad me, & audíte hoc. Non à princípio in abſcóndito locútus ſum : ex témpore ántequàm fíeret, ibi eram : & nunc Dóminus Deus miſit me, & Spíritus ejus. Hæc dicit Dóminus Redemptor tuus, Sanctus Iſrael : Ego Dóminus Deus tuus docens te utília, gubernans te in via quâ ámbulas. * Utinàm attendiſſes mandáta mea : facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtítia tua ſicut gúrgites maris ; & fuiſſet quaſi aréna ſemen tuum & ſtirps úteri tui ut lapilli ejus : non interiſſet, & non fuiſſet attrítum nomen ejus à fácie mea. Egredímini de Babylóne, fúgite à Chaldæis, in voce exultatiónis annuntiáte ; audítum fácite hoc : & efferte illud uſque ad extréma terræ. Dícite : Redémit Dóminus ſervum ſuum Jacob. Hæc dicit, &c.

℟. Hoc eſt jejúnium, *pag.* 206.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Marcum.
Lectio iij. Cap. 1.

INítium Evangélii Jeſu Chriſti, Fílii Dei. Sicut ſcriptum eſt in Iſaía Prophéta : Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.
Homil. 6. in Evang. §. 5. 6.

QUod Græcè Angelus, hoc Latínè núntius dícitur. Rectè ergo qui nuntiáre ſupernum Júdicem míttitur, Angelus vocátur ;

ut dignitátem ſervet in nómine, quam explet in operatióne. Altum quidem nomen eſt; ſed vita nómine inférior non eſt. Utinàm, fratres cariſſimi, non ad judícium noſtrum dicámus, quia omnes qui Sacerdótii nómine cenſentur, Angeli vocantur, Prophétâ atteſtante, qui ait: Lábia Sacerdótis cuſtódiunt ſciéntiam, & legem requírunt ex ore ejus; quia Angelus Dómini exercítuum eſt. Sed hujus altitúdinem nóminis étiam vos, ſi vultis, poteſtis meréri. Nam unuſquiſque veſtrûm in quantum ſúfficit, in quantum grátiam ſupernæ aſpiratiónis accépit, ſi à pravitáte próximum révocat, ſi exhortári ad benè operandum curat, ſi æternum regnum vel ſupplícium erranti denúntiat, cùm ſanctæ annuntiatiónis verba impendit, profectò Angelus exiſtit.

℟. Fuit Joannes in deſerto baptízans, & prædicans baptiſmum pœniténtiæ in remiſſiónem peccatórum; * Et baptizabantur ab illo confitentes peccáta ſua: & † Prædicábat dicens: Venit fórtior me poſt me. ℣. Ipſe eſt directus divínitùs in pœniténtiam gentis. * Et baptizabantur. Glória. † Prædicábat. *Marc.* 1. *Eccli.* 49.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Erat Joannes veſtítus pilis caméli: & zona pellícea circa lumbos ejus; & locuſtas & mel ſilveſtre edébat, & prædicábat. *Marc.* 1.

Oratio.

DEus, qui cónſpicis quia ex noſtra pravitáte affligimur; concéde propítius, ut ex tua viſitatióne conſolémur; Qui vivis & regnas.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes & Horas tantùm.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi quarto.

Ann. 1576. *part.* 1. *tit.* 5.

PArochi fidélium caritátem omni religióſo propóſito ita præparáre ſtúdeant, ut Sábbato ſub véſperum frequentíſſimi ad Eccléſiam, ut piæ conſuetúdinis fuit, convéniant: ubi ſanctis précibus, cùm pro ſacra Ordinatióne, tùm pro his cómmodis quæ ſingulórum annórum revolutióne conſéquimur, ómnium bonórum largitóri Deo grátia habeátur, ſicut & inſtitúta illórum Témporum rátio, & Chriſtiánæ religiónis cultus depoſcit.

AD VESPERAS.

Pſalmi & Antiphonæ Veſperárum Sabbati ante Dominicam I. Adventûs, pag. 171.

Capitulum. Iſ. 59.

TImébunt qui ab occidente, nomen Dómini; & qui ab ortu ſolis, glóriam ejus; cùm vénerit quaſi flúvius violentus, quem Spíritus Dómini cogit; & vénerit Sion Redemptor.

Hymn. Creátor, *pag.* 182. ℣. Oriétur, *pag.* 171.

Ad Magníf. *Ant.* O.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA IV, Adventûs.

AD MATUTINUM.

Invit. & Hymn. p. 179.

Pſalmi de Pſalterio.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Animæquior eſto, pópulus Dei, memorábilis Iſrael: venúmdati eſtis, non in perditiónem. *Baruch.* 4.

℣. Ex iniquitáte rédimet ánimas eórum, ℟. Et honorábile nomen eórum coram illo. *Pſ.* 7.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 49.

AUdíte, ínſulæ: & atténdite pópuli de longè. Dóminus ab útero vocávit me; de ventre matris meæ recordátus eſt nóminis mei. Et póſuit os meum quaſi gládium acútum: in umbra manûs ſuæ protexit me, & póſuit me ſicut ſagittam electam: in pháretra ſua abſcondit me: & dixit mihi: Servus meus es tu, Iſrael; quia in te gloriábor. Et ego dixi: In vácuum laborávi, ſine cauſa & vanè fortitúdinem meam conſumpſi: ergo judícium meum cum Dómino, & opus meum cum Deo meo. Et nunc dicit Dóminus formans me ex útero ſervum ſibi, ut redúcam Jacob ad eum; & Iſrael non congregábitur; & gloriſicátus ſum in óculis Dómini, & Deus meus factus eſt fortitúdo mea. Hæc dicit, &c.

℟. Excútere de púlvere; conſurge, ſede Jeruſalem: ſolve víncula colli tui, captíva filia Sion; quia hæc dicit Dóminus: Gratìs venúmdati eſtis, & ſine argento * Rediméminí. ℣. Non corruptibílibus auro vel argento, ſed pretióſo ſánguine Agni immaculáti Chriſti. * Rediméminí. *Iſ.* 52. *I. Petr.* 1.

Lectio ij.

ET dixit: Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & fæces Iſrael convertendas. Ecce dedi te in lucem géntium, ut ſis ſalus mea uſque ad extrémum terræ. Hæc dicit Dóminus redemptor Iſrael, Sanctus ejus, ad contemptíbilem ánimam, ad abominátam gentem, ad ſervum domi-

nórum : Reges vidébunt, & conſurgent príncipes, & adorábunt propter Dóminum quia fidélis eſt, & Sanctum Iſrael qui elégit te. Hæc dicit Dóminus : In témpore plácito exaudívi te, & in die ſalútis auxiliátus ſum tuî : & ſervávi te, & dedi te in fœdus pópuli; ut ſuſcitáres terram, & poſſidéres hæreditátes diſſipátas : ut díceres his qui vincti ſunt, Exíte; & his qui in ténebris, Revelámini. Super vias paſcentur, & in ómnibus planis páſcua eórum. Non esúrient neque sítient, & non percútiet eos æſtus & ſol; quia miſerátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos. Hæc dicit, &c.

℟. Copióſa apud Dóminum redémptio : & * Ipſe rédimet Iſrael ex ómnibus iniquitátibus ejus, ℣. Deus omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. * Ipſe rédimet. *Pſ.* 129. *I. Tim.* 2.

Lectio iij.

ECce iſti de longè vénient, & ecce illi ab Aquilóne & mari, & iſti de terra Auſtráli. Laudáte, cœli; & exulta, terra : jubiláte, montes, laudem; quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, & paúperum ſuórum miſerébitur. Et dixit Sion : Derelíquit me Dóminus, & Dóminus oblítus eſt meî. Nunquid oblivíſci poteſt múlier infantem ſuum, ut non miſereátur fílio úteri ſui? Et ſi illa oblíta fúerit; ego tamen non oblivíſcar tuî. Ecce in mánibus meis deſcripſi te : muri tui coram óculis meis ſemper. Hæc dicit, &c.

℟. Sion, quare mœróre contráheris? numquid Rex non eſt tibi? aut conſiliárius tuus périit? * Liberáberis; † Rédimet te Dóminus de manu inimicórum tuórum. ℣. Venit Fílius hóminis quærere, & ſalvum fácere quod períerat. * Liberáberis. Glória. † Rédimet te. *Mich.* 4. *Luc.* 19.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Scient omnes gentes, quia eſt qui rédimat & líberet Iſrael. *I. Mach.* 4.

℣. Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum : ℟. Et non delinquent omnes qui ſperant in eo. *Pſ.* 33.

Sermo ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

Serm. 2. *de duplici Nativ. Chriſti.* §. 5.

Lectio iv.

DIlectíſſimi fratres, atténdite magnitúdinem grátiæ, & agnóſcite quid Deus hómini dignátus eſt prærogáre. Chriſtus enim Dei Fílius, de vero Deo

Deus verus, & unus cum Patre naturáliter Deus; ſemper ex ſeipſo ſanctos Angelos paſcit; ſed tamen Angélicam natúram Dei Fílius non accépit. Ut autem ſuam caritátem Deus commendáret in nobis, Fílius ejus natúram noſtram ſuſcépit ex nobis: & Deus Unigénitus qui panis eſt Angelórum, ut étiam hóminum ſeipſum fáceret panem, ſimul hóminis & ánimam ſuſcépit & carnem.

℟. Iſrael ſalvátus eſt in Dómino ſalúte æternâ: * Non confundémini, & non erubeſcétis uſque in ſéculum ſéculi. ℣. Speráte in eam quæ offertur vobis, grátiam in revelatiónem Jeſu Chriſti. * Non confundémini. *Iſ.* 45. *I. Petr.* 1.

Lectio v. §. 6.

ACcépit utramque veram, utramque ſanctam, utramque mundam: accépit ánimam noſtram ſine iniquitáte, accépit carnem noſtram cum mortalitáte: accépit ánimam juſtam, per quam noſtris animábus juſtítiam rédderet. Carnem verò proptéreà dignátus eſt habére mortálem, ut ſecundùm ipſam móriens mortem vínceret, ſecundùm ipſam étiam reſúrgeret, per quam noſtra quoque córpora ſuſcitáret. Magnum myſtérium, dilectíſſimi fratres, magnū divínæ dilectiónis indícium. Homo Deum contemnens, à Deo diſceſſit: Deus hóminem díligens, ad hómines venit. Dilexit ímpium, ut fáceret juſtum; dilexit infirmum, ut fáceret ſanum; dilexit perverſum, ut fáceret rectum; dilexit mórtuum, ut fáceret vivum.

℟. Auferte offendícula de via pópuli mei: vias ejus vidi, & ſanávi eum: creávi fructum labiórum pacem, pacem * Ei qui longè eſt, & qui propè. ℣. Chriſtus enim eſt pax noſtra, fáciens pacem.* Ei. *Iſ.* 57. *Epheſ.* 2.

Lectio vj. Poſt pauca.

NAtúra quæ in primo hómine mundum peccáto pólluit, ipſa in ſecundo hómine mundum à peccáto mundávit. Primus homo de terra terrénus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Primum hóminem múlier, corruptâ mente, decépit: ſecundum hóminem Virgo, incorruptâ virginitáte, concépit. In primi hóminis cónjuge nequítia diáboli ſeductam depravávit mentem: in ſecundi autem hóminis matre, grátia Dei & mentem íntegram ſervávit & carnem: menti cóntulit firmíſſimam fidem, carni ábſtulit omnínò libídinem. Quóniam ígitur miſerabíli-

ter pro peccáto damnátus eſt homo; ídeò ſine peccáto mirabíliter natus eſt Deus homo.

℟. Vidébunt ſalútem veſtram quæ ſupervéniet vobis cum honóre magno. * Perſecútus eſt te inimícus tuus, ſed citò vidébis perditiónem ipsíus. ℣. Princeps hujus mundi ejiciétur foràs. * Perſecútus. Glória. * Perſecútus. *Bar.* 4. *Joann.* 12.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Confortámini, & nolíte timére: ecce Deus veſter ipſe véniet, & ſalvábit vos. *Iſ.* 35.

℣. Suſcípiant montes pacem pópulo, ℟. Et colles juſtítiam. *Pſ.* 71.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 3.

ANno quintodécimo impérii Tibérii Cæſaris, procurante Póntio Piláto Judæam. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 20. *in Evang.* §. 2.

CUnctis legéntibus líquet, quia Joannes non ſolùm baptiſmum pœniténtiæ prædicávit, verùm étiam quibuſdam dedit: ſed tamen baptiſmum ſuum in remiſſiónem peccatórum dare non pótuit. Remíſſio étenim peccatórum in ſolo nobis baptiſmo Chriſti tribúitur. Notandum ítaque quod dícitur; Prædicans baptiſmum pœniténtiæ in remiſſiónem peccatórum: quóniam baptiſmum quod peccáta sólveret, quia dare non póterat, prædicábat; ut ſicut incarnátum Verbum Patris præcurrébat verbo prædicatiónis, ita baptiſmum pœniténtiæ, quo peccáta ſolvuntur, præcúrreret ſuo baptíſmate, quo peccáta ſolvi non poſſunt: ut, quia ejus ſermo præcurrébat præséntiam Redemptóris, ipſum quoque ejus baptiſma præcedendo fíeret umbra veritátis.

℟. Conſtítuit Deus humiliáre omnem montem excelſum, & convalles replére in æqualitátem terræ; * Ut ámbulet Iſrael diligenter in honórem Dei. ℣. Omnis vallis implébitur; & omnis mons & collis humiliábitur. * Ut ámbulet. *Baruch.* 5. *Luc.* 3.

Lectio viij. §. 3.

QUid clamáret Joannes, aperítur cùm súbditur: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Omnis qui fidem rectam & bona ópera prædicat, quid áliud quàm venienti Dómino ad corda audiéntium viam parat? ut hæc vis grátiæ pénetret, ut lumen veritátis illuſtret, ut rectas Deo sémitas fá-

ciat, dum mundas in ánimo cogitatiónes per ſermónem bonæ prædicatiónis format. Omnis vallis implébitur, & omnis mons & collis humiliábitur. Quid hoc loco vállium nómine, niſi húmiles? quid móntium & cóllium, niſi ſuperbi hómines deſignantur? In adventu ergo Redemptóris valles implétæ, montes verò & colles humiliáti ſunt; quia, juxta ejus vocem, Omnis qui ſe exaltat, humiliábitur; & omnis qui ſe humíliat, exaltábitur.

℟. Præparáte viam, * Planum fácite iter: ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: Dícite filiæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. ℣. Erunt pràva in directa, & áſpera in vias planas. * Planum. *Iſ.* 62. *Luc.* 3.

Lectio ix. §. 3.

IN fide Mediatóris Dei & hóminum hóminis Chriſti Jeſu, & Gentílitas plenitúdinem grátiæ accépit, & Judæa per errórem perfídiæ hoc unde tumébat, pérdidit. Omnis enim vallis implébitur, quia corda humílium ſacræ doctrínæ elóquio virtútum grátiâ replebuntur, juxta hoc quod ſcriptum eſt: Qui emittit fontes in convállibus: & unde rursùm dícitur: Et convalles abundâbunt frumento. A móntibus namque aqua dilábitur; quia ſuperbas mentes veritátis doctrína déſerit: ſed fontes in convállibus ſurgunt; quia mentes humílium verbum prædicatiónis accípiunt. Jam vidémus, jam convalles frumento abundáre conſpícimus; quia illórum ora pábulo veritátis impléta ſunt, qui mites ac símplices huic mundo deſpicábiles eſſe videbantur.

℟. Revelábitur glória Dómini, & * Vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum eſt. ℣. Vidébit omnis caro ſalutáre Dei. * Vidébit. Glória. * Vidébit *Iſ.* 40. *Luc.* 3.

AD LAUDES.

Antiphona, 3. toni. a.

SCiet omnis caro, quia ego Dóminus ſalvans te, & Redemptor tuus fortis Jacob. *Iſ.* 49.

Ant. 4. E Dominábitur tuî qui fecit te; & Redemptor tuus, Sanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocábitur. *Iſ.* 54.

Ant. 1. a. Ego ſuſcitávi eum ad juſtítiam, & captivitátem meam dimittet, non in prétio neque in munéribus. *Iſ.* 45.

Cant. Miſerére, *p.* 180.

Ant. 2. D. Captívitas à forti tollétur; & quod ablátum fúerit à robuſto, ſalvábitur. *Iſ.* 49.

Ant. 5. a. Convertam eos, quia miſerébor eórum: & exaúdiam eos, & congregábo illos, quia redémi eos. *Zach.* 10.

Capitulum. Iſ. 44.

SErvus meus es tu, Iſrael; ne oblivifcáris meî: delévi ut nubem iniquitátes tuas, & quaſi nébulam peccáta tua: revértere ad me, quóniam redémi te.

Hymnus. Vox. ℣. Excita, *pag.* 180.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Vox clamantis in deſerto: Paráte viam Dómini; rectas fácite sémitas ejus. *Luc.* 3.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni, & magnâ nobis virtúte ſuccurre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod noſtra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret; Qui vivis.

AD PRIMAM.

Ant. 3. *a.* Sciet omnis caro.

CANON.

Ex Concílio Bituricenſi. *Ann.* 1584. *tit.* 8. *de Vigiliis, can.* 1. & 2.

VIgíliæ pro more locórum, & ex mandáto Cathólicæ Eccléſiæ, cum celebratióne próprii cujuſque Eccléſiæ officii, ſerventur: ideóque ſemper Domínicâ præcedente in Eccléſiis proclamentur, ne, vítio ignorántiæ, eas à láïcis ſolvi contingat.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Dominábitur tuî.

Capitulum. Iſ. 54.

IN momento indignatiónis abſcondi fáciem meam parumper à te, & in miſericórdia ſempiterna miſertus ſum tuî, dixit Redemptor tuus Dóminus.

℟. *br.* Tu exurgens, *p.* 181.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Ego ſuſcitávi eum.

Capitulum. Zach. 10.

COnfortábo domum Juda, & domum Joſeph ſalvábo: & convertam eos, quia miſerébor eórum: & erunt ſicut fuérunt quando non projéceram eos; ego enim Dóminus Deus eórum, & exaúdiam eos.

℟. *brev.* Dóminus, *p.* 181.

Ant. 5. a. Convertam eos.

AD NONAM.

Capitulum. Iſ. 62.

VOcábunt eos Pópulus ſanctus, Redempti à Dómino: tu autem vocáberis Quæsíta cívitas, & non Derelicta.

℟. *brev.* Oculi, *pag.* 182.

AD VESPERAS.

Antiphona, 7. *toni.* d.

LAudate, cœli: jubiláte, extréma terræ; reſonáte, montes, laudatiónem; quóniam redémit Dóminus Jacob. *Iſ.* 44.

Ant. 1. D. Ego levávi

manum meam ut ramos germinétis, & fructum afferátis pópulo meo; propè enim eſt ut véniat. *Ezech.* 36.

Ant. 5. a. Erit ibi ſémita & via, & via ſancta vocábitur: non transíbit per eam pollútus, & ambulábunt qui liberáti fúerint. *Iſai.* 35.

Ant. 2. D. Omnia ligna regiónis plaudent manu; & erit Dóminus nominátus in ſignum ætérnum. *Iſ.* 55.

Ant. 3. a. Revelábitur glória Dómini; & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum eſt. *Iſ.* 40.

Capitulum. Philipp. 4.

FRatres, gaudéte in Dómino ſemper: íterùm dico, gaudéte. Modéſtia veſtra nota ſit ómnibus homínibus; Dóminus propè eſt.

Hymnus, Creátor. ℣. Memento, *pag.* 182.

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 51.

AUdíte me, qui ſequímini quod juſtum eſt, & quæritis Dóminum: atténdite ad petram unde excíſi eſtis, & ad cavernam laci de qua præcíſi eſtis. Atténdite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ péperit vos: quia unum vocávi eum, & benedíxi ei, & multiplicávi eum. Conſolábitur ergo Dóminus Sion, & conſolábitur omnes ruínas ejus: & ponet deſertum ejus quaſi delícias, & ſolitúdinem ejus quaſi hortum Dómini. Gaúdium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio & vox laudis. Atténdite ad me, Pópule meus; &, tribus mea, me audíte: quia lex à me éxiet, & judícium meum in lucem populórum requiéſcet. Propè eſt Juſtus meus, egreſſus eſt Salvátor meus, & bráchia mea pópulos judicábunt: me ínſulæ expectábunt, & bráchium meum ſuſtinébunt. Hæc dicit, &c.

℟. Excútere *pag.* 220.

Lectio ij.

AUdíte me, qui ſcitis juſtum: pópulus meus, lex mea in corde eórum. Nolíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis. Sicut enim veſtimentum, ſic cómedet eos vermis; & ſicut lanam, ſic devorábit eos tínea. Salus autem mea in ſempitérnum erit, & juſtítia mea in generatiónes generatiónum. Conſurge, conſurge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini: conſurge, ſicut in diébus antíquis, in generatiónibus ſeculórum. Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum? vulneraſti dracónem? Num-

quid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis, qui poſuiſti profundum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc qui redempti ſunt à Dómino, revertentur & vénient in Sion laudantes, & lætítia ſempiterna ſuper cápita eórum. Hæc dicit, &c.

℟. Copióſa, *pag.* 221.

Lectio iij.

EGo, ego ipſe conſolábor vos. Quis tu ut timéres ab hómine mortáli, & à filio hóminis, qui quaſi fœnum ita areſcet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui tetendit cœlos, fundávit terram: & formidaſti júgiter totâ die à fácie furóris ejus qui te tribulábat, & paráverat ad perdendum. Ubi nunc eſt furor tribulantis? Citò véniet grádiens ad aperiendum, & non interfíciet uſque ad interneciónem, nec defíciet panis ejus. Ego autem ſum Dóminus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus ejus: Dóminus exercítuum nomen meum. Póſui verba mea in ore tuo, & in umbra manûs meæ protexi te; ut plantes cœlos, & fundes terram, & dicas ad Sion: Pópulus meus es tu. Hæc dicit, &c.

℟. Sion, *pag.* 221.

Ad Bened. *Ant.* 4. D. Miſit eis Salvatórem. & propugnatórem, qui líberet eos. *Iſ.* 19.

CANON.

Ex Concílio Toletáno undécimo.

Ann. 675. *cap.* 2.

QUantùm quis præcelſi cúlminis óbtinet locum, tantò neceſſe eſt præcédat céteros grátiâ meritórum; ut in eo quod præſidet ſingulis, ſinguláriter ornétur eminéntiâ ſanctitátis, habens ſemper in ore gládium veritátis, & in ópere efficiéntiam lúminis; ut, juxta Paulum, potens ſit exhortári in doctrína ſana, & contradicentes revíncere.

Ad Magníficat, *Ant.* O.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 52.

REcédite, recédite: exíte indè, pollútum nolíte tángere, exíte de médio ejus: mundámini, qui fertis vaſa Dómini. Quóniam non in tumultu exíbitis, nec in fuga properábitis: præcédet enim vos Dóminus, & congregábit vos Deus Iſrael. Ecce intélliget ſervus meus: exaltábitur, & elevábitur: & ſublímis erit valdè. Sicut obſtupuérunt ſuper te multi, ſic inglórius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hóminum. Iſte aſperget

gentes multas, ſuper ipſum continébunt reges os ſuum: quia quibus non eſt narrátum de eo, vidérunt: & qui non audiérunt, contempláti ſunt. Hæc dicit, &c.

℟. Iſrael, *pag.* 222.

Lectio ij. Cap. 54.

LAuda, ſtérilis quæ non paris: decanta laudem & hinni, quæ non pariébas; quóniam multi filii deſertæ magìs quàm ejus quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentórii tui, & pelles tabernaculórum tuórum extende; ne parcas: longos fac funículos tuos, & clavos tuos consólida. Ad déxteram enim & ad lævam penetrábis: & ſemen tuum gentes hæreditábit, & civitátes deſertas inhabitábit. Noli timére, quia non confundéris, neque erubeſces. Non enim te pudébit, quia confuſiónis adoleſcéntiæ tuæ oblivíſcéris: & oppróbrii viduitátis tuæ non recordáberis ámpliùs. Hæc dicit, &c.

℟. Auferte, *pag.* 222.

Lectio iij.

AD punctum in módico derelíqui te, & in miſeratiónibus magnis congregábo te. In momento indignatiónis abſcondi fáciem meam parùmper à te, & in miſericórdia ſempiterna miſertus ſum tuî: dixit Redemptor tuus Dóminus. Sicut in diébus Noe iſtud mihi eſt, cui jurávi ne indúcerem aquas Noe ultrà ſuper terram: ſic jurávi ut non iraſcar tibi, & non íncrepem te. Montes enim commovebuntur, & colles contremiſcent: miſericórdia autem mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non movébitur. Hæc dicit, &c.

℟. Vidébunt, *pag.* 223.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Viſitábit eos Dóminus Deus eórum, & avertet captivitátem eórum. *Soph.* 2.

CANON.

Ex Concilio Aquiſgranenſi. *Ann.* 816. *libr.* 1. *cap.* 9.

QUi in erudiendis atque inſtruendis de virtúte pópulis præerit, neceſſe eſt ut in ómnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehensíbilis habeátur: qui enim álium de peccátis árguit, ipſe à peccáto debet eſſe aliénus.

Ad Magníf. *Ant.* O.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 57.

QUi fidúciam habet meî, hæreditábit terram, & poſſidébit montem ſanctum meum. Et dicam: Viam fácite, præbéte iter, declináte de sémita, aufer-

te offendícula de via pópuli mei. Quia hæc dicit Excelſus & Sublímis, hábitans æternitátem, & ſanctum nomen ejus: in excelſo & in ſancto hábitans, & cum contríto & húmili ſpíritu: ut vivíficet ſpíritum humílium, & vivíficet cor contritórum. Non enim in ſempiternum litigábo, neque uſque ad finem iraſcar. Hæc dicit, &c.

℟. Excútere, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 59.

SAlvávit ſibi bráchium ſuum, & juſtítia ejus ipſa confirmávit eum. Indútus eſt juſtítiâ ut lorícâ, & gálea ſalútis in cápite ejus: indútus eſt veſtimentis ultiónis, & opertus eſt quaſi pállio zeli. Sicut ad vindictam quaſi ad retributiónem indignatiónis hóſtibus ſuis, & viciſſitúdinem inimícis ſuis: ínſulis vicem reddet. Et timébunt qui ab Occidente, nomen Dómini; & qui ab ortu ſolis, glóriam ejus: cùm vénerit quaſi flúvius violentus, quem Spíritus Dómini cogit; & vénerit Sion Redemptor, & eis qui rédeunt ab iniquitáte in Jacob. Hæc dicit, &c.

℟. Copióſa apud Dóminum, *pag.* 221.

Lectio iij. Cap. 60.

ME ínſulæ expectant, & naves maris in princípio ut addúcam filios tuos de longè: argentum eórum & aurum eórum cum eis nómini Dómini Dei tui, & Sancto Iſrael, quia gloríficávit te. Et ædificábunt filii peregrinórum muros tuos, & reges eórum miniſtrábunt tibi. In indignatióne enim meâ percuſſi te; & in reconciliatióne mea miſertus ſum tuî. Et aperiéntur portæ tuæ júgiter: die ac nocte non claudentur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium, & reges eárum adducantur. Gens enim & regnum quod non ſervíerit tibi, períbit. Hæc dicit, &c.

℟. Sion, quare mœréres, *pag.* 221.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Lætáre, filia Sion; quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî. *Zachar.* 2.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi. *Ann.* 816. *libr.* 1. *cap.* 13.

PEnſandum valdè eſt, ad culmen quiſque regíminis quáliter véniat; atque ad hoc ritè pervéniens quáliter vivat; & benè vivens, quáliter dóceat; & rectè docens, infirmitátem ſuam quotídie quantâ conſideratióne cognoſcat: ne aut humílitas acceſſum fúgiat, aut perventióni vita contradícat, aut vitam doc-

trína deſtítuat, aut doctrínam præſúmptio extollat.

Ad Magníficat. *Ant.* O.

FERIA QUINTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 60.

PRo eo quòd fuiſti derelícta & ódio hábita, & non erat qui per te transíret, ponam te in ſupérbiam ſeculórum, gaúdium in generatiónem & generatiónem: & ſuges lac géntium, & mamillâ regum lactáberis: & ſcies quia ego Dóminus ſalvans te, & Redemptor tuus fortis Jacob. Pro ære áfferam aurum, & pro ferro áfferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapídibus ferrum: & ponam viſitatiónem tuam pacem, & præpóſitos tuos juſtítiam. Non audiétur ultrà iníquitas in terra tua, váſtitas & contrítio in términis tuis; & occupábit ſalus muros tuos, & portas tuas laudátio. Hæc dicit, &c.

℟. Iſrael, *pag.* 222.

Lectio ij.

NOn erit tibi ámpliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminábit te: ſed erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. Non óccidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuétur; quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam; & complebuntur dies luctûs tui. Pópulus autem tuus omnes juſti, in perpétuum hæreditábunt terram, germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. Mínimus erit in mille, & párvulus in gentem fortíſſimam. Ego Dóminus, in témpore ejus súbitò fáciam iſtud. Hæc dicit, &c.

℟. Auferte, *pag.* 222.

Lectio iij. Cap. 61.

SPíritus Dómini ſuper me, eò quòd únxerit Dóminus me: ad annuntiandum manſuétis miſit me, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem: ut prædicárem annum placábilem Dómino, & diem ultiónis Deo noſtro: ut conſolárer omnes lugentes: ut pónerem lugéntibus Sion, & darem eis corónam pro cínere, óleum gaúdii pro luctu, pállium laudis pro ſpíritu mœróris: & vocabuntur in ea Fortes juſtítiæ, Plantátio Dómini ad glorificandum. Hæc dicit, &c.

℟. Vidébunt, *pag.* 225.

Ad Bened: *Ant.* 2. A. Dabo vos in nomen & in laudem ómnibus pópulis terræ, cùm convértero captivitátem veſtram. *Soph.* 3.

CANON.

Ex Concílio Ravennatenſi ſecundo.

Ann. 1311. *rubricâ* 20.

CUm, ſecundùm Apóſtolum, nemo ſibi débeat honórem aſsúmere, niſi tanquam Aaron à Deo fúerit vocátus; hoc minùs consíderant & attendunt ſuæ ſalútis oblíti, qui ſe intrúdunt ad dignitátes Eccleſiáſticas, vel beneficia, & éligi & intrúdi procúrant per poténtiam laïcálem.

Ad Magníf. *Ant.* O.

FERIA SEXTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 62.

SUper muros tuos, Jerúſalem, conſtítui cuſtódes: totâ die & totâ nocte in perpétuum non tacébunt. Qui reminiſcímini Domini, ne taceátis; & ne detis ſiléntium ei donec ſtabíliat, & donec pónat Jerúſalem laudem in terra. Jurávit Dóminus in déxtera ſua, & in bráchio fortitúdinis ſuæ: Si dédero tríticum tuum, ultrà cibum inimícis tuis, & ſi bíberint filii aliéni vinum tuum in quo laboraſti. Quia qui cóngregant illud, cómedent, & laudábunt Dóminum: & qui comportant illud, bibent in átriis ſanctis meis. Hæc dicit, &c.

℟. Excútere, *pag.* 220.

Lectio ij. Cap. 63.

MIſeratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini ſuper ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus, & ſuper multitúdinem bonórum dómui Iſrael quæ largítus eſt eis, ſecundùm indulgéntiam ſuam & ſecundùm multitúdinem miſericordiárum ſuárum. Et dixit: Verúmtamen pópulus meus eſt, filii non negantes: & factus eſt eis Salvátor. In omni tribulatióne eórum non eſt tribulátus, & Angelus faciéi ejus ſalvávit eos. In dilectióne ſua, & in indulgéntia ſua ipſe redémit eos, & portávit eos & elevávit eos cunctis diébus ſéculi. Hæc dicit, &c.

℟. Copióſa, *pag.* 221.

Lectio iij.

ATtende de cœlo, & vide de habitáculo ſancto tuo & glóriæ tuæ. Ubi eſt zelus tuus & fortitúdo tua, multitúdo víſcerum tuórum & miſeratiónum tuárum? Super me continuérunt ſe. Tu enim Pater noſter, & Abraham neſcívit nos, & Iſrael ignorávit nos. Tu, Dómine, Pater noſter, Redemptor noſter, à ſéculo nomen tuum. Quare erráre nos feciſti, Dómine, de viis tuis: indurasti cor noſtrum ne timerémus te? Convértere,

propter ſervos tuos, tribus hæreditátis tuæ. Hæc dicit, &c.

℟. Sion, *pag.* 221.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Exaudi, Dómine: ne moréris, propter temetipſum, Deus meus. *Dan.* 9.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 23. *de Ordine, can.* 7.

SI quis díxerit, . . . eos qui nec ab Eccleſiáſtica & Canónica poteſtáte ritè ordináti, nec miſſi ſunt, ſed aliundè véniunt, legítimos eſſe verbi & Sacramentórum Miniſtros; anáthema ſit.

ANTIPH. MAJORES.

Sequentes Antiphonæ inchoantur die 16. Decembris ad Magníficat: *& ſingulæ ante & poſt* Magníficat *integrè dicuntur uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini excluſivè.*

Si Veſperæ ſunt de Feſto, Antiph. O. *dicuntur poſt Orationem Feſti pro Commemoratione Adventûs, cum* ℣. Memento. *ſi ſit Feria; vel cum* ℣. *proprio, ſi ſit Sabbatum, aut Dominica; & Oratione conveniente.*

DIE XVI. DECEMBRIS. *Antiph.* 2. D.

O Sapiéntia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia; veni ad docendum nos viam prudéntiæ. *Eccli.* 24. *Sap.* 8. *Iſ.* 40.

DIE XVII. 2. D.

O Adónai & dux domûs Iſrael, qui Móyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti; veni ad redimendum nos in bráchio extento. *Judith.* 16. *I. Paral.* 17. *Act.* 7. *Exod.* 6. *IV. Reg.* 17.

DIE XVIII. 2. D.

O Radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum populórum, ſuper quem continébunt reges os ſuum, quem gentes deprecabuntur: veni ad redimendum nos; jam noli tardáre. *Iſ.* 11. *&* 52. *Pſal.* 25. *&* 39.

DIE XIX. 2. D.

O Clavis David, & ſceptrum domûs Iſrael: qui áperis, & nemo claudit; claudis, & nemo áperit: veni, & érue nos de ſervitúte, & rédime in bráchio excelſo. *Iſ.* 22. *Exod.* 6.

DIE XX. 2. D.

O Oriens, ſplendor lucis ætérnæ, & ſol juſtítiæ; veni, & illúmina ſedentes in ténebris & umbrâ mortis. *Zach.* 3. *Sap.* 7. *Mal.* 4. *Pſ.* 12 *&* 106.

DIE XXI. 2. D.

O Rex géntium, Deus Iſrael & Salvátor, lapíſque anguláris, qui facis

ůtraque unum; veni, & ſalva hóminem quem de limo formaſti. *Jer.* 10. *Iſ.* 45. 28. & 35. *Epheſ.* 2. *Gen.* 2.

DIE XXII. 2. D.

O Emmánuel, Rex & légifer noſter, expectátio géntium, & deſiderátus eárum; veni ad ſalvandum nos, Dómine Deus noſter. *Iſ.* 8. & 33. *Gen.* 49. *Agg.* 2. *Zach.* 9.

DIE XXIII. 2. D.

O Sancte Sanctórum, Dómine, fac mirabília, cogitatiónes antíquas fidéles: Virgo páriat Fílium: múlier cónterat caput ſerpentis: hoc erit memoriále nóminis tui, cùm manus féminæ dejécerit eum. *Dan.* 9. *Iſai.* 25. *Geneſ.* 3. *Judith.* 9.

ANTIPH. LAUDUM.

In Feriis,

A die XVII. Decembris.

Die 17. *menſis Decembris, manè inchoantur Antiphonæ Laudum Ferialium propriæ, (quæ etiam dicuntur ad Horas, quartâ prætermiſſâ.) Incipitur autem ab his Antiphonis, quæ aſſignantur Feriæ occurrenti die* 17. *ſive fuerit Feria III. ſive alia, ſive Sabbatum. Si verò fuerit dies Dominica, inchoantur poſtridiè. Quæ autem occurrunt die quâ ſit Officium de Sancto Thoma, ſcilicet* 21 *die Decembris omittuntur eo anno.*

Ad Laudes, & Horas in his Feriis dicuntur Preces flexis genibus.

Ad Veſperas, Antiphonæ Feriæ. Non dicuntur Preces, neque ad Complet. quod dicitur ritu Semiduplici.

FERIA SECUNDA,

AD LAUDES ET HORAS.

Antiphona 7. *toni.* d.

UTinam dirúmperes cœlos & deſcénderes; ut notum fieret nomen tuum. *Iſ.* 64.

Ant. 4. f. Dómine, Pater noſter es tu: ecce réſpice, pópulus tuus omnes nos. *Iſ.* 64.

Ant. 3. b. Mitte ſapiéntiam tuam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitúdinis tuæ. *Sap.* 9.

Ant. 8. g. Oſtende, Dómine, fáciem tuam: placáre, Dómine; attende & fac. *Dan.* 9.

Ant. 1. a. Nomen tuum invocátum eſt ſuper pópulum tuum. *Dan.* 9.

FERIA TERTIA,

AD LAUDES ET HORAS.

Antiphona, 4. *toni.* A.

ATtende, Dómine, & vide de habitáculo ſancto tuo: ubi eſt multitúdo miſeratiónum tuárum? *Iſ.* 63.

Ant. 8. g. Tu, Dómine, Pater noſter, Redemptor noſter: convértere propter ſervos tuos. *Iſ.* 63.

Ant. 1. a. Quærimus fáciem tuam: ne confundas nos. *Dan.* 3.

Ant. 3. c. Fac nobiſcum juxta manſuetúdinem tuam & ſecundùm multitúdinem miſericórdiæ tuæ. *Dan.* 3.

Ant. 6. F. Inclína, Dómine, aurem tuam, & audi: áperi, Dómine, óculos tuos, & vide: Deus noſter, ſalva nos. *Iſ.* 37.

FERIA QUARTA,
AD LAUDES ET HORAS.

Antiphona, 3. *toni.* c.

RESpice, Dómine, oppróbrium noſtrum: ſervi domináti ſunt noſtrî; non fuit qui redímeret de manu eórum. *Thren.* 5.

Ant. 7. ç. Quare in perpétuum oblivíſcéris noſtrî: derelinques nos in longitúdine diérum? *Tren.* 5.

Ant. 8. g. Ne tradas nos in perpétuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum; neque aúferas miſericórdiam tuam à nobis. *Dan.* 3.

Ant. 2. D. Miſerére plebi tuæ ſuper quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36.

Ant. 1. a. Dómine, exaltétur manus tua: Dómine, dabis pacem nobis. *Iſ.* 26.

FERIA QUINTA,
AD LAUDES ET HORAS.

Antiphona, 7. *toni.* d.

COnverte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies noſtros ſicut à princípio. *Thren.* 5.

Ant. 3. c. Miſerére noſtrî, Deus ómnium, & réſpice nos, & oſtende nobis lucem miſeratiónum tuárum. *Eccli.* 36.

Ant. 1. a. Miſerére Iſrael quem coæquaſti primogénito tuo: miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jeruſalem. *Eccli.* 36.

Ant. 2. D. Nomen tuum invocátum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. *Jer.* 14.

Ant. 8. c. Deus cœlórum, exaudi: memento, Dómine, teſtamenti tui, ut omnes gentes agnoſcant quia tu es Deus. *Judith.* 9.

FERIA SEXTA,
AD LAUDES ET HORAS.

Antiphona, 4. *toni.* f.

EXpectábo Dóminum, qui abſcondit fáciem ſuam à domo Jacob, & præſtolábor eum. *Iſ.* 8.

Ant. 7. *d.* Non repellet in ſempiternum Dóminus: ſi abjécit, & miſerébitur. *Thren.* 3.

Ant. 8. g. Super Dómino non confundentur, qui expectant eum. *Iſ.* 49.

Ant. 1. a. Dómine, opus tuum: in médio annórum vivífica illud. *Habac.* 3.

Ant. 3. a. Cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis. *Habac.* 3.

SABBATO,

AD LAUDES ET HORAS.

Antiphona, 8. *toni*. c.

CIrcúmſpice, Jerúſalem, & vide jucunditátem à Deo tibi venientem. *Baruch.* 4.

Ant. 5. a. In monte Sion erit ſalvátio: & erit ſanctus. *Abd.* 17.

Ant. 6. F. In Dómino juſtificábitur & laudábitur omne ſemen Iſrael. *Iſ.* 45.

Ant. 3. c. Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, ánimæ quærenti illum. *Thren.* 3.

Ant. 7. c. Bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei. *Thren.* 3.

DIE XXIV. DECEMBRIS.

IN VIGILIA

NATIVITATIS DOMINI.

¶ *Si venerit die Dominicâ, Officium fiet hoc modo.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium & Hymnus Vigiliæ, Pſalmi de Dominica.

In I. & II. Nocturno, Antiphonæ, Verſus, Lectiones cum Reſponſoriis, de Dominica IV. Adventûs, pag. 220 & 221.

*In III. Nocturno Antiphona & ℣. ut in eadem Dom. IV. Adventûs, Lectiones de Homilia in Evangelium Vigiliæ, diviſionibus factis ad aſteriſcos **, nec legitur Homilia de Dominica pro nonâ Lectione.*

℟. *vij.* Sanctificámini. ℟. *viij.* Hâc ipsâ horâ. ℟. *ix*, Páriet *ut infrà, pag.* 236 & 237. *Non dicitur.* Te Deum.

AD LAUDES.

Pſalm. de Dominica, cum Cantico Miſerére, *p.* 180, *nec fit Commemoratio de Dominica. Reliqua ut in Vigilia.*

AD HORAS.

Pſalmi de Dominica: reliqua ut in Vigiliâ. Ad Primam non dicitur Symbolum Quicumque.

¶. *Si Vigilia venerit aliâ die, fiet Officium ut ſequitur.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminus propè eſt: * Veníte, adorémus. *Philipp.* 4.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymn. Prædicta, *p.* 179.

Antiph. & Pſal. Ferial.

℣. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; ℟. Quia paúperes facti ſumus nimìs. *Pſ.* 78.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 64.

UTinàm dirúmperes cœlos & deſcénderes! à fácie tua montes deflúerent. Sicut exúſtio ignis tabéſcerent, aquæ ardérent igni, ut notum fieret nomen tuum inimícis tuis:

à fácie tua gentes turbarentur. Cùm féceris mirabília, non ſuſtinébimus: deſcendiſti, & à facie tua montes defluxérunt. A ſéculo non audiérunt, neque aúribus percepérunt: óculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectántibus te. Occurriſti lætanti & facienti juſtítiam: in viis tuis recordabuntur tuî: ecce tu irátus es, & peccávimus: in ipſis fúimus ſemper, & ſalvábimur. Hæc dicit, &c.

℟. *j.* Sanctificámini: * Cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília. ℣. Exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. * Cras. *Joſ.* 3. *II. Cor.* 6.

Lectio ij. Cap. 66.

AUdíte verbum Dómini, qui trémitis ad verbum ejus. Dixérunt fratres veſtri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum: Glorificétur Dóminus, & vidébimus in lætítia veſtra: ipſi autem confundentur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo: vox Dómini reddentis retributiónem inimícis ſuis. Antequàm parturíret, péperit: ántequàm veníret partus ejus, péperit máſculum. Quis audívit unquàm tale? & quis vidit huic símile? Numquid partúriet terra in die una? aut pariétur gens ſimul? quia parturívit, & péperit Sion fílios ſuos. Numquid ego qui álios párere fácio, ipſe non páriam, dicit Dóminus? Si ego qui generatiónem céteris tríbuo, ſtérilis ero? Hæc dicit, &c.

℟. *ij.* Hâc ipsâ horâ quæ nunc eſt, cras mittam Ducem ſuper pópulum meum: * Et ſalvábit pópulum meum. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus. * Et ſalvábit. *I. Reg.* 9. *Act.* 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 1.

IN illo témpore: Cùm eſſet deſponsáta Mater Jeſu María Joſeph, ántequàm convenírent, inventa eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matth. libr. 1. *cap.* 1.

QUare non de símplici vírgine, ſed de deſponsáta concípitur? Primùm, ut per generatiónem Joſeph orígo Maríæ monſtrarétur. Secundò, ne lapidarétur à Judæis ut adúltera. Tértiò ut in Ægyptum fúgiens habéret ſolátium maríti Martyr Ignátius étiam quartam áddidit cauſam, cur à deſponsáta conceptus ſit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diá-

bolo, dum eum putat non de Vírgine, ſed de uxóre generátum . . . * Quòd autem dicitur, Antequàm convenírent; non ſéquitur ut póſteà convénerint; ſed Scriptúra quod factum non ſit, oſtendit. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus efficitur: & in lege præceptum eſt, non ſolùm reos, ſed & cónſcios críminum obnóxios eſſe peccáti: quómodò Joſeph, cùm crimen celet uxóris, juſtus ſcríbitur. Sed hoc teſtimónium Maríæ eſt; quòd Joſeph ſciens illíus caſtitátem, & admírans quod evénerat; celat ſiléntio, eujus myſtérium neſciébat. ** Joſeph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam... Notandum quòd Joſeph fílius eſſe dicátur David, ut María quoque de ſtirpe David monſtrarétur. Et vocábis nomen ejus Jeſum. Jeſus Hebráico ſermóne Salvátor dícitur. Etymológiam ergo nóminis ejus Evangeliſta ſignávit, dicens:. Vocábis nomen ejus Jeſum, quia ipſe ſalvum fáciet pópulum ſuum.

℟. iij Páriet María Fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum; * Ipſe enim † Salvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. ℣. Partúriens páriet; & relíquiæ fratrum ejus convertentur. * Ipſe enim. Glória Patri. † Salvum fáciet. *Matth.* 1. *Mich.* 5.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Semiduplex.

Pſalmi Feriales cum Cantico Miſerére, *p.* 180. *ſub unica Antiphona* 5. a. Incurváti ſunt. [*Si autem ſit dies Dominica quinque Antiphonæ ſequentes.*]

Antiphona, 2. *toni.* D.

DAbo vobis misericórdias, & miserébor veſtrî, dicit Dóminus. *Jer.* 42.

Ant. 6. F. Adhuc módicùm aliquántulùm, qui ventúrus eſt véniet, & non tardábit. *Hebr.* 10.

Ant. 4. d. Sciétis quòd Dóminus Deus vivens in médio veſtrî eſt. *Joſ.* 3.

Ant. 5. a. Incurváti ſunt. *Canticum* Miſerére, Deus, *pag.* 180.

Ant. Incurváti ſunt colles mundi ab itinéribus æternitátis ejus. *Habac.* 3.

Ant. 1. f. Quaſi dilúculum præparátus eſt egreſſus ejus, & véniet quaſi imber temporáneus. *Oſ.* 6.

Capitulum. Apoc. 22.

EGo ſum radix & genus David, ſtella ſpléndida

& matutína. Et ſpíritus & ſponſa dicunt; Veni: & qui audit, dicat; Veni.

Hymn. Vox clara, *pag.* 180.

℣. Deus illúminet vultum ſuum ſuper nos, ℟. Et miſereátur noſtrî. *Pſ.* 66.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Adhuc audiétur in loco iſto vox gaúdii & vox lætítiæ, vox ſponſi & vox ſponſæ, vox dicéntium: Confitémini Dómino. *Jer.* 33.

Oratio.

DEus, qui nos redemptiónis noſtræ ánnuâ expectatióne lætíficas; præſta ut Unigénitum tuum quem Redemptórem læti ſuſcípimus, venientem quoque júdicem ſecúri videámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum vivit.

AD HORAS.

Duplex.

Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Dabo vobis.

In ℟. *br.* ℣. Qui ventúrus es * in mundum.

CANON.

Ex Concílio Bituricenſi. *Ann.* 1584. *tit.* 8. *de Vigiliis*, *can.* 1. & 2.

SErvétur Vigília Nativitátis Dómini ad imitandum pietátem paſtórum, qui Chriſto Dómino, eâ nocte, adoratiónis munus impendérunt.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Adhuc módicùm.

Capitulum. Apoc. 22.

DIcit qui teſtimónium pérhibet iſtórum: Etiam vénio citò. Amen veni, Dómine Jeſu.

℟. *brev.* Veni, * Ut ſalvos fácias nos. ℣. Oſtende fáciem tuam, * Ut ſalvos fácias nos. Glória. ℟. Veni, ut ſalvos fácias nos.

℣. Qui regis Iſrael, inténde; ℟. Qui ſedes ſuper Chérubim, manifeſtáre. *Pſ.* 79.

AD SEXTAM.

Ant. 4. d. Sciétis.

Capitulum. Iſ. 46.

AUdíte me, qui longè eſtis à juſtítia: Propè feci juſtítiam meam, & ſalus mea non morábitur.

℟. *brev.* Exurge, Dómine, * Exaltétur manus tua. ℣. Ne oblivíſcáris paúperum. * Exaltétur manus tua. Glória. ℟. Exurge. *Pſ.* 9.

℣. Deus dominábitur Jacob, ℟. Et finium terræ. *Pſ.* 58.

AD NONAM.

Ant. 1. f. Quaſi dilúculum.

Capitulum. Amos, 4.

PRæparáre in occurſum Dei tui, Iſrael; quia, ecce formans montes, & creans ventum, & annún-



tians hómini elóquium ſuum.

℟. *brev.* Exultávit ut gigas * Ad currendam viam. ℣. A ſummo cœlo egréſſio ejus. * Ad currendam viam. Glória. ℟. Exultávit. *Pſ.* 18.

℣. Cognoſcámus, Deus, in terra viam tuam, ℟. In ómnibus géntibus Salutáre tuum. *Pſ.* 66.

DIE XXV. DECEMBRIS.

IN NATIVITATE DOMINI.

ANNUALE.

In Primis Vesperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni.* G.

NOlíte timére: ſtate, & vidéte magnália Dómini quæ factúrus eſt. *Exod.* 14.

Ant. 3. E. Ne meminéritis priórum, & antíqua ne intueámini; ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur. *Iſ.* 43.

Ant. 7. G. Póſuit Altíſſimus David púero ſuo excitáre Regem ex ipſo fortíſſimum, & in throno honóris ſedentem in ſempitérnum. *Ecclí.* 24.

Ant. 4. E. Egreſſus ejus ab inítio, à diébus æternitátis: magnificábitur uſque ad términos terræ, & erit iſte pax. *Mich.* 5.

Ant. 5. C. Erípiet vos de manu príncipum inimicórum; ipſe addúcet vobis ſempitérnam jucunditátem cum ſalúte veſtra. *Bar.* 4.

Capitulum. Agg. 2.

ADhuc unum módicum eſt, & ego commovébo cœlum & terram, & mare & áridam: & movébo omnes gentes; & véniet Deſiderátus cunctis géntibus.

℟. Confidenter ſtate, & vidébitis auxílium Dómini ſuper vos, ô Juda & Jeruſalem: * Cras Dóminus erit vobiſcum. ℣. Gaudéte in Dómino, gaudéte: Dóminus propè eſt. * Cras. Glória. *Repetitur* ℟. Confidenter *uſque ad* ℣. Gau-

ácte. *II. Paral.* 20. *Phil.* 4.

Hymnus.

CEssent gementûm tædia; nóxiis
Captíva dudùm ſólvere vínculis,
Sion, ſalútis ſedat Omen
Exóriens tibi pacis auctor.

Stupenda mundo quot ſimul éxhibet
Nox illa ſummo ſplendídior die!
Parí-ne terris adveníre
Ordine te décuit, Redemptor?

Adeste cunis: régia Núminis
Præſépe, fœnum, léctulus; & tener
Infans diei Numen alget:
Virgo parit, ſine labe Mater.

O Quantus orbi próditur hinc amor!
Spes quanta ſeſe córdibus ínſerit!
Spirant iiſdem, Chriſte, tecum
Spes & amor ſociáta cunis.

Pannis amictus vílibus hóſpitâ
Si vagit Infans in pécudum ſpecu,
Mundi ſalútem, vagiendo,
Ecce puer Deus auſpicátur.

Qui nos creaſti, ſit tibi laus, Pater;
Fili, Redemptor, par tibi glória;
Tu, Flamen, almi fons amóris,
Perpétuo celebráre cultu.

Amen.

℣. Propè timentes eum Salutáre ipsíus; ℟. Ut inhábitet glória in terra noſtra. *Pſ.* 84.

[*Duplicatur Antiphona ad* Magníficat *in utriſque Veſperis & ad* Benedictus. *in Laudibus; & ſic in omni Annuali, & in Dupl. I. & II. Claſſis.*]

Ad Magníf. *Ant.* 6. C. Béthlehem Ephráta, párvulus es in míllibus Juda: ex te mihi egrediétur qui ſit Dominátor in Iſrael, allelúia. *Mich.* 5.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Nativitas líberet, quos ſub peccáti jugo vetuſta ſérvitus tenet; Per.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

Ant. 2. D. Nox iſta eſt obſervábilis Dómini: hanc obſerváre debent omnes fílii Iſrael in generatiónibus ſuis. *Exod.* 12.

Hymnus, Mundi, *p.* 164.

Ad Nunc dimittis.

Ant. 5. 2. Cánticum érit vobis ſicut nox ſanctificátæ ſolemnitátis. *Iſ.* 30.

AD MATUTINUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Chriſtus natus eſt nobis : * Veníte, adorémus. *Luc.* 2.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

O Nox vel médio ſplendídior die!
Cujus per ténebras vírginis è ſinu
Terris exóriens Sol novus émicat,
Complens ómnia lúmine.

Alto de ſólio qui regit ómnia,
Humanúmque Deo concíliat genus,
Is nunc ſub tugurî vilis opérculo
Naſcens paupériem docet.

Nos ex hac cáthedra, quanta doces, Deus!
Quid cunas lácrymis párvulus írrigas?
Te, Verbum ve ſilens, flétibus éxplicas;
Mundi crímina díluis.

O! Quid non pótuit tantus amor Dei?
Terris, ipſe tui Núminis ímmemor,
Dum te, factus homo, dévehis éxulem,
Cœlis ádvehis éxules.

Qui mittis génitum, ſit tibi laus, Pater:
Fili, factus homo, par tibi glória:
Quo fœcunda parit Virgo puérpera,
Par ſit laus tibi, Spíritus.
Amen.

Pars Hyemalis.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Dóminus.

Pſalmus 2.

QUare fremuérunt gentes : * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum : * adversùs Dóminum, & adversùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos : * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua : * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus : * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu; ego hódiè génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam : * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea : * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínam, nequando iraſcátur

Dóminus, * & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus: * beáti omnes qui confidunt in eo.

Ant. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu; ego hódie génui te. *Pſ.* 2.

Ant. 2. D. Ipſe.

Pſalmus 18.

CŒli enarrant glóriam Dei; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi erúctat verbum; * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum; * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe tanquàm ſponſus procédens de thálamo ſuo:

Exultávit ut gigas ad currendam viam: * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: * nec eſt qui ſe abſcondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſéculum ſéculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetipſa:

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me; * & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero; * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

Ant. Ipſe tanquàm ſponſus procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18.

Ant. 1. D. Speciósus.

Pſalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ. * velóciter ſcribentis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum, diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptéreà

benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ intende, * próſperè procéde & regna,

Propter veritátem, & manſuetúdinem & juſtítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli ſub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſéculum ſéculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cáſia à veſtimentis tuis à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtitu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet rex decórem tuum: * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs; * in fimbriis aúreis circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines poſt eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne: * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui, * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in ætérnum, * & in ſéculum ſéculi.

Ant. Speciósus formâ præ filiis hóminum: diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. *Pſ.* 44.

℣. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, ℟. Et veritátis ſuæ dómui Iſrael. *Pſ.* 97.

Pater noſter, &c.

Tres ſequentes Lectiones leguntur ſine titulo.

Lectio j. Iſ. Cap. 9.

PRimo témpore alleviáta eſt terra Zabúlon, & terra Néphthali: & noviſſimo aggraváta eſt via maris trans Jordánem, Galilææ géntium. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt eis. Multiplicaſti gentem, non

magnificáſti lætítiam. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victóres captâ prædâ, quandò dividunt ſpólia. Jugum enim óneris ejus, & virgam húmeri ejus, & ſceptrum exactóris ejus ſuperaſti, ſicut in die Mádian. Quia omnis violenta prædátio cum tumultu, & veſtimentum miſtum sánguine erit in combuſtiónem, & cibus ignis. Párvulus enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: & factus eſt principátus ſuper húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Conſiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri ſéculi, Princeps pacis. Tu autem.

℟. Viſitávit nos Oriens ex alto: * Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent. ℣. Habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt eis. *Illumináre. Glória. *Repet.* ℟. Viſitávit *uſque ad* ℣. *Luc.* 1. *Iſ.* 9.

Lectio ij. Cap. 40.

CONſolámini, conſolámini, pópule meus, dicit Deus veſter. Loquímini ad cor Jerúſalem, & advocáte eam; quóniam compléta eſt malítia ejus, dimiſſa eſt iníquitas illíus: ſuſcépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis ſuis. Vox clamantis in deſerto: Paráte viam Dómini, rectas fácite in ſolitúdine sémitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis humiliábitur: & erunt prava in directa, & áſpera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, & vidébit omnis caro páriter quòd os Dómini locútum eſt. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fœnum, & omnis glória ejus quaſi flos agri. Exſiccátum eſt fœnum, & cécidit flos; quia ſpíritus Dómini ſufflávit in eo. Verè fœnum eſt pópulus: exſiccátum eſt fœnum, & cécidit flos; verbum autem Dómini noſtri manet in ætérnum.

℟. Gaudéte & laudáte; quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum: * Et vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei noſtri. ℣. Miſit Deus Fílium ſuum in mundum, ut ſalvétur mundus per ipſum. * Et vidébunt. *Iſ.* 52. *Joann.* 3.

Lectio iij. Cap. 52.

COnſúrge, conſúrge: indúere fortitúdine tuâ, Sion; indúere veſtiméntis glóriæ tuæ, Jerúſalem cívitas Sancti: quia non adjíciet ultrà ut pertránſeat per te incircumcíſus & immundus. Excútere de púlvere; conſurge; ſede,

Jerúſalem : ſolve víncula colli tui, captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus : Gratìs venúmdati eſtis, & ſine argento redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus : In Ægyptum deſcendit pópulus meus in princípio, ut colónus eſſet ibi : & Aſſur abſque ulla cauſa calumniátus eſt eum. Et nunc quid mihi eſt hîc, dicit Dóminus, quóniam ablátus eſt pópulus meus gratìs ? Dominatóres ejus iníquè agunt, dicit Dóminus : & júgiter totâ die nomen meum blaſphemátur. Propter hoc ſciet pópulus meus nomen meum in die illa : quia ego ipſe qui loquébar, ecce adſum.

℟. Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit ; annuntiáte hoc in univerſa terra ; * Exulta & lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tuî Sanctus Iſrael. ℣. Natus eſt Jeſus qui vocátur Chriſtus. * Exulta. Glória. *Repetit.* ℟. Cantáte. *uſque ad* ℣. Natus. *Iſ.* 12. *Matth.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Magnus eſt Deus.

Pſalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univerſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt, * convenérunt in unum.

Ipſi videntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt : * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturientis ; * in ſpíritu vehementi cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri : * Deus fundávit eam in æternum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ : * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, * & diſtribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſéculum ſéculi : *

ipſe reget nos in ſécula.

Ant. Hic eſt Deus noſter in æternum, & in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 47.

Ant. 3. a. Oriétur.

Pſalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da: * & juſtítiam tuam fílio regis;

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum ſole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Deſcendet ſicut plúvia in vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare: * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent: * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes ſérvient ei.

Quia liberábit paúperem à potente, * & paúperem, cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi: * & ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum: * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper: * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſécula: * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael: * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum: * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra. Fiat, fiat.

Ant. Oriétur in diébus ejus abundántia pacis; & dominábitur. *Pſ.* 71.

Ant. 8. G. Véritas.

Pſalmus 84.

BEnedixiſti, Dómine, terram tuam: * avertiſti captivitátem Jacob.

Remiſiſti iniquitátem plebis tuæ: * operuiſti ómnia peccáta eórum.

Mitigaſti omnem iram tuam, * avertiſti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus ſalutáris noſter: * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu converſus, vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Oſtende nobis, Dómine, miſericórdiam tuam: * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen propè timentes eum ſalutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt; * & juſtítia de cœlo proſpexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpexit. *Pſ.* 84.

℣. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; ℟. Juſtítia & pax oſculátæ ſunt. *Pſ.* 84.

Pater noſter, &c.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 1. *de Nat. Dom.*
Lectio iv.

SAlvátor noſter, dilectíſſimi, hódie natus eſt: gaudeámus. Neque enim locum fas eſt ibi eſſe triſtítiæ, ubi natális eſt vitæ; quæ, conſumpto mortalitátis timóre, nobis íngerit de promiſſa æternitáte lætítiam. Nemo ab hujus alacritátis participatióne ſecérnitur: una cunctis lætítiæ commúnis eſt rátio; quia Dóminus noſter, peccáti mortíſque deſtructor, ſicut nullum à reátu líberum réperit, ita pro liberandis ómnibus venit. Exultet ſanctus, quia propinquat ad palmam: gaúdeat peccátor, quia invitátur ad véniam: animétur Gentílis, quia vocátur ad vitam. Dei namque Fílius ſecundùm plenitúdinem témporis, quam divini

L iv

conſilii inſcrutábilis altitúdo diſpóſuit, reconciliandam auctóri ſuo natúram géneris aſſumpſit humáni; ut inventor mortis diábolus, per ipſam quam vícerat, vincerétur.

℟. Sic Deus dilexit mundum, ut Fílium ſuum unigénitum daret; * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam. ℣. Egreſſus es in ſalútem pópuli tui, Dómine, in ſalútem cum Chriſto tuo. * Ut omnis. *Joann.* 3. *Habacuc.* 3.

Lectio v.

IN quo conflictu pro nobis iníto, magno & mirábili æquitátis jure certátum eſt: dum omnípotens Dóminus cum ſæviſſimo hoſte, non in ſua majeſtáte, ſed in noſtra congréditur humilitáte; objíciens ei eamdem formam, eamdémque natúram mortalitátis quidem noſtræ partícipem, ſed peccáti totíus expertem. Aliénum quippe ab hac nativitáte eſt, quod de ómnibus légitur: Nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt uníus diéi vita ſuper terram. Nihil ergo in iſtam ſingulárem nativitátem de carnis concupiſcéntia transívit: nihil de peccáti lege manávit. Virgo régia Davídicæ ſtirpis elígitur, quæ ſacro gravidanda fœtu, divínam humanámque prolem priùs concíperet mente, quàm córpore. Et ne ſuperni ignára conſílii ad inuſitátos pavéret effectus, quod in ea operandum erat à Spíritu ſancto, collóquio diſcit Angélico: nec damnum credit pudóris, Dei génitrix mox futúra.

℟. Chriſtus, cùm in forma Dei eſſet, * Semetipſum exinanívit, formam ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. ℣. Ergone credíbile eſt ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? * Semetipſum. *Phil.* 2. *II. Paral.* 6.

Lectio vj. Cap. 3.

AGámus ergo, dilectíſſimi, grátias Deo Patri per Fílium ejus, in Spíritu ſancto: qui, propter multam miſericórdiam ſuam quâ dilexit nos, miſertus eſt noſtrî; &, cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto; ut eſsémus in ipſo nova creatúra novúmque figmentum. Deponámus ergo véterem hóminem cum áctibus ſuis; & adepti participatiónem generatiónis Chriſti, carnis renuntiémus opéribus. Agnoſce, ô Chriſtiáne, dignitátem tuam; & divínæ conſors factus natúræ, noli in véte-

rem viſitátem degéneri converſatióne redíre. Meménto, cujus cápitis & cujus córporis ſis membrum. Reminíſcere quia érutus de poteſtáte tenebrárum, tranſlátus es in Dei lumen & regnum.

℟. Convértere, Jacob; * Ambula per viam ad ſplendórem ejus contra lumen ejus: ne tradas álteri glóriam tuam, & dignitátem tuam genti aliénæ. ℣. Per Chriſtum máxima & pretióſa nobis promíſſa donávit Deus; ut per hæc efficiámini divínæ conſortes natúræ. * Ambula. Glória. *Repetitur* ℟. Convértere. *uſque ad* ℣. Per. *Baruch.* 4. *II. Petr.* 1.

IN III. NOCTURNO

Ant. 5. a. Annuntiáte.

Pſalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis eſt ſuper omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium; afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſilvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

Ant. Annuntiáte de die in diem Salutáre ejus. *Pſ.* 95.

Ant. 2. D. Lux.

Pſalmus 96.

DÓminus regnávit, exúltet terra: * læten-

tur ínſulæ multæ.

Nubes & caligo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriantur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimìs exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis

Ant. Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætítia. *Pſ.* 96.

Ant. 4. A. Vidérunt.

Pſalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus; * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum: * in conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cithara & voce pſalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpectu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus, orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu: ſimul montes exultábunt à conſpectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Vidérunt omnes

términi terræ Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97.

℣. Dóminus virtútum nobiſcum; ℟. Suſceptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45.

Pater.

Benedictio. Evangélium virtus Dei, ſit in ſalútem omni credenti. *Rom.* 1.

℟. Amen.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN diébus illis, Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberétur univerſus orbis. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

Hom. 8. *in Evang.* §. 1.

QUia, largiente Dómino, Miſsárum ſolémnia ter hódiè celebratúri ſumus, loqui diù de Evangélica lectióne non póſſumus. Sed nos áliquid vel bréviter dícere Redemptóris noſtri Natívitas ipſa compellit. Quid eſt quòd naſcitúro Dómino mundus deſcríbitur, niſi hoc quod apertè monſtrátur, quia ille veniébat in carne, qui electos ſuos adſcríberet in æternitáte? Quò contra de réprobis per Prophétam dícitur: Deleantur de libro vivéntium, & cum juſtis non ſcribantur. Qui benè étiam in Béthlehem náſcitur: Béthlehem quippe domus panis interpretátur. Ipſe namque eſt qui ait: Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Locus ergo in quo Dóminus náſcitur, domus panis ánteà vocátus eſt; quia futúrum profectò erat, ut ille ibi per matériam carnis apparéret, qui electórum mentes internâ ſatietáte reficeret. Qui non in parentum domo, ſed in via náſcitur: ut profectò oſténderet, quia per humanitátem ſuam quam aſſúmpſerat, quaſi in aliéno naſcebátur.

℟. Impléti ſunt dies Maríæ ut páreret: & * Péperit Fílium ſuum primogénitum, & reclinávit eum in præſépio; quia non erat eis locus in diversório. ℣. Expectátio Iſrael, Salvátor ejus: quaſi colónus in terra, & quaſi viátor declínans ad manendum. * Péperit. *Luc.* 2. *Jer.* 14

Benedictio. Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti qui eſt imágo Dei. *II. Cor.* 4. ℟. Amen.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio viij. Cap. 2.

IN illo témpore: Paſtóres loquebantur ad ínvicem; Tranſeámus uſque Béthlehem, & videámus hoc verbum quod factum eſt, quod Dóminus oſtendit nobis. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſitio Evang. in Luc. Libr. 2. §. 53.

VIdes feſtináre Paſtóres; nemo enim cum deſídia Chriſtum requírit. Vides paſtóres Angelo credidiſſe: & tu Patri, Fílio, Spirítui ſancto, Angelis, Prophétis & Apóſtolis crede. Vide quàm ſignátè Scriptúra ſingulórum libret momenta verbórum: Feſtínant, inquit, Verbum vidére. Etenim cùm caro Dómini vidétur, Verbum vidétur quod eſt Fílius. Non mediocre fidei tibi hoc videátur exemplum, non vilis persóna paſtórum. Certè quò vílior ad prudéntiam, eò pretióſior ad fidem. Non gymnáſia choris referta ſapientûm, ſed plebem Dóminus símplicem requisívit, quæ phaleráre audíta & fucáre neſcíret. Simplícitas enim quæritur, non ambítio deſiderátur. Nec contemnenda putes quaſi vília verba paſtórum: à paſtóribus étiam María fidem cólligit: à paſtóribus pópulus ad Dei reveréntiam congregátur; miráti enim ſunt de iis quæ dicebantur à paſtóribus ad ipſos.

℟. Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis: * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quaſi Unigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritátis. ℣. In terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt. * Et. Glória. *Repetitur* ℟. Verbum. *uſque ad* ℣. In terris. *Joann.* 1. *Baruch.* 3.

Benedictio. Annúntia vitam æternam quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. ℟. Amen. *I. Joann.* 1.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio ix. Cap. 1.

IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Epiſt. 140. *ad Honor.* §. 6.

QUem Fílium Deus míſerit, fieríque ex muliere volúerit, quantus ille Deus ſit, qui hanc humilitátem pro ſalúte fidélium ſuſcípere dignátus fúerit, ut agnoſcas, nunc attende Evangélium. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hic ergo Deus Verbum Dei per quod facta ſunt ómnia, Fílius Dei eſt, incommutabíliter manens, ubíque præſens... qui cùm eſſet Fílius Dei, venit ut fieret fílius hóminis, donarétque nobis qui erámus fílii hóminum, Fílios Dei fieri... Quaprop-

ter cùm modum adjunxiſſet, ne carnális intelligerétur natívitas, quòd ſcilicet eis id præſtíterit, qui credunt in nómine ejus, & per grátiam renaſcuntur ſpiritálem, ... mox commendávit quaſi hujus viciſſitúdinis ſacramentum. Tanquàm enim miráti tantum bonum non auderémus optáre, ſtatìm ſubjunxit: Et Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis. Tanquàm díceret: O hómines, nolíte deſperáre vos fieri poſſe filios Dei; quia & ipſe Fílius Dei, hoc eſt, Verbum Dei caro factum eſt, & habitávit in nobis. Réddite vicem. Efficímini ſpíritus, & habitáte in illo qui caro factus eſt, & habitávit in nobis.

Poſt Lectionem, cantatur in choro Genealogia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut notatur in Miſſali. Deindè dicitur Te Deum, *quo finito celebratur Miſſa in galli cantu, & cantatâ Communione, Sacerdos ſtans ad Altare incipit Laudes, abſolutè ab impoſitione Antiphonæ* Paſtóres. *Non dicuntur in choro, Capitul. Hymn. nec* ℣. *ſed poſt finitos Pſalmos cum Antiphonis, ſtatìm Celebrans imponit Antiphonam ad* Benedictus. *in cujus fine, repetitâ Antiphonâ, terminatur Miſſa per Poſtcommunionem, &* Ite Miſſa eſt; *ut moris eſt. Privatìm verò, dicuntur Laudes more ſolito, ut infrà.*

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona, 4. toni E.

PAſtóres erant vigilantes, & cuſtodientes vigílias noctis ſuper gregem ſuum; & ecce Angelus Dómini ſtetit juxta illos: allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 3. a. Cláritas Dei circumfulſit illos, & timuérunt timóre magno: & dixit illis Angelus: Nolíte timére: allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 5. a. Ecce evangelízo vobis gaúdium magnum quod erit omni pópulo; quia natus eſt vobis hódiè Salvátor: allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 7. *d.* Facta eſt.

Canticum. Mich. 5.

TU Béthlehem Ephráta, * párvulus es in míllibus Juda.

Ex te mihi egrediétur * qui ſit Dominátor in Iſrael.

Et egreſſus ejus ab inítio, * à diébus æternitátis.

Propter hoc dabit eos uſque ad tempus, * in quo partúriens páriet.

Et relíquiæ fratrum ejus * converteniur ad filios Iſrael.

Et ſtabit & paſcet in fortitúdine Dómini, * in

ſublimitáte nóminis Dómini Dei ſui.

Et convertentur, quia nunc magnificábitur uſque ad términos terræ: * & erit iſte pax.

Ant. Facta eſt cum Angelo multitúdo milítiæ cœléſtis laudántium Deum, & dicéntium: Glória in altíſſimis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis: allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 6. C. Paſtóres loquebantur ad ínvicem: Transeámus uſque Béthlehem, & videámus hoc verbum quod factum eſt, quod Dóminus oſtendit nobis: allelúia. *Luc* 2.

Capitulum. II. Cor. 8.

Scitis grátiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti: quóniam propter vos egénus factus eſt, cùm eſſet dives; ut illíus inópiâ vos dívites eſsétis.

Hymnus.

A Solis ortûs cárdine
Ad uſque terræ límitem,
Chriſtum canámus príncipem,
Natum Maríâ Vírgine.

Benignus auctor ſéculi
Mortále corpus índuit;
Ut carne carnem líberans
Ne pérderet quos cóndidit.

Castæ parentis víſcera
Virtus obúmbrat Núminis;
Deíque dextra pérficit,
Quod nulla mens concéperat.

Domus pudíci péctoris
Templum repentè fit Dei;
Matérque néſciens virum,
Concépit alvo Fílium.

Edit parens Virgo Deum,
Quem Gábriel prædíxerat.
Quem matris intra víſcera
Clauſus Joannes ſénſerat.

Fœno jacére ſúſtinet
Præſépe non horret Deus,
Parvóque lacte páſcitur,
Per quem nec ales éſurit.

Gaudet chorus cœléſtium,
Et Angeli canunt Deo;
Palámque fit paſtóribus
Paſtor, Creátor ómnium.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia*, Qui natus es de Vírgine, *dicitur in fine Hymnorum ejuſdem metri, uſque ad Præſentationem Dómini incluſivè, præterquàm in Octava Epiphaniæ.*]

℣. Animas páuperum ſalvas fáciet; ℟. Et honorábile nomen eórum coram illo. *Pſ.* 71.

Ad Bened. *Ant.* 5. C. Paſtóres venérunt feſtinantes, & invenérunt Maríam & Joſeph, & Infantem póſitum in præſépio: allelúia. *Luc.* 2.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus; ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos ſub peccáti jugo vetuſta sérvitus tenet; Per eumdem Dóminum.

AD HORAS.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Non dicitur Symbolum, Quicumque.

Ant. 4. E. Paſtóres.

In ℟. *brevi*, ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

Hic ℣. *dicitur quotidiè uſque ad Præſentationem Domini incluſivè, exceptâ Octavâ Epiphaniæ.*

CANON.

Ex Concílio Toletáno décimo quarto.

Ann. 684. *Capit.* 10.

SI quis Jeſu Chriſto Dei Filio, ex útero Maríæ Vírginis nato, áliquid aut Divinitátis imminuit, aut de ſuſcepta humanitáte ſubdúcit, exceptâ ſolâ lege peccáti; & non eum verum Deum, hominémque perfectum in una persóna ſubſiſtentem ſinceríſſimè credit; anáthema ſit.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Cláritas Dei.

Capitulum. Hebr. 1.

CUm iterùm introdúcit Deus primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei.

℟. *br.* Adoráte eum, omnes Angeli ejus. * Allelúia, allelúia. ℣. Audívit, & lætáta eſt Sion. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Adoráte. *Pſ.* 96.

℣. Jubiláte Deo, omnis terra; ℟. Cantáte, & exultáte & psállite. *Pſ.* 97.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Ecce.

Capitulum. Tit. 3.

CUm benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris noſtri Dei; non ex opéribus juſtítiæ quæ fécimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit.

℟. *br.* Memor fuit in ſǽculum teſtamenti ſui: * Allelúia, allelúia. ℣. Verbi quod mandávit in mille generatiónes. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Memor. *Pſ.* 104.

℣. Lætábimur in Salutári tuo, Dómine, ℟. Et in nómine Dei noſtri magnificábimur. *Pſ.* 19.

AD NONAM.

Ant. 6. C. Paſtóres.

Capitulum. Tit. 2.

APpáruit grátia Dei Salvatóris noſtri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegantes impietátem & ſeculária deſidéria, sóbriè, & juſtè, & piè vivámus in hoc ſǽculo.

℟. br. Notum fecit Dóminus Salutáre ſuum : * Allelúia, allelúia. ℣. In conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Notum. *Pſ. 97.*

℣. Suſcípiant montes pacem pópulo, ℟. Et colles juſtítiam. *Pſ.* 71.

AD VESPERAS.

Pſ. Dixit, *pag.* 28.

Antiphona, 1. *toni*, G.

TEcum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum : ex útero ante lucíferum génui te.

Pſ. Confitébor, *pag.* 29.

Ant. 7. c. Redemptiónem miſit Dóminus pópulo ſuo; mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum.

Pſ. Beátus vir, *pag.* 29.

Ant. 5. C. Exórtum eſt in ténebris lumen rectis; miséricors & miserátor & juſtus Dóminus.

Pſ. De profundis, 130.

Ant. 4. A. Apud Dóminum miſericórdia, & copióſa apud eum redémptio.

Pſ. Meménto, Dómine, *cum ſua diviſione. p.* 111.

Ant. 8. G. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Capitulum. Hebr. 1.

MUltifáriàm multíſque modis olìm Deus loquens Pátribus in Prophétis; noviſſimè diébus iſtis locútus eſt nobis in Fílio, quem conſtítuit hærédem universórum, per quem fecit & ſécula.

Hymnus.

UMBRA ſepultis lux óritur nova:
Mundo ſtupenti ſe ſimul éxhibent
Infans Creátor, Virgo Mater,
Séque minor Deus ipſe factus.

NUMEN ſuprémum de Patre Nûmine,
E Matre prodit paſſíbilis Deus;
De fonte Lucis, Lux perennis,
Carne ſuos rádios obumbrat.

COMPRESSA ſtrictis bráchia fáſciis
Libráta mundi póndera ſuſtinent:
Lactante nutrítur parente
Cælícolûm cibus ipſe jugis.

HOMO ſuperbus corrúerat miſer;
Se deprimendo nos Deus érigit:
Fit Numen infans noſtrâ formâ;
Jámque Deum licet æmulári.

ERGO per orbem Rex novus imperet,
Quondàm timendus vindice dexterâ:

Inermis ardet nunc amári :
Corda tuis, Puer, ure flammis.
LAUS ſumma Patri, ſummaque Fílio;
Sit, ſancte, compar laus tibi, Spíritus :
O Numen infans, ſpes quiéta,
Víndice te, rédeat ſalútis. Amen.

℣. Hic eſt Deus, Deus noſter in æternum : ℟. Ipſe reget nos in ſécula. *Pſ.* 47.

Ad Magnif. *Ant.* 7. G. Ecce Deus noſter iſte : expectávimus eum, & ſalvábit nos. Iſte Dóminus; ſuſtinúimus eum : exultábimus & lætábimur in ſalutári ejus : allelúia. *Iſ.* 25.

Oratio.

CONcéde, quæſumus, omnípotens Deus; ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos ſub peccáti jugo vetuſta ſérvitus tenet; Per eumdem Dóminum.

Pro Commemoratione ſancti Stephani.

Ant. Mittam ad illos Prophétas & Apóſtolos : & ex illis occídent & perſequentur; ut inquirátur ſanguis ómnium Prophetárum qui effúſus eſt à conſtitutióne mundi à generatióne iſta. *Luc.* 11.

℣. Propter te mortificámur totâ die; ℟. Æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. *Pſ.* 43.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut diſcámus & inimícos dilígere; quia ejus natalítia celebrámus qui novit étiam pro perſecutóribus exoráre Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum.

AD COMPLET.

Pſalmi & Capitulum de Dominica.

Ant. 2. D. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. *Joann.* 12.

Hymnus. Mundi ſalus qui náſceris, *pag.* 164.

Ad Nunc dimittis.

Ant. 5. a. Vidérunt óculi mei Salutáre tuum, Dómine. *Luc.* 2.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

In Feſto

SANCTI STEPHANI, PROTO-MARTYRIS.

Duplex III. Claſſis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Jeſum quem vidit Stéphanus ſtantem à dextris Dei, * Veníte, adorémus. *Act.* 7.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

O Qui tuo, dux Mártyrum,
Præfers corónam nómine,
Non de cadúcis flóribus,
Tibi corónam néctimus.

Tuo cruenta ſânguine
Quàm ſaxa fulgent púlchriùs!
Aptáta ſacro vértici
Non ſic micárent ſídera.

Quos facta fronti vúlnera,
Tot tela lucis émicant;
Et Angelo monſtrat parem,
Quod prodit è vultu, jubar.

Tu prima Chriſto víctimæ
Vitam rependis víctima;
Primúſque teſtis, æmulo
Deum fatéris fúnere.

Tu primus oſtenſam tibi
Maris rubri ſulcas viam:
Quot te ſequentur Mártyrum,
Quibus præis, exércitûs!

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. d. Convocantes duódecim multitúdinem diſcipulórum, dixérunt: Non eſt æquum nos derelínquere verbum Dei, & miniſtráre menſis. *Act.* 6.

Ant. 2. D. Conſideráte viros ex vobis boni teſtimónii ſeptem, plenos Spíritu ſancto & ſapiéntiâ, quos conſtituámus ſuper hoc opus. *Act.* 6.

Ant. 3. a. Plácuit ſermo coram omni multitúdine, & elegérunt Stéphanum. *Act.* 6.

℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti, Dómine: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 6.

IN diébus illis, creſcente número diſcipulórum, factum eſt murmur Græcórum adversùs Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſtério quotidiáno víduæ eórum. Convocantes autem Duódecim multitúdinem diſcipulórum, dixérunt: Non eſt æquum nos derelínquere verbum Dei, & miniſtráre menſis. Conſideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimónii ſeptem, plenos Spíritu ſancto & ſapiéntiâ, quos conſtituámus ſuper hoc opus: nos verò oratióni & miniſtério verbi inſtantes érimus. Et plácuit ſermo coram omni multitúdine: & elegérunt Stéphanum, virum plenum fide & Spíritu ſancto, & Philippum, & Próchorum, & Nicánorem, & Timónem, & Pármenam, & Nicoláum ádvenam Antiochénum. Hos ſtatuérunt ante conſpectum Apoſtolórum; & orantes impoſuérunt eis manus.

℟. Stéphanum virum

plenum fide & Spíritu ſancto, * Statuérunt ante conſpectum Apoſtolórum; & orantes impoſuérunt ei manus. ℣. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Státues Levítas in conſpectu Aaron & filiórum ejus, & conſecrábis oblátos Dómino. * Statuérunt. *Act.* 6. *Num.* 8.

Lectio ij.

STéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de Synagóga quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénſium & Alexandrinórum, & eórum qui erant à Cilícia & Aſia, diſputantes cum Stéphano: & non póterant reſiſtere ſapiéntiæ & Spirítui qui loquebátur. Tunc ſummiſérunt viros qui dícerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphémiæ in Móyſen & in Deum. Commovérunt ítaque plebem, & ſenióres & ſcribas: & concurrentes rapuérunt eum, & addúxérunt in concílium, & ſtatuérunt falſos teſtes qui dícerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adversùs locum ſanctum & legem: audívimus enim eum dicentem: Quóniam Jeſus Nazarénus hic déſtruet locum iſtum, & mutábit traditiónes quas trádidit nobis Móyſes. Et intuentes eum omnes qui ſedébant in concilio, vidérunt fáciem ejus tanquam fáciem Angeli.

℟. Levítes præpóſitus erat iis quæ ſponté offerebantur Dómino; * Univerſæque multitúdini fidéliter cibi præbebantur. ℣. Erant credéntibus ómnia commúnia; neque quiſquam egens erat inter illos: dividebátur autem ſíngulis prout cuíque opus erat. * Univerſæque. *II. Paral.* 31. *Act.* 4.

Lectio iij. Cap. 6.

CUm autem eſſet plenus Spíritu ſancto, intendens in cœlum vidit glóriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei; & ait: Ecce vídeo cœlos apertos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei. Exclamantes autem voce magnâ, continuérunt aures ſuas, & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejicientes eum extra civitátem, lapidábant: & teſtes depoſuérunt veſtimenta ſua ſecùs pedes adoleſcentis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocantem & dicentem: Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. Póſitis autem génibus, clamávit voce magnâ dicens: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum.

Et cùm hoc dixiſſet, obdormívit in Dómino.

℟. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit paupéribus: * Juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi. ℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem. * Juſtítia ejus. Glória Patri. * Juſtítia ejus. *II. Cor.* 9. *Pſ.* 40.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Stéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. *Act.* 6.

Ant. 5. a. Fuit gratus Deo, & erat potens in verbis & in opéribus ſuis. *Act.* 7.

Ant. 6. F. Sapiéntia firmábitur in illo, & non flectétur: & continébit illum, & exaltábit illum apud próximos ſuos. *Eccli.* 15.

℣. Confirmátum eſt cor ejus; ℟. Non commovébitur donec deſpíciat inimícos ſuos. *Pſ.* 111.

Sermo ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

Serm. 3. de S. Stephano.

Lectio iv.

HEri celebrávimus temporálem ſempiterni Regis noſtri natálem: hódiè celebrámus triumphálem mílitis paſſiónem. Herì Rex noſter trábeâ carnis indútus, de aula úteri virginális egrédiens, viſitáre dignátus eſt mundum: hódiè miles de tabernáculo córporis éxiens, triumphátor migrávit ad cœlum. Glória in excelſis Deo, herì ſancti Angeli exultantes cantavérunt: hódiè Stéphanum lætantes in ſuum consórtium ſuſcepérunt. Herì Chriſtus pro nobis pannis eſt involútus: hódiè Stéphanus ſtolâ eſt ab eo immortalitátis indútus. Herì præſépis angúſtia Chriſtum portávit infantem: hódiè imménſitas cœli ſuſcépit Stéphanum triumphantem.

℟. Potens in Scriptúris erat, edoctus viam Dómini. * Et fervens Spíritu loquebátur, & docébat diligenter ea quæ ſunt Jeſu. ℣. Dedit illi Sapiéntia ſciéntiam ſanctórum. * Et fervens. *Act.* 18. *Sap.* 10.

Lectio v.

NEceſsárium nobis eſt, fratres cariſſimi, agnóſcere quibus armis præcinctus Stéphanus, ſævítiam Judæórum pótuit ſuperáre, ut ita meruiſſet felíciter triumpháre. Invictæ in eo enítuit inſigne virtútis, quæ nec freméntium ſævítiam formidávit, nec lapidántium íctibus devicta ſuccúbuit. Uſque ádeò enim inter fremen tes permanſit intérritus, & inter lápidum

fuit cruciamenta ſecúrus; ut incredulitátem Judæórum fidenter argúeret, & benignus pro lapidántibus exoráret. Quod eſt ergo tam magnum atque inſuperábile genus armórum? Procul dúbio munímine régio ſeptus, nullátenùs eſt ab adversáriis ſuperátus; quóniam Rex noſter, cùm ſit Altíſſimus, pro nobis húmilis venit, ſed inánis veníre non pótuit. Magnum quippe donatívum ſuis milítibus áttulit, quo eos non ſolùm copióſè ditávit, ſed étiam ad certandum invictíſſimè confortávit. Attulit námque donum caritátis, quo perdúceret hómines ad consórtium Deitátis.

℟. Cœpit fiduciáliter ágere in ſynagóga; * Vehementer enim Judæos revincébat públicè, oſtendens per Scriptúras eſſe Chriſtum Jeſum. ℣. Surrexit quaſi ignis, & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat. * Vehementer. *Act.* 18 *Eccli.* 48.

Lectio vj.

CAritas ergo quæ de cœlo ad terras depóſuit Chriſtum, ipſa Stéphanum de terra elevávit ad cœlum. Cáritas quæ præceſſit in Rege, ipſa ſubſequenter refulſit in mílite. Stéphanus ergo, ut nóminis ſui corónam meruiſſet accípere, caritátem pro armis habébat; & per ipſam ubíque vincébat. Per caritátem Dei, ſæviéntibus Judæis non ceſſit: per caritátem próximi, pro lapidántibus interceſſit. Per caritátem arguébat errantes, ut corrigerentur: per caritátem pro lapidántibus orábat, ne punirentur. Caritátis virtúte ſubnixus, vicit Saulum crudéliter ſævientem; & quem hábuit in terra perſecutórem, in cœlo méruit habére conſortem.

℟. Surrexérunt quidam de ſynagóga diſputantes cum Stéphano: * Et non póterant reſíſtere ſapiéntiæ & Spirítui † Qui loquebátur. ℣. Obſtructum eſt os loquéntium iníqua. * Et non. Glória. † Qui loquebatur. *Act.* 6. *Pſ.* 62.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. D. Judæi repléti ſunt zelo, & contradicébant his quæ dicebantur, blaſphemantes. *Act.* 13.

Ant. 8. g. Summiſérunt viros qui dícerent ſe audiviſſe Stéphanum dicentem verba blaſphémiæ in Móyſen & in Deum. *Act.* 6.

Ant. 7. c. Commovérunt plebem, & ſenióres & ſcribas; & concurrentes rapuérunt Stéphanum. *Act.* 6.

℣. Lábia dolóſa loquuntur adversùs juſtum iniqui-

tátem, ℟. In ſupérbia & in abuſióne. *Pſ.* 30.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23.

IN illo témpore: Dicébat Jeſus Scribis & Phariſæis: Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & ſapientes & ſcribas; & ex illis occidétis & crucifigétis. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comm. in Matth. 4. 23.

HOc quod ánteà dixerámus, Impléte menſúram patrum veſtrórum, ad persónam Dómini pertinére, eò quòd occidendus eſſet ab eis, poteſt & ad diſcípulos ejus referri de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidétis & crucifigétis, & flagellábitis in ſynagógis veſtris: & perſequémini de civitáte in civitátem; ut impleátis menſúram patrum veſtrórum. Simúlque obſerva juxta Apóſtolum ſcribentem ad Corínthios, vária eſſe dona diſcipulórum Chriſti: álios Prophétas qui ventúra prædícant; álios ſapientes qui nóverint, quando débeant proferre ſermónem; álios ſcribas in lege doctíſſimos; ex quibus lapidátus eſt Stéphanus, Paulus occíſus, crucifixus Petrus, flagelláti in Actibus Apoſtolórum diſcípuli.

℟. Adduxérunt Stéphanum in concílium, & ſtatuérunt falſos teſtes, qui dícerent: * Homo iſte non ceſſat loqui verba adversùs locum ſanctum & legem: & intuentes eum omnes, vidérunt fáciem ejus tanquam fáciem Angeli. ℣. Adductis viris filiis diáboli, fecérunt eos ſedére contra eum: at illi dixérunt contra eum teſtimónium. * Homo. *Act.* 6. *III. Reg.* 21.

Lectio viij. Multò pòſt.

JErúſalem, Jerúſalem, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos qui ad te miſſi ſunt. Jerúſalem, non ſaxa & ædifícia civitátis, ſed habitatóres vocat; quam plangit patris affectu, ſicut & in álio loco légimus, quòd videns eam fléverit. In eo autem quod dicit: Quóties vólui congregáre fílios tuos? omnes retrò Prophétas à ſe miſſos eſſe teſtátur.... Ecce relinquétur vobis domus veſtra deſerta. Hoc ipſum ex persóna Jeremíæ jam antè díxerat: Relíqui domum meam, dimíſi hæreditátem meam: facta eſt mihi hæréditas mea quaſi ſpelunca hyænæ. Deſertam Judæórum domum, id eſt, templum illud quod fulgébat augúſtius, óculis comprobámus, quia habi-

tatórem Chriſtum pérdidit, & hæreditátem prærípere géſtiens, occídit hærédem.

℟. Cùm eſſet Stéphanus plenus Spíritu ſancto, intendens in cœlum vidit glóriam Dei, & ait: * Ecce vídeo cœlos apertos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei. ℣. Ecce in cœlo teſtis meus, & cónſcius meus in excelſis. * Ecce. Glória Patri. * Ecce. *Act.* 7. *Job.* 16.

Lectio ix.

DIco enim vobis: Non me vidébitis ámodò donec dicátis: Benedictus qui venit in nómine Dómini. Ad Jeruſalem lóquitur, & ad pópulum Judæórum. Versículum autem iſtum, quo & párvuli atque lactentes in ingreſſu Jeruſalem Dómini ſalvatóris uſi ſunt, quandò dixérunt: Benedictus qui venit in nómine Dómini; Hoſanna in excelſis: ſumpſit de centéſimo décimo séptimo Pſalmo, qui manifeſtè de adventu Dómini ſcriptus eſt. Et quod dicit, hoc vult intélligi: Niſi pœniténtiam egéritis, & confeſſi fuéritis ipſum me eſſe, de quo Prophétæ cecinérunt, Fílium omnipoténtis Patris; meam fáciem non vidébitis. Habent Judæi datum ſibi tempus pœniténtiæ: confiteantur Benedictum qui venit in nómine Dómini, & Chriſti ora conſpícient.

AD LAUDES.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 8. toni. G.

EGo replétus ſum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício & virtúte; ut annúntiem Iſrael peccátum ſuum. *Mich.* 3.

Ant. 3. *a.* Factus eſt ſermo Dómini in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in óſſibus meis. *Jer.* 20.

Ant. 4. E. Zelo zelátus ſum pro Dómino Deo exercítuum, & quærunt ánimam meam, ut áuferant eam. *III. Reg.* 19.

Ant. 1. f. Paſſus ſum.

Canticum. Job. 16.

SUſcitátur falsíloquus adversùs fáciem meam, * contradícens mihi.

Collégit furórem ſuum in me, * & commínans mihi, infrémuit contra me déntibus ſuis.

Hoſtis meus terribílibus óculis me intúitus eſt; * aperuérunt ſuper me ora ſua.

Et exprobrantes percuſſérunt maxillam meam: * ſatiáti ſunt pœnis meis.

Conclúſit me Deus apud iníquum, * & mánibus impiórum me trádidit.

Ténuit cervícem meam: * confrégit me; & póſuit me ſibi quaſi in ſignum.

Circúmdedit me, * con-

vulnerávit lumbos meos.

Non pepercit, * & effúdit in terra víſcera mea.

Concídit me vúlnere ſuper vulnus; * írruit in me quaſi gigas.

Hæc paſſus ſum abſque iniquitáte manûs meæ; * cùm habérem mundas ad Deum preces.

Ant. Paſſus ſum abſque iniquitáte manûs meæ; cùm habérem mundas ad Deum preces. *Job.* 16,

Ant. 6. F. Glorificátus ſum in óculis Dómini, & Deus meus factus eſt fortitúdo mea. *Iſ.* 49.

Capitulum. Apoc. 2.

HÆc dicit primus & noviſſimus: Blaſphemáris ab his qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt; ſed ſunt ſynagóga ſátanæ. Nihil horum tímeas quæ paſſúrus es.

Hymnus S. V.

QUID, obſtináta péctora,
Verbo Dei reſíſtitis?
Qui vos Deo plenus docet,
Hunc deſtinátis fúneri.

OMNES in unum ſæviunt,
Saxis gravant truces manus:
Hunc párticeps Saulus necis
Per ómnium dextras petit.

QUID hoc? repentè panditur
Stelláta cœli régia:
Ad déxteram Patris videt
Sublímè ſtantem Fílium.

NON déſeris, dux, mílitem
Quem, Chriſte, ſpectans róboras:
Stas árbiter certáminis,
Futúrus ipſe præmium.

DEO mori ſub júdice
Pugnantis eſt victória:
Dum grando ſaxórum pluit,
Nil ſentit affixus polo.

MENS nempè largo vívidæ
Torrente lucis ébria,
Nil córporis memor ſui,
Jam ſe beátis ínſerit.

SERVIRE menſis paúperum
Id múneris quondam tui:
Convíva nunc dignus Deo,
Menſis ſupernis áſſides.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Accípere ánimam meam conſiliáti ſunt: ℟. Ego autem in te ſperávi, Dómine. *Pſ.* 30.

Ad Bened. Ant. 7. G. Exclamantes voce magnâ continuérunt aures ſuas, & ímpetum fecérunt unanímiter in Stéphanum; & ejicientes eum extra civitátem lapidábant *Act.* 7.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, imitári quod cólimus;

cólimus : ut diſcámus & inimícos diligere; quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro perſecutóribus exoráre Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum vivit.

Deindè ſit Commemoratio Octav. Nativitatis Domini, ut ſequitur.

Ant. Viſitávit Dóminus, & fecit redemptiónem plebis ſuæ; ſicut locútus eſt per os Sanctórum qui à ſéculo ſunt Prophetárum ejus. *Luc.* 1.

℣. In humilitáte noſtra memor fuit noſtrî; ℟. Et redémit nos ab inimícis noſtris. *Pſ.* 135.

Oratio. Concéde. *ut ſuprà pag.* 257.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Qui natus es de Vírgine, &c.

Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Ego.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

CANON.

Ex Concílio Románo.

Ann. 1059. *can.* 13.

NUllus láicus ad quémlibet gradum Eccleſiáſticum repentè promoveátur, niſi, poſt mutátum hábitum ſeculárem, diuturnâ converſatióne inter Cléricos fúerit comprobátus.

AD TERTIAM.

Ant. 3. *a.* Factus eſt.

Capitulum. Jerem. 6.

ECce incircumcíſæ aures eórum, & audíre non poſſunt: ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium; & non ſuſcípient illud. Idcircò furóre Dómini plenus ſum; laborávi ſúſtinens.

℟. *brev.* Juſtítiam tuam, Dómine, non abſcondi in corde meo. * Allelúia, allelúia. ℣. Veritátem tuam & Salutáre tuum dixi. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Juſtítiam. *Pſ.* 39.

℣. Vidi prævaricantes, & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 4. E. Zelo zelátus ſum.

Capitulum. Ezech. 3.

FIli hóminis, ut adamantem, & ut ſílicem dedi fáciem tuam, ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum.

℟. *br.* Iníqui inſurrexérunt ſuper me. * Allelúia, allelúia. ℣. Et ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Iníqui. *Pſ.* 85.

℣. Sedérunt Príncipes & adversùm me loquebantur: ℟. Servus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Glorificátus ſum.

Capitulum. Iſ. 50.

DOminus Deus auxiliátor meus, ídeò non ſum confúſus: ídeò póſui fáciem meam ut petram duríſſimam, & ſcio quóniam non confundar: juxtà eſt qui juſtíficat me.

℟. *br.* Ecce Deus ádjuvat me. * Allelúia, allelúia. ℣. Et Dóminus ſuſceptor eſt ánimæ meæ. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Ecce. *Pſ.* 53.

℣. Dóminus à dextris eſt mihi, ne commóvear: ℟. Propter hoc lætátum eſt cor meum. *Pſ.* 15.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi, ut ad II. Veſperas de Nativitate Domini, pag. 256.

Capitulum. Job. 16.

PAſſus ſum abſque iniquitáte manûs meæ, cùm habérem mundas ad Deum preces.

Hymnus.

MIRIS probat ſeſe modis
Suos in hoſtes cáritas:
Et blándiens, & íncrepans,
Amíca ſemper cáritas.

DUM ſaxa corpus ópprimunt,
Ad aſtra mens attóllitur:
O Chriſte, dixit, ſúſcipe
Quem pono pro te ſpíritum.

QUI ſtans perorábat ſibi;
Cadens & expírans humi,
Linguâ diſerti ſánguinis
Suis perórat hóſtibus.

AUDIVIT è cœlo Deus
Supréma verba Mártyris:
Dux Saulus & teſtis necis,
Necis fit ipſe præmium.

TUM blanda mors amábili
Sopóre clauſit lúmina:
Ad lucis ætérnæ jubar,
Exútus artus, évolat.

QUID non, Deus, ſi réſpicis,
Humána poſſunt péctora?
Cujus triumphum pángimus,
Fac nos & exemplum ſequi.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſǽcula.
Amen.

℣. Poſuérunt adversùm me mala pro nobis, ℟. Et ódium pro dilectióne mea. *Pſ.* 108.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Póſitis génibus, clamávit voce magnâ Stéphanus, dicens: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum. Et, cùm hoc dixiſſet, obdormívit in Dómino. *Act.* 7.

Oratio, Da nobis, *ut ſuprà ad Laudes, pag.* 264.

Pro Commemoratione S. Joannis.

Ant Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum ſuórum habébit amícum Regem. *Prov.* 22.

℣. Innocens mánibus & mundo corde, ℟. Accípiet benedictiónem à Dómino. *Pſ.* 23.

Oratio infrà ad Laudes.

Deindè fit Commemoratio Octavæ Nativitatis, per Antiph. Ecce Deus. ℣. Hic eſt. *Oratio.* Concéde. *pag.* 257.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

Reliqua ut in die Nativitatis pag. 257. *& ſic uſque ad Circumciſionem incluſivè.*

Die xxvii. Decembris.

In Feſto SANCTI JOANNIS Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Duplex iij. Claſſis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Jeſum, qui diligébat diſcípulum Joannem, * Veníte, adorémus. *Joann.* 13.

Hymnus.

TU, quem præ réliquis
 Chriſtus amáverat,
O dulces hóminis delíciæ
 Dei,
Curárum sócius, fúneris
 & comes,
 Et teſtis quoque glóriæ.

Fortunate nimìs, cui
 lícitum fuit
Attrectáre manu Verbum,
 hóminem Deum,
Hunc audíre, óculis cérnere, mútuo
 Quin & collóquio frui.

Hæc dos quanta fuit,
 cùm tibi crédidit
Senſus, Chriſtus amans,
 péctoris íntimos:
Quandò monte ſuper, totus homo Deus
 Seſe númine véſtiit!

Jesu tu plácido dum
 récubas ſinu,
Potas plena Deo vívida
 flúmina:
Illapſu tácito ſe própiùs
 tuis
 Numen ſénſibus ínſerit.

Hinc creber répetis,
 creber idem ſonas;
Quidquid faris, amor; ſic
 amor ímperat:
Vix ſeſe cápiens æſtuat, &
 ſuis
 Pectus rúmpitur ígnibus.

Sit laus ſumma Patri,
 ſúmmaque Fílio;
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus;
Hæc eſt certa fides, fóntibus è tuis
 Quam divínitùs haúſimus. Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Hæc dicit Dóminus: Vocávi te nómine tuo; meus es tu. *Iſ.* 43.

Ant. 4. A. Vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. *Iſ.* 62.

Ant. 5. a. Honorábilis factus es in óculis meis & glorióſus: ego diléxi te. *Iſ.* 43.

℣. Prævenisti eum, Dó-

mine, ℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Pſ.* 20.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, ſervus Jeſu Chriſti, vocátus Apóſtolus, ſegregátus in Evangélium Dei, quod antè promíſerat per Prophétas ſuos in Scriptúris ſanctis de Fílio ſuo, qui factus eſt ei ex sémine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinátus eſt Fílius Dei in virtúte, ſecundùm ſpíritum ſanctificatiónis ex reſurrectióne mortuórum, Jeſu Chriſti Dómini noſtri, per quem accépimus grátiam & Apoſtolátum ad obediendum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus eſtis & vos vocáti Jeſu Chriſti: ómnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocátis ſanctis. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto.

℟. Vidit Jeſus Jacóbum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, componentes rétia in navi; & ſtatìm vocávit illos: & * Relicto patre ſuo, ſecúti ſunt eum. ℣. Dóminus ipſe eſt hæréditas eórum, ſicut locútus eſt. * Relicto. *Marc.* 1. *Deut.* 18.

Lectio ij.

PRimùm quidem grátias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro ómnibus vobis: quia fides veſtra annuntiátur in univerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui sérvio in ſpíritu meo in Evangélio Fílii ejus, quòd ſine intermiſſióne memóriam veſtrî fácio ſemper in oratiónibus meis: óbſecrans, ſi quo modo tandem aliquandò próſperum iter hábeam in voluntáte Dei veniendi ad vos. Desídero enim vidére vos; ut áliquid impértiar vobis grátiæ ſpirituális ad confirmandos vos; id eſt, ſimul conſolári in vobis per eam quæ ínvicem eſt, fidem veſtram atque meam. Nolo autem vos ignoráre, fratres, quia ſæpè propóſui veníre ad vos, & prohíbitus ſum uſque adhuc, ut áliquem fructum hábeam & in vobis, ſicut & in céteris géntibus. Græcis ac Bárbaris, ſapiéntibus & inſipiéntibus débitor ſum: ita quod in me promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizáre.

℟. Vocávit Jeſus ad ſe quos vóluit ipſe; & fecit ut eſſent duódecim cum illo, & ut mítteret eos prædicáre; & * Impóſuit Jacóbo & Joanni nómina Boanerges, quod eſt, fílii tonítrui. ℣. Dóminus Deus ſervos ſuos vocábit nómine álio. * Impóſuit. *Marc.* 3. *Iſ.* 65.

Lectio iij.

NOn enim erubeſco Evangélium; virtus enim Dei eſt in ſalútem omni credenti, Judæo primùm, & Græco. Juſtítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit. Revelátur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietátem & injuſtítiam hóminum eórum qui veritátem Dei in injuſtítia détinent; quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtávit. Inviſibília enim ipsíus à creatúra mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divínitas, ita ut ſint inexcusábiles. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificavérunt, aut grátias egérunt; ſed evanuérunt in cogitatiónibus ſuis, & obſcurátum eſt insípiens cor eórum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

℞. Aſsúmit Jeſus Petrum & Jacóbum & Joannem; & ducit illos in montem excelſum ſeorsùm ſolos, & * Transfigurátus eſt coram ipſis. ℣. Magnália honóris ejus vidit óculus illórum. * Transfigurátus eſt. Glória. * Transfigurátus eſt. *Marc.* 9. *Eccli.* 17.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Immortálitas eſt in cognatióne ſapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona. *Sap.* 8.

Ant. 2. D. Sapiéntia amícos Dei & Prophétas conſtítuit: díligit Deus eum qui cum ſapiéntia inhábitat. *Sap.* 7.

Ant. 3. c. Omni témpore díligit qui amícus eſt, & frater in angúſtiis comprobátur. *Prov.* 17.

℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris: ℞. Etenim hæréditas mea præclára eſt mihi. *Pſ.* 15.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio iv. Cap. 9.

JOannes Apóſtolus, quem Jeſus amávit plúrimùm, filius Zebedæi, frater Jacóbi Apóſtoli quem Heródes poſt paſſiónem Dómini decolláverat, novíſſimus ómnium ſcripſit Evangélium, rogátus ab Aſiæ Epíſcopis, adverſùs Cerinthum, alióſque hæréticos, & máximè tunc Ebionitárum dogma conſurgens, qui áſſerunt Chriſtum ante Maríam non fuiſſe. Undè & compulſus eſt divínam ejus nativitátem edícere.

℞. Amantíſſimus Dómini habitábit confidenter in eo: * Quaſi in thálamo

totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requiéſcet. ℣. Erat recumbens unus ex diſcípulis in ſinu Jeſu, quem diligébat Jeſus. * Quaſi in thálamo. *Deut.* 33. *Joann.* 13.

Lectio v.

QUarto décimo ígitur anno, ſecundam poſt Nerónem perſecutiónem movente Domitiáno, in Pathmos ínſulam relegátus ſcripſit Apocalypſim, quam interpretátur Juſtínus Martyr, & Irenæus. Interfecto autem Domitiáno, & actis ejus ob nímiam crudelitátem à Senátu reſciſſis, ſub Nerva príncipe rédiit Epheſum: ibíque uſque ad Trajánum príncipem perſevérans, totas Aſiæ fundávit rexítque Eccléſias: & confectus sénio, ſexagéſimo octávo poſt paſſiónem Dómini anno mórtuus, juxta eamdem urbem ſepultus eſt.

℟. Dixit Jeſus: Unus ex vobis tradet me. * Cùm recubuiſſet ille quem diligébat Jeſus ſupra pectus Jeſu, dicit ei: Dómine, quis eſt? Reſpondit Jeſus: Ille eſt cui ego intinctum panem porréxero. ℣. Timórem & metum & probatiónem indúcet ſuper illum, & denudábit abſconſa ſua illi. * Cùm recubuiſſet. *Joann.* 13. *Eccli.* 4.

Ex Commentáriis ejuſdem in Epíſtolam ad Gálatas.

Lectio vj. libr. 3. Cap. 6.

BEátus Joannes Evangeliſta, cùm Epheſi morarétur uſque ad últimam ſenectútem, & vix inter diſcipulórum manus ad Eccléſiam deferrétur; nec poſſet in plura vocem verba contéxere, nihil áliud per síngulas ſolébat proferre collectas niſi hoc: Filíoli, dilígite altérutrum. Tandem diſcípuli & fratres qui áderant, tædio affecti, quòd éadem ſemper audírent, dixérunt: Magiſter, quare ſemper hoc lóqueris? Qui reſpondit dignam Joanne ſenténtiam: Quia præceptum Dómini eſt; &, ſi ſolum fiat, súfficit.

℟. Juxta crucem, cùm vidiſſet Jeſus matrem & diſcípulum ſtantem quem diligébat: * Dicit matri ſuæ: Múlier, ecce filius tuus; deindè dicit diſcípulo: Ecce mater tua. ℣. Amíco fidéli nulla eſt comparátio. * Dicit. Glória. * Dicit. *Joann.* 19. *Eccli.* 6.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Stetit Jeſus in líttore; non tamen cognovérunt diſcípuli quia Jeſus eſt. Dixit diſcípulus ille quem diligébat Jeſus: Dóminus eſt. *Joann.* 21.

Ant. 6. F. Exiit ſermo inter fratres quia diſcípu-

lus ille (quem diligébat Jeſus,) non móritur. *Joann.* 21.

Ant. 8. G. Non dixit Petro Jeſus : Non móritur : ſed, Sic eum volo manére donec véniam : quid ad te ? *Joann.* 21.

℣. Notas mihi feciſti vias vitæ, ℟. Delectatiónes in déxtera tua uſque in finem. *Pſ.* 15.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dicit Jeſus Petro : Séquere me. Converſus Petrus, vidit illum diſcípulum quem diligébat Jeſus, ſequentem; qui & recúbuit in cœna ſuper pectus ejus. Et réliqua.

Homília ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Hom. 87. *in Joann.*

CUm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrárum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & majórem erga eum dilectiónem teſtátus eſſet; cùm vellet Petrus Joannem ſócium & collégam, dixit : Hic autem quid ? numquid eamdem viam aggrediétur? & quemádmodùm in cœna interrogáre non auſus, Joánnem ſuffécit; ita nunc vicem reddit, arbitrátus eum velle, ſed non audére de ſe ſciſcitári. Tum Chriſtus: Si eum volo manére donec véniam, quid ad te ? His verbis nos erúdiens neque dolendum, neque curióſiùs præter divínam voluntátem inveſtigandum. Nam cùm Petrus ſemper in hujúſmodi interrogatiónes ferventiùs proſilíret, íterùm ejus fervórem retundens, quòd non ſit ultériùs inquirendum, in hunc modum reſpondit.

℟. Loquéntibus Petro & Joanne ad pópulum, ſupervenérunt ſacerdótes & magiſtrátus templi, dolentes quòd annuntiárent in Jeſu reſurrectiónem; & * Poſuérunt eos in cuſtódiam. ℣. Inclúſos cuſtodiébant, per quos incipiébat incorruptum legis lumen século dari. * Poſuérunt. *Act.* 4. *Sap.* 18.

Lectio viij.

EXiit ergo ſermo iſte inter fratres, quòd diſcípulus ille non móritur. Et non dixit ei Jeſus, quia non móritur, ſed : Si volo eum manére donec véniam, quid ad te? Noli arbitrári, inquit, eódem modo me de vobis diſpoſuiſſe. Hoc autem dixit, ut intempeſtívum affectum & conſuetúdinis deſidérium tólleret. Cùm enim eſſent orbis terrárum curam ſuſceptúri, ſimul ámpliùs eſſe non oportébat ; magnum

enim fuiſſet mundo detrimentum : idcircò inquit : Opus ſuſcepiſti; id consídera, pérfice, labóra, & te certamínibus expóne : quid ad te, ſi volo eum manére hîc ? Tu offícium tuum cura & exéquere.

℟. Quod audívimus, quod vídimus óculis noſtris, & manus noſtræ contrectavérunt de Verbo vitæ, annuntiámus vobis * Vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & † Appáruit nobis. ℣. Elevábitur áquila, & in árduis ponet nidum ſuum : de longè óculi ejus proſpíciunt. * Vitam. Glória Patri. † Appáruit. *Joann.* 1. *Job.* 39.

Lectio ix.

TU autem hoc in loco Evangeliſtæ modéſtiam intéllige. Videns namque diſcipulórum ſuſpiciónem, córrigit eam, tanquàm quid díxerit, non intellígerent. Non dixit, inquit, Jeſus, quia Non móritur; ſed, Si volo eum manére. Hic eſt diſcípulus ille qui teſtimónium pérhibet de his, & ſcripſit hæc; & ſcimus quia verum eſt teſtimónium ejus. Omnibus enim adfúerat, neque crucifixum derelíquit, matrem commendátam hábuit; quæ & ſigna amóris erant, & quòd certò ómnia ſciret. Quòd ſi tanta ſigna facta dixit, noli admirári; ſed immenſam auctóris poteſtátem intéllige & crede. Ut enim fácile nobis eſt loqui; ita & illi, imò longè facílius, fácere quæ vult: voluntas ſola súfficit, & cuncta ei parent.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 4. *toni*, A.

QUæ oportet fíeri citò, ſignificávit Deus, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni. *Apoc.* 1.

Ant. 8. g. Teſtimónium perhíbuit verbo Dei, & teſtimónium Jeſu Chriſti, quæcumque vidit. *Apoc.* 1.

Ant. 3. a. Spíritu magno vidit última; uſque in ſempiternum oſtendit futúra & abſcóndita. *Eccli.* 48.

Ant. 2. D. Scient.

Cantic. Apoc. 3.

SCient quia ego dilexi te; * quóniam ſervaſti verbum patiéntiæ meæ :

Et ego ſervábo te * ab hora tentatiónis,

Quæ ventúra eſt in orbem univerſum * tentáre habitantes in terra.

Ecce vénio citò : tene quod habes, * ut nemo accípiat corónam tuam.

Si quis audíerit vocem meam, * & aperúerit mihi jánuam;

Intrábo ad illum, & cœ-

nábo cum illo, * & ipſe mecum.

Ant. Scient quia ego dilexi te, quóniam ſervaſti verbum patiéntiæ meæ. *Apoc.* 3.

Ant. 7. a. Beátus qui legit & audit verba prophetíæ hujus; & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim propè eſt. *Apoc.* 1.

Capitulum. Iſ. 45.

DAbo tibi theſauros abſcónditos & arcána ſecretórum; ut ſcias, quia ego Dóminus.

Hymnus.

O Dilecte Deo, lúmine ſpléndidum
Cui Numen própiùs ſe dedit áſpici:
Tu ſecréta Dei, mentis & íntimæ
Rimáris penetrália.

Ceu pennis áquilæ, raptus in æthera
Cœlum mente petis, sídera tránſvolas:
Nil obſtant rútili fúlgura lúminis,
Nudo Númine páſceris.

Æterno génitum de Patre Fílium,
Demptâ nube vides, éque Deo Deum
Deſcendiſſe ſacros de pátrio ſinu
Caſtæ Vírginis in ſinus.

In nos hoc pótuit tantus amor Dei!
Terris ipſe ſui Núminis ímmemor,
Nobis factus homo, ſe facit éxulem,
Ut cœlo trahat éxules.

Patri máxima laus, máxima Fílio:
Amborúmque ſacro máxima Flámini.
Hæc eſt certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs háuſimus. Amen.

℣. Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! ℟. Super mel ori meo. *Pſ.* 118.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Sub umbra illíus quem deſideráveram, ſedi; & fructus ejus dulcis gútturi meo: ordinávit in me caritátem. *Cant.* 2.

Oratio.

ECcléſiam tuam, Dómine, benignus illuſtra; ut beáti Joannis Apóſtoli tui & Evangeliſtæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat ſempiterna; Per.

Fit Comm. Octav. Nativ. Ant. Viſitávit. ℣. In. *Orat.* Concede, *pag.* 265.

AD HORAS.

Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ant. 4. A. Quæ oportet.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es, &c.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 94.

CLéricus qui Chriſti ſervit Eccléſiæ, interpretétur primò vocábulum

ſuum; & nóminis definitióne prolátâ, nitátur eſſe quod dícitur. Si enim cleros Græcè, Latínè ſors appellátur; proptéreà vocantur Clérici, vel quia de ſorte ſunt Dómini, vel quia Dóminus ipſe ſors, id eſt, pars Clericórum eſt.

AD TERTIAM.

Ant. 8. g. Teſtimónium.

Capitulum. Apoc. 1.

EGo Joannes, frater veſter & párticeps in tribulatióne, & regno & patiéntia in Chriſto Jeſu, fui in ínſula quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei & teſtimónium Jeſu.

℟. *br.* Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ: * Allelúia, allelúia. ℣. In loco peregrinatiónis meæ. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Cantábiles. *Pſ.* 118.

℣. In terra deſerta appárui tibi; ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Pſ.* 62.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Spíritu magno.

Capitulum. Apoc. 1.

FUi in ſpíritu in Domínica die, & audívi poſt me vocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccléſiis.

℟. *br.* Annuntiávi juſtítiam tuam. * Allelúia, allelúia. ℣. In eccléſia magna. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Annuntiávi juſtítiam.

℣. Non abſcondi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam, ℟. A concílio multo. *Pſ.* 39.

AD NONAM.

Ant. 7. a. Beátus qui legit.

Capitulum. Apoc. 22.

BEátus qui cuſtódit verba prophetíæ libri hujus! Et ego Joannes qui audívi, & vidi hæc.

℟. *br.* Mirabília teſtimónia tua: * Allelúia, allelúia. ℣. Ideò ſcrutáta eſt ea ánima mea. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Mirabília. *Pſ.* 118.

℣. Occulta ſapiéntiæ tuæ, ℟. Manifeſtaſti mihi. *Pſ.* 50.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi II. Veſperar. Nativit. p. 256.

Capitulum. Jer. 15.

INventi ſunt ſermónes tui, Dómine; & comédi eos: & factum eſt mihi verbum tuum in gaúdium & in lætítiam cordis mei.

Hymnus.

SIT qui ritè canat te modò Vírginem:
Te ſcriptis célebrem dicat Apóſtolum,
Jungat verídicis te quoque Vátibus;
Chriſti te cano Mártyrem.

DIRI teſtis eras fúneris & comes:

Votis cum Dómino fixus eras cruci.
Hoc tantùm lícuit tunc tibi, mútuis
Reſpondére dolóribus.
PENDENS funéreâ Chriſtus ab árbore
Te Matri míſeræ jam ſine filio
Natum ſubſtítuit: Crédere Vírginem
Quàm par eſt tibi Vírgini!
TALI depóſito quid pretióſius?
Mater vera Dei jam tua dícitur;
Natus jure pari dícere mórtui
Jactúram réparas Dei.
PATRI máxima laus, máxima Fílio:
Amborúmque ſacro máxima Flámini:
Hæc eſt certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs haúſimus. Amen.

℣. Teſtimónia tua, Dómine, ℟. Credibília facta ſunt nimìs. *Pſ.* 92.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Quem diligébat Jeſus, qui & recúbuit in cœna ſuper pectus ejus; hic eſt Diſcípulus ille qui ſcripſit hæc: & ſcimus quia verum eſt teſtimónium ejus. *Joann.* 21.

Orat. ut ſuprà ad Laudes.

[*Si ſit Sabbatum, poſt Orationem diei ſit Commemoratio Dominicæ intra Octavam Natalis Domini per Antiph.* Ecce nos. *Neque alia ſit commemoratio Nativitatis; & craſtinâ die ſit de Dominica intra Octavam, ut ordinatur infrà, poſt Feſtum SS. Innocentium, quod tunc tranſfertur in diem xxix.*]

Si non eſt Sabbatum, pro Commem. SS. Innocentium.

Ant. Contemplámini & vocáte lamentatríces: aſſúmant ſuper nos lamentum: quia mors ingreſſa eſt domos noſtras, diſpérdere párvulos. *Jer.* 9.

℣. Captábunt in ánimam Juſti; ℟. Et ſánguinem innocentem condemnábunt. *Pſ.* 93.

Oratio, Deus, cujus hodiernâ die, *ut infrà ad Laudes, pag.* 282.

Deinde Oct. Ecce Deus noſter. *pag.* 257.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria. Reliqua ut in die Nativitatis, pag. 257.

DIE XXVIII. DECEMBRIS.

In Feſto SS. INNOCENTIUM.

Duplex.

AD MATUTINUM.

Invitat. Púerum cujus ánimam quærébat Heródes, * Veníte, adorémus. *Matth.* 2.

Hymnus.

SALVETE, Chriſti víctimæ,

Flores tenelli Mártyrum,
Quos crudus enſis démetit,
Ceu turbo naſcentes roſas.
Vos prima meſſis quam recèns
Nato Deo tellus dicat :
Ejus rigáta sánguine
Quos indè fructus próferet!
O vos puſilli mílites,
Veſtro ſtatis pro Príncipe.
Nondùm ſcientes vívere,
Duci poteſtis præmori.
Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Futúrum eſt ut Heródes quærat púerum Jeſum ad perdendum eum. *Matth.* 2.

℣. Inimíci tui, Dómine, declinavérunt in te mala; ℟. Cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre. *Pſ.* 20.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 2.

PRopter quod inexcusábilis es, ô homo omnis qui júdicas. In quo enim júdicas álterum, teipſum condemnas : éadem enim agis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei eſt ſecundùm veritátem in eos qui tália agunt. Exíſtimas autem hoc, ô homo, qui júdicas eos qui tália agunt, & facis ea, quia tu effúgies judícium Dei? An divítias bonitátis ejus, & patiéntiæ, & longanimitátis contemnis? Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? Secundùm autem durítiam tuam & impœnitens cor theſaurízas tibi iram in die iræ, & revelatiónis juſti judícii Dei qui reddet unicuíque ſecundùm ópera ejus : iis quidem qui ſecundùm patiéntiam boni óperis, glóriam & honórem & incorruptiónem quærunt, vitam æternam : iis autem qui ſunt ex contentióne, & qui non acquiéſcunt veritáti, credunt autem iniquitáti, ira & indignátio.

℟. Númerus annórum incertus eſt tyránnidis ímpii : sónitus terróris ſemper in aúribus illíus; & * Cùm pax ſit, ille ſemper insídias ſuſpicátur. ℣. Magi ab Oriente venérunt Jeroſólymam dicentes : Ubi eſt qui natus eſt rex Judæórum? aúdiens autem Heródes rex turbátus eſt. * Cùm. *Job.* 15. *Matth.* 2.

Lectio ij.

NOn eſt accéptio perſonárum apud Deum. Quicumque enim ſine lege peccavérunt, ſine lege períbunt : & quicumque in lege peccavérunt, per le-

gem judicabuntur: (non enim auditóres legis juſti ſunt apud Deum, ſed factóres legis juſtificabuntur. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturáliter ea quæ legis ſunt, fáciunt, ejúſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in córdibus ſuis, teſtimónium reddente illis conſciéntiâ ipsórum: & inter ſe ínvicem cogitatiónibus accusántibus aut étiam defendéntibus,) in die cùm judicábit Deus occulta hóminum, ſecundùm Evangélium meum per Jeſum Chriſtum.

℟. Heródes clàm vocátis Magis, diligenter dídicit ab eis tempus ſtellæ quæ appáruit eis; & * Mittens illos in Béthlehem, dixit: Ite & interrogáte diligenter de púero; & renuntiáte mihi, ut & ego véniens adórem eum. ℣. In lábiis ſuis indulcat inimícus; & in corde ſuo inſidiátur. * Mittens. *Matth.* 2. *Eccli.* 12.

Lectio iij.

SI autem tu Judæus cognomináris, & requieſcis in lege, & gloriáris in Deo, & noſti voluntátem ejus, & probas utilióra, inſtructus per legem; confidis teipſum eſſe ducem cæcórum, lumen eórum qui in ténebris ſunt, eruditórem inſipiéntium, magiſtrum infántium, habentem formam ſciéntiæ & veritátis in lege. Qui ergo álium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furáris: qui dicis non mœchandum, mœcháris: qui abomináris idóla, ſacrilégium facis: qui in lege gloriáris, per prævaricatiónem legis Deum inhonóras.

℟. Magi, reſponſo accepto in ſomnis ne redírent ad Heródem, * Per áliam viam reverſi ſunt in regiónem ſuam. ℣. Non eſt ſapiéntia, non eſt prudéntia, non eſt consílium contra Dóminum. * Per áliam. Glória. * Per áliam. *Matth.* 2. *Prov.* 21.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. A. Heródes videns quóniam illúſus eſſet à Magis, irátus eſt valdè. *Matth.* 2.

℣. Dóminus réprobat consília príncipum; ℟. Consílium autem Dómini in ætérnum manet. *Pſ.* 32.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

In Epiph. Serm. 1. *c.* 2. & 3.

Lectio iv.

HEródes aúdiens Judæórum príncipem natum, ſucceſsórem ſu-

ſpicátus expávit; & mólitus necem ſalútis Auctóri falſum ſpondet obséquium. Quàm felix foret, ſi Magórum imitarétur fidem, & convérteret ad religiónem quod diſponébat ad fraudem!.. Reverſis Magis in regiónem ſuam, tranſlatóque Jeſu in Ægyptum ex admonitióne divína, exardeſcit fruſtráta in meditatiónibus ſuis Heródis insánia. Necári omnes Béthlehem párvulos jubet; & quóniam quem métuat, neſcit infantem, generálem ſævítiam in ſuſpectam ſibi tendit ætátem. Sed quos rex ímpius éximit mundo, Chriſtus ínſerit cœlo.

℟. Rex, efferátis ánimis, juſſit milítibus interfícere, nec párcere: * Fiébant ergo natórum extermínia, & parvulórum neces. ℣. Heródes irátus eſt valdè; & mittens, occídit omnes púeros qui erant in Béthlehem & in finibus ejus, à bimátu & infrà, ſecundùm tempus quod exquiſíerat à Magis * Fiébant. *II. Machab.* 5. *Matth.* 2.

In Epiph. Serm. 2. *cap.* 3.

Lectio v.

QUæ iſta, Judæi, tam imperíta in vobis ſciéntia eſt?... Interrogáti, ubi Chriſtus naſcerétur, veráciter & memóriter dícitis quod legiſtis, In Béthlehem Judæ. Locum nativitátis de ſcripturárum teſtimónio demonſtrátis; præséntiam témporis de cœli & terræ atteſtatióne cognóſcitis: & tamen, ubi ad perſequendum ánimus Heródis exarſit, ibi ad non credendum veſter ſenſus obdúruit. Felícior ergo ignorántia infántium quos perſecútor occídit, quàm veſtra ſciéntia, quam in ſua perturbatióne conſúluit. Vos noluiſtis regnum ejus recípere, cujus óppidum potuiſtis oſténdere: illi potuérunt pro eo mori, quem nondùm póterant confitéri. Itaque Chriſtus, ne ullum ei tempus eſſet abſque miráculo, ante uſum linguæ poteſtátem Verbi tácitus exerébat: & quaſi jam díceret, Sínite párvulos veníre ad me, tálium eſt enim regnum cœlórum; novâ glóriâ coronábat infantes, & de inítiis ſuis parvulórum primórdia conſecrábat: ut diſcerétur néminem hóminum divíni incapácem eſſe ſacramenti, quando étiam illa ætas glóriæ eſſet apta martyrii.

℟. Adimplétum eſt quod dictum eſt per Jeremíam Prophétam dicentem: * Vox in Rama audíta eſt, plorátus & ululátus mul-

tus : Rachel plorans filios ſuos, & nóluit conſolári, quia non ſunt. ℣. Invocábant Dóminum ut vocem sánguinis ad ſe clamantis audíret, memorarétur quoque iniquíſſimas mortes parvulórum innocentûm. * Vox in Rama. *Matth.* 2. *II. Mach.* 8.

Lectio vj.

AMat Chriſtus infántiam, quam primùm & ánimo ſuſcépit & córpore. Amat Chriſtus infántiam, humilitátis magiſtram, innocéntiæ régulam, manſuetúdinis formam. Amat Chriſtus infántiam, ad quam majórum dírigit mores, ad quam ſenum redúcit ætátes; & eos ad ſuum inclínat exemplum, quos ad regnum ſublímat æternum. Ad hanc vos, dilectíſſimi, ſimilitúdinem parvulórum, myſtérium hodiernæ Feſtivitátis invítat : & hanc vobis humilitátis formam adorátus à Magis puer Salvátor insínuat; qui, ut imitatóribus ſuis quid glóriæ paráret, oſténderet, ortûs ſui témpore éditos martyrio conſecrávit : ut in Béthlehem, ubi Chriſtus natus eſt, géniti, per communiónem ætátis conſortes fierent paſſiónis.

℟. Hæc dicit Dóminus: Quieſcat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis : * Revertentur filii ad términos ſuos. ℣. Nunc meliórem áppetunt pátriam, id eſt, cœleſtem. * Revertentur. Glória. * Revertentur. *Jer.* 31. *Hebr.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Módico dolóre ſuſtentáto, ſub teſtamento ætérnæ vitæ effecti ſunt. *II. Machab.* 7.

℣. Deus noſter miſerétur; ℟. Cuſtódiens párvulos Dóminus. *Pſ.* 114.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Heródes videns quóniam illúſus eſſet à Magis, irátus eſt valdè; &, mittens, occídit omnes púeros qui erant in Béthlehem, & in ómnibus finibus ejus, à bimátu & infrà. Et réliqua.

Homília ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Hom. 9. *in Matth.*

CErtè non oportébat Heródem iraſci, ſed pótiùs timére & cómprimi, atque intellígere ſe rem tentáre quam non poſſet perficere : at ille non coercétur. Quando enim ímprobus ánimus & inſanábilis eſt, nulli cedit à Deo conceſſæ medicínæ. Vide ígitur illum prióribus inſiſtentem, & cædem cædi

jungentem, atque per præcipítia úndiquè ruentem. Nam quaſi à quodam iræ invidiæque dæmone pércitus, nullâ ratióne frenátur; ſed contra ipſam furit natúram, irámque quam contra Magos ſibi illudentes concéperat, contra inſontes púeros exónerat; símile fácinus in Palæſtína aggreſſus ei quod olìm in Ægypto perpetrátum fúerat.

℟. Plácita erat Deo ánima illórum: propter hoc * Properávit edúcere illos de médio iniquitátum; quóniam grátia Dei & miſericórdia eſt in ſanctos ejus, & reſpectus ejus in electos illíus. ℣. Ut oſténderet divítias glóriæ ſuæ in vaſa miſericórdiæ, quæ præparávit in glóriam. * Properávit. *Sap.* 4. *Rom.* 9.

Lectio viij. §. 1. *circa fin.*

CUr, ô Heródes, à Magis illúſus, irátus es? Non nóveras divínum eſſe partum? Annon tu Príncipes Sacerdótum advocáveras? Annon Scribas congregáveras? Annon vocáti illi Prophétam qui hæc olìm prænuntiáverat, ad tribúnal tuum adduxérunt? Annon vidiſti vétera novis conſonáre? Annon audiſti ſtellam his miniſtraviſſe?.. Cur non ex his ómnibus tecum reputaſti, non ex Magórum fraude hæc eveniſſe, ſed divínâ virtúte ómnia, ut parerat, providente? Etiamſi verò illúſus fuiſti à Magis, quid illud ad púeros qui nihil te læſerant?

℟. Hi empti ſunt ex homínibus primítiæ Deo & Agno: in ore eórum non eſt inventum mendácium; ſine mácula * Sunt ante thronum Dei. ℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit * Sunt. Glória. * Sunt. *Apoc.* 14. *Pſ.* 36.

Lectio ix. §. 3.

TUnc implétum eſt quod dictum eſt per Jeremíam Prophétam dicentem: Vox in Rama audíta eſt, plorátus & fletus & ululátus multus: Rachel plorans filios ſuos, & nóluit conſolári, quia non ſunt. Quóniam enim auditórem replévit horróre, narrátâ hâc violentâ, crudeliſſimâ & iníquâ cæde, ipſum conſolátur docens hæc non ídeò accidiſſe, quòd Deus nec poſſet impedíre, nec prævidiſſet; ſed eum hæc & futúra noviſſe, & prænuntiaſſe per Prophétam. Ne ítaque turbéris & cóncidas, in providéntiam ejus ineffábilem reſpíciens, quam tùm ex iis quæ operátur, tùm ex iis quæ permittit, vidére eſt.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 7. *toni*, c.

CUm cogitárent juſtórum occídere infantes; uno liberáto, ſuſcepta eſt à pópulo sánitas. *Sap.* 18.

Ant. 3. a. Púeri tui tanquam agni exultavérunt, magnificantes te, Dómine, qui liberaſti illos. *Sap.* 19.

Ant. 2. D. Decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum; & victrícem manum tuam laudavérunt páriter. *Sap.* 10.

Ant. 1. G. Vox in Rama audíta eſt.

Canticum. Jerem. 31.

HÆc dicit Dóminus : Vox in excelſo audíta eſt * lamentatiónis, luctûs & fletûs;

Rachel plorantis filios ſuos, * & nolentis conſolári ſuper eis, quia non ſunt.

Hæc dicit Dóminus : * Quieſcat vox tua à plorátu,

Et óculi tui à lácrymis, * quia eſt merces óperi tuo, ait Dóminus.

Ant. Vox in Rama audíta eſt, plorátus & ululátus multus, Rachel plorans filios ſuos, & nóluit conſolári, quia non ſunt.

Ant. 8. g. Lætítia ſempiterna ſuper caput eórum: gaúdium & lætítiam obtinébunt. *Iſ.* 35.

Capitulum. Jer. 31.

COnvertam luctum eórum in gaúdium, dicit Dóminus : & conſolábor eos, & lætificábo à dolóre ſuo.

Hymnus.

VOs prima Chriſti víctima,
Hoſtis neci quos dévovet;
Aram ſub ipſam símplices
Palmâ & corónis lúditis.

MOLLES in agnos ceu lupus,
Amens tyrannus írruit;
Et déſtinat promíſcuâ
In ſtrage Chriſtum tóllere.

CUNÆ replentur sánguine;
Sed in Deum fruſtrà furit.
Unum petit tot mórtibus,
Mortes tot unus éffugit.

SIC ſtulta regis ímpii
Edicta quondàm fúgerat
Chriſti figúram præferens
Moſes, redemptor cívium.

MATRES, querélis párcite:
Quid rapta fletis pígnora?
Agnum ſalútis óbſidem
Denſo ſequuntur ágmine.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Salvávit eos Dóminus de manu odiéntium;

℟. Et redémit eos de manu inimíci. *Pſ.* 105.

Ad Bened. *Ant.* 7. b. Nolíte timére, puſillus grex, quia complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

Oratio.

DEus, cujus hodiernâ die præcónium Innocentes Mártyres, non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua noſtra lóquitur, étiam móribus vita fateátur; Per Dóminum.

Fit Commem. Octavæ Nativit. Viſitávit. *p.* 265.

AD HORAS.

Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ant. 7. c. Cùm cogitárent.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 22. *de Reform. cap.* 1.

SIc decet omnínò Cléricos, in ſortem Dómini vocátos, vitam moréſque ſuos omnes compónere, ut hábitu, geſtu, inceſſu, ſermóne, aliíſque ómnibus rebus, nihil niſi grave, moderátum, ac religióne plenum præ ſe ferant: lévia étiam delícta, quæ in ipſis máxima eſſent, effúgiant; ut eórum actiónes cunctis áfferant veneratiónem.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Púeri tui.

Capitulum. Tit. 3.

NOn ex opéribus juſtítiæ quæ fécimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericórdiam Deus ſalvos nos fecit.

℟. *br.* Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt. * Allelúia, allelúia. ℣. De láqueo venántium. * Allelúia, allel. Glória. ℟. Anima noſtra.

℣. Láqueus contrítus eſt, ℟. Et nos liberáti ſumus. *Pſ.* 123.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Decantavérunt.

Capitulum. 2. *Tim.* 1.

DEus nos liberávit & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, non ſecundùm ópera noſtra, ſed ſecundùm propóſitum ſuum & grátiam.

℟. *br.* Humiliaſti nos, Deus, in loco afflictiónis. * Allelúia, allel. ℣. Et coopéruit nos umbra mortis. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Humiliaſti nos. *Pſ.* 43.

℣. Tu, Dómine, ſervábis nos & cuſtódies nos, ℟. A generatióne hac in ætérnum. *Pſ.* 11.

AD NONAM.

Ant. 8. g. Lætítia.

Capitulum. Apoc. 22.

SErvient Deo & Agno, & vidébunt fáciem ejus

& nomen ejus in frónti-bus eórum.

℟. *br.* Abſcondes eos, Dómine, in abſcóndito faciéi tuæ. * Allelúia, allel. ℣. A conturbatióne hóminum. * Allelúia, allelúia. Glória. * Abſcondes. *Pſ.* 30.

℣. Hæreditábunt terram, ℟. Et delectabúntur in multitúdine pacis. *Pſ.* 36.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi II. Veſperar. Nativit. p. 256.

[*Si non ſit Sabbatum.*]

Capitulum. Dan. 3.

Sicut in holocauſto aríetum & taurórum, & ſicut in míllibus agnórum pínguium; ſic fiat ſacrifícium noſtrum in conſpectu tuo, Dómine.

Hymnus de Laudibus. Vos prima, *pag.* 281.

℣. In ætérnum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Pſ.* 5.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. Ecce quómodò computáti ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt! *Sap.* 5.

Oratio, ſuprà ad Laudes.

Deindè (niſi ſit Sabbatum) fit Commem. Nativitatis. Ant. Ecce Deus noſter, ℣. Hic eſt. *Orat.* Concéde, *pag.* 257.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

Cetera ut in Die Natalis Domini.

DOMINICA

Intra Octavam Nativitatis Domini.

[*Si Dominica intra Octavam Nativitatis Domini inciderit in diem S. Stephani, vel S. Joannis Evang. aut, ſi nulla fuerit Dominica intra Octavam, Officium Dominicæ ponetur die* 30 *Decembris; & fiet ut ibi notatur.*

Si inciderit in diem 28, *tunc ad II. Veſperas S. Joannis fiet Commemoratio de Dominica intra Octavam per Antiph.* Ecce nos. ℣. Quid eſt. *Orat.* Omnípotens. *ut infrà; ſine alia Commemorat. Octava Nativit. Domini; & Feſtum SS. Innocentium transferetur in Feriam II.*

Si inciderit in diem 29, *de ea fiet à Capitulo II. Veſper. SS. Innoc. cum eorumdem commemoratione.*

Si verò inciderit in diem 30 *vel* 31, *fiet ut ſequitur.*]

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi & Antiphonæ II. Veſperar. Nativit. p. 256.

Capitulum. I. Joann. 4.

Quiſquis confeſſus fúerit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.

Hymnus, Ceſſent gementûm, *pag.* 240.

℣. Quid eſt homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fi-

lius hóminis, quóniam víſitas eum? *Pſ.* 8.

Ad Magníf. *Ant.* 1. d. Ecce nos venímus ad te; tu enim es Dóminus Deus noſter: verè in Dómino Deo noſtro ſalus Iſrael. *Jerem.* 3.

Oratio.

OMnípotens ſempiterne Deus, dírige actus noſtros in beneplácito tuo; ut in nómine dilecti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre; Per eumdem Dóminum.

Non fit alia Commemoratio Octavæ.

Si dies eſt 30, fit Commemoratio S. Sylveſtri Papæ & Martyris, ut infrà, die 30.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria: cetera ut ſuprà, pag. 257.

AD MATUTINUM.

Invit. & Hymn. ut in Die pag. 241.

Pſalmi de Dominica.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. In útero habens de Spíritu ſancto, péperit María Fílium ſuum primogénitum. *Matth.* 1.

℣. In ſplendóribus ſanctórum, ℟. Ex útero ante lucíferum génui te. *Pſ.* 109.

*Lectiones de Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Romanos, juxta diem Menſis, factis diviſionibus ad aſteriſcos **. Reſponſoria verò de I. Nocturno Nativitatis Domini, pag.* 244. & 245. *dempto ritu Annuali.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Párvulus natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis. *Iſ.* 9.

℣. Unxit te, Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, ℟. Præ consórtibus tuis. *Pſ.* 44.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Sermo 380.

Lectio iv.

VEnit Dóminus naſcendo de Vírgine María, non de Patris ſubſtántia. Duas enim Dómini Nativitátes accépimus, unam divínam, álteram humánam; tamen utramque mirábilem: illam ſine matre, iſtam ſine patre: illam ætérnam, ut creáret temporálem; hanc temporálem, ut præſtáret æternam... Ille tantus in forma Dei æquális Patri; ille ſine témpore fábricans témpora; ille ex nullo ſéculo ante ómnia ſécula, judex ſéculi, factus eſt tam parvus, ut de fémina naſcerétur: ſed manſit tam magnus, ut à Patre non ſepararétur. Ei præbentes obséquium & teſtimónium, tanquàm lucernæ ventúro diéi, omnes Prophétæ prænuntiantes eum, ante ipſum naſcendo venē-

runt, poſt ipſum credendo adhæſérunt.

℟. Sic Deus, *pag.* 248.

Lectio v.

OPortébat enim ut prænuntiarétur ventúrus, mirácula factúrus: quibus miráculis, benè intelligéntibus indicarétur Deus; humáno autem aſpectu vidéntibus apparéret homo, parvus ad parvos, ſed húmilis ad ſuperbos; parvitáte ſuâ docens hóminem, ut ſe agnóſceret parvum; ne, non grandeſcendo, ſed tumeſcendo ſe créderet magnum. Eſt enim ſupérbia non magnitúdo, ſed tumor. Ut ergo géneris humáni iſtum tumórem ſanáret ipſe médicus, ipſe medicína, non ſolùm medicamentum ádhibens, ſed medicamentum ſe fáciens, appáruit inter hómines homo, ófferens hóminem vidéntibus, Deum ſervans credéntibus.

℟. Christus, *pag.* 248.

Lectio vj. Poſt pauca.

NOndùm erant hómines, qui Deum vidérent in hómine, nec póterant vidére niſi hóminem; nec tamen ſpem ſuam pónere debébant in hómine. Quid ergo fíeret? Homo hóminem vidére poteſt, homo hóminem ſequi non debet. Deus ſequendus erat, qui vidéri non póterat: homo ſequendus non erat, qui vidéri póterat... O homo! propter quem Deus factus eſt homo, áliquid magnum te crédere debes: ſed deſcende, ut aſcendas; quia & Deus deſcendendo factus eſt homo. Adhæreſce medicamento tuo, imitáre magiſtrum tuum, agnoſce Dóminum tuum, ampléctere fratrem tuum, intéllige Deum tuum.

℟. Convértere, *p.* 249.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Ipſe eſt pax noſtra, ſolvens inimicítias in carne ſua ut reconcíliet Deo. *Eph.* 2.

℣. Confiteantur tibi pópuli omnes; ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore; Erant pater Jeſu & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. in Luc. Libr. 2. §. 60.

VIdes úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúſam, & prophetíam incrédulis negátam eſſe, non juſtis. Ecce & Símeon prophétat in ruínam & reſurrectiónem plurimórum veniſſe Dóminum Jeſum Chriſtum; ut juſtórum, iniquorúmque mérita

diſcernat, & pro noſtrórum qualitáte factórum judex verus & juſtus aut ſupplícia decernat, aut præmia.

℟. Símeon dixit ad Maríam matrem Jeſu: * Ecce póſitus eſt hic in ruínam & in reſurrectiónem multórum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicétur. ℣. Erit in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúſalem; & offendent ex eis plúrimi, & cadent. * Ecce póſitus eſt. *Luc.* 2. *Iſ.* 8.

Lectio viij. §. 61.

ET tuam, inquit, ipsíus ánimam pertransíbit gládius. Nec líttera, nec hiſtória docet ex hac vita Maríam corporális necis paſſióne migraſſe; non enim ánima, ſed corpus materiáli gládio tranſverberátur. Et ídeò prudéntiam Maríæ haud ignáram myſtérii cœleſtis oſtendit. Vivum enim verbum Dei, & válidum, & acútius omni gládio acutíſſimo, pénetrans uſque ad diviſiónem ánimæ & ſpíritûs, ártuum quoque & medullárum, cogitatiónes cordis & ſecréta ſcrutátur animórum: quia nuda & aperta ſunt ómnia Dei Fílio, quem conſciéntiæ ſecréta non fallunt.

℟. Iſrael in legem juſtítiæ non pervénit; offendérunt enim in lápidem offenſiónis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lápidem offenſiónis: * Et † Omnis, qui credit in eum, non confundétur. ℣. Hæc dicit Dóminus: Ecce ego mitto in fundamentis Sion lápidem probátum, angulárem, pretióſum, in fundamento fundátum. * Et omnis. Glória. † Omnis. *Rom.* 9. *Iſ.* 28.

Lectio ix. §. 62.

PRophetávit ítaque Símeon, prophetáverat Virgo, prophetáverat copuláta conjúgio: prophetáre débuit étiam vídua, ne qua aut proféſſio deeſſet, aut ſexus. Et ídeò Anna & ſtipéndiis viduitátis, & móribus talis indúcitur; ut digna planè fuiſſe credátur, quæ Redemptórem ómnium veniſſe nuntiáret.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphonæ & Pſalmi cum Cantico ut in die Nativitatis Domini, pag. 253.

Capitulum. Galat. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fílium ſuum factum ex mulíere, factum ſub lege; ut eos, qui ſub lege erant, redímeret; ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Hymnus, A ſolis ortûs cárdine, *in Laudibus Nativitatis, pag.* 254.

℣. Jubiláte Deo, omnis

terra; ℟. Date glóriam laudi ejus. *Pſ.* 65.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. In Chriſto inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter: & eſtis in illo repléti, qui eſt caput omnis principátûs & poteſtátis. *Coloſſ.* 2.

Oratio.

OMnípotens ſempiterne Deus, dírige actus noſtros in beneplácito tuo; ut in nómine dilecti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre; Per eumdem.

Non ſit alia Commem. niſi die 31. *de S. Sylveſtro Papa.*

AD HORAS.

Omnia ut in die Nativitatis, pag. 255. *excepto Canone ad Primam; qui dicitur juxta diem Menſis. Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Orat.* Omnípotens *ut ſuprà.*

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi II. Veſp. Nativ. pag. 256.

Capitulum. Epheſ. 1.

BEnedictus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti qui benedixit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto.

Hymnus, Umbrâ ſepultis, *pag*, 256.

℣. Benedixiſti, Dómine, terram tuam; ℟. Avertiſti captivitátem Jacob. *Pſ.* 84.

Ad Magníf. *Ant.* 8. g. Erat pater Jeſu & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. *Luc.* 2.

Oratio, ut ſuprà ad Laud. Nulla ſit Commem. niſi die 30. *de S. Sylveſtro.*

Complet. ut in Die, pag. 257.

DIEBUS

Intra Octavam Nativitatis Domini.

Semiduplex.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

AD NOCTURNUM.

Pſalmi de Feria, ſub Antiphonis quæ ſequuntur.

Ant. 2. D. In útero habens de Spíritu Sancto, péperit María Fílium ſuum primogénitum. *Matth.* 1.

Ant. 1. f. Párvulus natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis. *Iſ.* 9.

Ant. 5. a. Ipſe eſt pax noſtra, ſolvens inimicítias in carne ſua, ut reconcíliet Deo. *Epheſ.* 2.

℣. A Dómino factum eſt iſtud: ℟. Et eſt mirábile in óculis noſtris. *Pſ.* 117.

Lectiones, ut infrà pro qualibet die.

℟. *j.* Qui ſanctíficat & qui ſanctificantur, ex uno omnes: * Undè débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miſéricors fieret, ut repropitiáret delicta pópuli. ℣. Deus in terris viſus eſt, & cum homínibus conver-

ſátus eſt : * Undè. *Hebr.* 2. *Baruch.* 3.

℟. ij. Verbum caro factum eſt, & habitâvit in nobis : * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quaſi Unigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritátis. ℣. Cùm nox in ſuo curſu médium iter habéret, omnípotens Sermo tuus, Dómine, de cœlo à regálibus sédibus proſilívit. * Et vídimus. Glória. * Et vídimus. *Joann.* 1. *Sap.* 18.

AD LAUDES.

Pſalmi de Feria, cum Cantico de Die, ſub unica Ant. ſequenti :

Ant. 7. *d.* Facta eſt cum Angelo multitúdo milítiæ cœleſtis laudántium Deum, & dicéntium : Glória in altíſſimis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis : allelúia. *Luc.* 2.

℣. In humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, ℟. Et redémit nos ab inimícis noſtris. *Pſ.* 135.

Ad Benedict. *Ant.* 4. A. Viſitávit Dóminus, & fecit redemptiónem plebis ſuæ, ſicut locútus eſt per os Sanctórum qui à ſeculo ſunt Prophetárum ejus. *Luc.* 1.

Orat. Concéde. *p.* 257.

AD HORAS.

Pſalmi de Feria.

Cetera ut in Die, excepto Canone ad Primam, qui dicitur juxta diem Menſis.

AD VESPERAS.

Pſalmi & reliqua ut in Die.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria. Cetera ut in Die.

¶ *Si Dominica inciderit in diem 29 aut 30 vel 31 Decembris, de Lectione j. fient tres, diviſione factâ ad aſteriſcos **.*

Die XXIX Decembris.

DE OCTAVA NATIVITATIS DOMINI.

Semiduplex.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Románoś.

Lectio j. Cap. 4. *&* 5.

NOn per legem promíſſio Abrahæ aut sémini ejus, ut hæres eſſet mundi ; ſed per juſtítiam fidei. Si enim qui ex lege, hærédes ſunt ; exinaníta eſt fides, abólita eſt promíſſio : lex enim iram operátur ; ubi enim non eſt lex, nec prævaricátio. Ideò ex fide, ut ſecundùm grátiam firma ſit promíſſio omni sémini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt ómnium noſtrùm, (ſicut ſcriptum eſt, Quia patrem multárum géntium póſui te) ; ante Deum cui crédidit, qui vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquàm ea quæ ſunt. Qui

contra

contra ſpem in ſpem crédidit, ut fieret pater multárum géntium, ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum. * Et non infirmátus eſt fide, nec conſiderávit corpus ſuum emórtuum, cùm jam ferè centum eſſet annórum, & emórtuam vulvam Saræ. In repromiſſióne étiam Dei non hæſitávit diffidéntiâ, ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo: pleniſſimè ſciens quia quæcunque promíſit, potens eſt & fácere: ídeò & reputátum eſt illi ad juſtítiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputátum eſt illi ad juſtítiam; ſed & propter nos quibus reputábitur credéntibus in eum qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum à mórtuis, qui tráditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificatiónem noſtram. ** Juſtificáti ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem & habémus acceſſum per fidem in grátiam iſtam in qua ſtamus & gloriámur in ſpe glóriæ filiórum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriámur in tribulatiónibus: ſcientes quòd tribulátio patiéntiam operátur; patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem; ſpes autem non confundit: quia cáritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 3. de Nat. Domini.

Lectio ij.

NAſcitúrus Dei Filius, cujus in arbítrio erat quodcumque vellet elígere tempus, elégit quod moléſtius eſt, præſertìm párvulo, & paúperis matris filio, quæ vix pannos habéret ad involvendum, præſépe ad reclinandum. Non eſt tale judícium mundi: aut iſte fállitur, aut mundus errat. Sed divínam falli impoſſíbile eſt ſapiéntiam: méritò proindè & carnis prudéntia inimíca eſt Deo, & ſéculi quoque prudéntia ſtultítia nominátur. Quid enim? Chriſtus útique qui non fállitur, elégit quod carni moléſtius eſt: id ergo mélius, id utílius, id pótiùs eligéndum: & quiſquis áliud dóceat vel ſuádeat, ab eo tanquam à ſeductóre cavendum.

Lectio iij.

IN ſtábulo náſcitur Chriſtus, & in præſépio reclinátur; & nonne ipſe eſt qui dicit: Meus eſt orbis terræ & plenitúdo ejus? Quid ergo ſtábulum elégit? Planè ut réprobet gló-

tiam mundi, damnet ſéculi vanitátem. Neccùm lóquitur lingua, & quæcumque de eo ſunt clamant, prædicant, evangelízant: ipſa quoque infantília membra non ſilent; in ómnibus mundi judícium argúitur, ſubvértitur, confutátur. O ſapiéntia, quæ de occultis tráheris! O verè incarnáta & veláta ſapiéntia! Et tamen, fratres, ipſe eſt olìm promiſſus párvulus ſciens reprobáre malum & elígere bonum. Malum ergo voluptas córporis, bonum verò afflíctio eſt: ſi quidem & hanc elégit, & illam réprobat puer ſápiens, Verbum infans. Verbum enim caro factum eſt, & caro infirma, caro infantis, caro ténera, caro ímpotens omnis óperis, omnis labóris impátiens.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23 de Reform. c. 4.

PRimâ tonſúrâ non initientur, qui Sacramentum Confirmatiónis non ſuſcéperint, & fidei rudimenta edocti non fúerint; quíque légere & ſcríbere néſciant; de quibus probábilis conjectúra non ſit, eos non ſeculáris judícii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidélem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

DIE XXX. DECEMBRIS.

¶ [*Si Dominica intra Octavam inciderit in diem S. Stephani, aut S. Joannis, aut ſi nulla fuerit Dominica intra Octavam, tunc ejus Officium ponitur hâc die, & ſit* Semiduplex. *Ad Nocturnum, Pſalmi de Feria, ſub tribus Antiphonis de Officio Dominicæ intra Octav. Lectio j.* De Epíſtola ad Romános. *infrà.* ℟. Símeon, *pag.* 286. *Lectio ij.* Sermo S. Basílii &c. *infrà.* ℟. Iſrael. *p.* 286. *Lectio iij. Evangelium Dominicæ, cum prima Lectione Homiliæ, pag.* 285. *omiſſâ Lectione,* Diſce. *Ad Laudes Pſalmi de Feria, cum Cantico de Die ſub unica Antiphona* 7. d. Facta eſt. *Reliqua de Officio ejuſdem Dominicæ. Et non ſit alia Commemorat. Octavæ neque ad Laud. neque ad Veſper. Ad Horas & ad Complet. Pſalmi de Feria.*]

DE OCTAVA.

Semiduplex.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 5.

UT quid Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſémus, ſecúndùm tempus pro ímpiis mórtuus eſt? Vix enim pro juſto quis móritur: nam pro bono fórſitan quis áudeat mori. Comméndat autem caritátem

ſuam Deus in nobis; quóniam, cùm adhuc peccatóres eſsémus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mórtuus eſt: multò ígitur magìs nunc juſtificáti in ſánguine ipsíus, ſalvi érimus ab ira per ipſum. * Si enim cùm inimíci eſsémus, reconciliáti ſumus Deo per mortem Fílii ejus; multò magìs reconciliáti, ſalvi érimus in vita ipsíus. Non ſolùm autem, ſed & gloriámur in Deo per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Proptéreà ſicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors: & ita in omnes hómines mors pertránſiit, in quo omnes peccavérunt. Uſque ad legem enim peccátum erat in mundo: peccátum autem non imputabátur, cùm lex non eſſet. Sed regnávit mors ab Adam uſque ad Móyſen, étiam in eos qui non peccavérunt in ſimilitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui eſt forma futúri. ** Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mórtui ſunt: multò magìs grátia Dei & donum in grátia uníus hóminis Jeſu Chriſti in plures abundávit. Et non ſicut per unum peccátum, ita & donum. Nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem: grátia autem ex multis delictis in juſtificatiónem. Si enim uníus delicto mors regnávit per unum: multò magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis, & juſtítiæ accipientes, in vita regnábunt per unum Jeſum Chriſtum.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

De humana Chriſti gener.

Lectio ij.

DEus in terra, Deus inter hómines, non ferens legem per ignem & tubam & montem fumantem, aut calíginem, & procellam ánimas audiéntium perterrefacientem; ſed per corpus manſuétè ac blandè cum iis qui eamdem atque ipſe natúram habent, cólloquens. Deus in carne, non intervallo óperans velut in Prophétis, ſed inſitam ſibi & conjunctam humanitátem conſecútus, atque per ſuam carnem nobis cognátam omne hóminum genus redúcens ad ſemetipſum. Quómodò ígitur per unum, inquis, in omnes ſplendor devénit? Quonam modo divínitas eſt in carne? velut ignis in ferro, non tránſitu, ſed communicatióne. Non enim ignis excurrit in ferrum, ſed manens in loco, ſuam ei virtútem impertit: neque hâc

communicatióne minúitur, ſed quidquid ſui ipsíus párticeps eſt, omne id replet. Sic ígitur & Deus Verbum, neque emótus eſt ſeipſo, & tamen habitávit in nobis: neque fuit mutatióni obnóxius, & tamen Verbum caro factum eſt: neque cœlum deſtitútum fuit eo qui illud continébat, ſed tamen ſuſcépit terra in ſuo ſinu cœleſtem.

Lectio iij.

DIſce ígitur myſtérium. Proptéreà Deus in carne eſt, ut latitantem in ea mortem énecet. Ut enim ſi medicamenta venénis expellendis idónea córpori miſceantur, cauſas corruptiónis expugnant; utque ténebræ in domo reſidentes adveniente luce diſſolvuntur: ſic mors quæ in natúra humána dominabátur, divinitátis præſéntiâ abólita eſt.... O altitúdinem bonitátis amoríſque Dei in hómines! ſervitútem excútimus magnitúdine benignitátis. Ratiónem cur Deus inter hómines ſit, hómines requírunt, cùm adoráre oportuiſſet bonitátem. Quid faciémus tibi, ô homo? Manentem in ſupernis Deum non inquiſiviſti; dimittentem ſe ad te atque per carnem converſantem non ſúſcipis. Idcircò Deus in carne eſt, quia hanc carnem à Deo abalienátam oportébat cum eo conjungi, delapſum è paradíſo in cœlos redúci.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanenſi quinto.

Ann. 1579. *part.* 3. *tit.* 6.

DUm ſuperpellíceum, qui amíctus ex tela línea conſtat, índuit Cléricus; cógitet quam persónam ſuſtíneat, nempè à sórdibus labéque puram, qualèm veſtítus ille índicat.

AD VESPERAS.

Fit Commemor. S. *Sylveſtri Papæ, Ant.* Ipſum elégit, ℣. Elégit, *ut in Communi Pontificum, pag.* xxvj. *Oratio*, Da, quæſumus. *pag.* xxxij.

Die XXXI. *Decembris.*

DE OCTAVA.

Semiduplex.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 6. & 8.

PEccátum vobis non dominábitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub grátiâ. Quid ergo? peccábimus; quóniam non ſumus ſub lege, ſed ſub grátia? abſit. Neſcítis quóniam cui exhibétis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obedítis, ſive peccáti ad mortem, ſive obeditiónis ad juſtítiam? Grátias autem Deo, quòd fuiſtis ſervi peccáti, obediſtis autem ex

corde in eam formam doctrínæ in quam tráditi eſtis. Liberáti autem à peccáto, ſervi facti eſtis juſtítiæ. * Humánum dico, propter infirmitátem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervíre immundítiæ & iniquitáti ad iniquitátem, ita nunc exhibéte membra veſtra ſervíre juſtítiæ in ſanctificatiónem. Cùm enim ſervi eſſétis peccáti, líberi fuiſtis juſtítiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erubéſcitis? Nam finis illórum mors eſt. Nunc verò liberáti à peccáto, ſervi autem facti Deo, habétis fructum veſtrum in ſanctificatiónem, finem verò vitam ætérnam. Stipéndia enim peccáti mors: grátia autem Dei, vita ætérna in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. ** Nihil ergo nunc damnatiónis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ámbulant. Lex enim ſpíritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberávit me à lege peccáti & mortis. Nam quod impoſsíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem: Deus Fílium ſuum mittens in ſimilitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne; ut juſtificátio legis impleréetur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulámus, ſed ſecundùm ſpíritum. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſápiunt: qui verò ſecundùm ſpíritum ſunt, quæ ſunt ſpíritûs, séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors eſt: prudéntia autem ſpíritûs, vita & pax. Quóniam ſapiéntia carnis inimíca eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta; nec enim poteſt.

Sermo ſancti Hilárii Epíſcopi.

Libr. 2. de Trinit.

Lectio ij.

DEi imágo inviſíbilis pudórem humáni exórdii non recusávit, & per conceptiónem & partum, vagítum & cunas, omnes natúræ noſtræ contumélias tranſcucurrit. Quid dignum à nobis tantæ dignatiónis afféctui rependétur? Inenarrábilis à Deo oríginis unus Unigénitus Deus, in corpúſculi humáni formam ſanctæ Vírginis útero inſertus accreſcit. Qui ómnia cóntinet, & intra quem & per quem cuncta ſunt, humáni partûs lege profertur: & ad cujus vocem Archángeli atque Angeli tremunt; cœlum & terra & ómnia mundi hujus reſolvuntur elementa, vagítu infántiæ audítur. Qui inviſíbilis & incomprehenſíbilis eſt, non viſu, ſenſu tactúque mode-

randus, cunis eſt obvolútus. Hæc ſi quis indigna Deo récolet, tantò ſe majóris beneficii obnóxium confitébitur, quantò minùs hæc Dei convénerint majeſtáti. Non ille éguit homo éffici, per quem homo factus eſt: ſed nos egúimus ut Deus caro fieret, & habitáret in nobis... Humílitas ejus, noſtra nobílitas eſt; contumélia ejus, honor noſter eſt: quòd ille Deus in carne conſiſtens, hoc nos vicíſsìm in Deum ex carne renováti.

De ſancto Sylveſtro.

Lectio iij.

SYlveſter Eccléſiæ Románæ Présbyter, in eo múnere tantâ cum laude ſe geſſit, ut ad ſancti Petri Sedem poſt Melchíadem fúerit evectus. Hujus tempóribus coactum eſt Arelátе Concílium, in quo damnáti fuérunt Donatiſtæ, ſtatutúmque ut uno eodémque die per mundum univerſum Paſcha peragerétur: & lítteras ad omnes ex more ipſe Sylveſter dírigeret. Sub ejus quoque Pontificátu, orbi per Conſtantínum datâ pace, inſtaurátæ ſunt Basílicæ, ſacri ritus præſcripti, váriis in locis indicta Concília. Diuturnâ tamen pace frui non lícuit: Arii enim Verbi divinitátem impugnantis erúpit nefárium dogma. Acceſsérunt de Páſchate diſſenſiónes quæ in Oriente recrudúerant. His comprimendis hábitum eſt Nicææ in Bithynia trecentórum & octódecim Epiſcopórum Concílium, ad quod Sylveſter Legátos miſit. In eo Concílio proſcripta eſt Arii impíetas, & ália multa felíciter ſancíta. Per decénnium círciter póſteà Eccléſiam gubernávit Sylveſter, obiítque circa annum Dómini trecentéſimum trigéſimum quintum.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pro Commem. S. Sylveſtri, Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas. *Orat.* Da, quæſúmus, *pag.* xxxij.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *de Reform. Cap.* 6.

ET ſi hábitus non facit mónachum, oportet tamen Cléricos veſtes próprio congruentes Ordini ſemper deferre; ut per decéntiam hábitûs extrínſeci, morum honeſtátem intrínſecam oſtendant.

VESPERÆ de Feſto ſequenti.

DIE I. JANUARII.

IN FESTO

CIRCUMCISIONIS DOMINI,

IMPOSITIONIS SS. NOMINIS JESU, ET OCTAVA NATIVITATIS EJUS.

Duplex ſecundæ Claſſis.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphonæ & Pſalmi II. Veſperarum Nativitatis, pag. 256.

Capitulum. Hebr. 2.

NUſquàm Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ apprehendit, undè débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miséricors fieret & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli.

℟. Ingrédiens mundum dicit: * Hóſtiam & oblatiónem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: ℣. Ecce vénio ut fácerem, Deus, voluntátem tuam. * Hóſtiam. Glória. * Hóſtiam. *Hebr.* 10. *Pſ.* 39.

Hymnus.

CHRISTUS, ut Matris grémium relíquit,
Prímulo fletu, Pater, inquit, adſum:
Quas petis vindex, vénio parátus
Sólvere pœnas.

NON placet fuſus cruor hoſtiárum:
Quod mihi aptaſti, Pater, ecce corpus:
Agnus implébo móriens figúras
Verus inánes.

DIXIT; & Patris venerátus iram,
Súſtinet vulnus ſílicis cruentæ:
Hunc cruor ſtillans Abrahæ probávit
Eſſe nepótem.

LEGIS ut ritus ſubiit probróſos,
Incipit noſtras reparáre clades:
Jam crucis tyro, próprio Parentem
Sánguine placat.

SIC & effúſi prétium cruóris,

Accipit Nomen Súperis verendum;
Prona quod tellus pavet; ad quod omnis
Infremit orcus.
Summa laus Patri; ſimul æqua Nato,
Qui ſuo mundum rédimit cruóre:
Par ſit ambórum, tibi laus, per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Si voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útique: ℟. Holocauſtis non delectáberis. *Pſ.* 50.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. Nolíte putáre quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, ſed adimplére. *Matth.* 5.

Oratio infrà ad Laudes.

Nulla ſit Commemoratio, neque ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria. Cetera ut in die Nativit. p. 257.

AD MATUTINUM.

Invitatór. Fílium Dei factum ſub lege, * Veníte, adorémus. *Galat.* 4.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

Jam ſatis mentes timor occupávit:
Débilis ceſſent elementa legis:
Jeſus æternum ſtabilíre cœpit
Fœdus amóre.
Sole de vero rádius, paterni
Lúminis purus ſine nube ſplendor,
Probra peccáti Puer ecce tinctus
Sánguine præfert.
Stillat excíſos Púeri per artus
Efficax noxas abolére ſanguis:
Obligat morti pretióſa totum
Stilla cruórem.
Sanguis erumpens tibi comparávit,
O Puer, Nomen quod adórat orbis;
Et ſimul dici, ſimul ipſe Jeſus
Incipis eſſe.
Summa laus Patri; ſimul æqua Nato,
Qui ſuo mundum rédimit cruóre:
Par ſit ambórum, tibi laus, per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Pſalmi de die Nativitatis.

Ant. 1. G. Deus glóriæ appáruit patri noſtro Abrahæ, & dedit illi teſtamentum circumciſiónis. *Act.* 7.

Ant. 3. a. Abraham ſignum accépit circumciſiónis ſignáculum juſtítiæ fidei, ut ſit pater circumciſiónis non iis tantùm qui ſunt ex circumciſióne; ſed

& iis qui ſectantur veſtígia fidei. *Rom.* 4.

Ant. 6. F. Unus eſt Deus, qui juſtíficat circumciſiónem ex fide, & præpútium per fidem. *Rom.* 3.

℣. Memor fuit Dóminus teſtamenti ſui, ℟. Quod diſpóſuit ad Abraham. *Pſ.* 104.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 17.

DIxit Deus ad Abraham: Hoc eſt pactum meum quod obſervábitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: circumcidétur ex vobis omne maſculínum: & circumcidétis carnem præpútii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne maſculínum in generatiónibus veſtris: tàm vernáculus, quàm emptítius circumcidétur, & quicumque non fúerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus ætérnum. Máſculus cujus præpútii caro circumcíſa non fúerit, delébitur ánima illa de pópulo ſuo; quia pactum meum írritum fecit.

℟. Lex per Móyſen data eſt, * Grátia & véritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. ℣. Legem mandávit Móyſes in præceptis juſtitiárum, & hæreditátem dómui Jacob, & Iſrael promiſſiónes. * Grátia. *Joann.* 1. *Eccli.* 24.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio ij. Cap. 2.

CIrcumcíſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricátor legis ſis, circumcíſio tua præpútium facta eſt. Si ígitur præpútium juſtítias legis cuſtódiat; nonne præpútium illíus in circumciſiónem reputábitur? & judicábit id quod ex natúra eſt præpútium, legem conſummans, te qui per lítteram & circumciſiónem prævaricátor legis es? Non enim qui in manifeſto Judæus eſt: neque quæ in manifeſto in carne, eſt circumcíſio: ſed qui in abſcóndito Judæus eſt; & circumcíſio cordis in ſpíritu, non litterâ: cujus laus non ex homínibus, ſed ex Deo eſt.

℟. Nos ſpíritu ex fide ſpem juſtítiæ expectámus. * Nam in Chriſto Jeſu neque circumcíſio áliquid valet, neque præpútium: ſed fides, quæ per caritátem operátur. ℣. Conſideráte, & quærite virum faciéntem judícium, & quæréntem fidem, & propítius ero ei, ait Dóminus. * Nam in Chriſto Jeſu. *Galat.* 5. *Jerem.* 5.

Lectio iij. Cap. 3.

QUid ergo ámplius Judæo eſt? aut quæ utílitas circumciſiónis? Multùm per omnem modum. Primùm quidem, quia crédita ſunt illis elóquia Dei. Quid enim ſi quidam illórum non crediderunt? numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? abſit. Eſt autem Deus verax; omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Ut juſtificéris in ſermónibus tuis & vincas cùm judicáris.

℟. In Chriſto Jeſu * Circumcíſi ſumus circumciſióne non manufactâ in expoliatióne córporis carnis, ſed in circumciſióne Chriſti. ℣. Non cum pátribus noſtris íniit pactum Deus, ſed nobiſcum. * Circumcíſi. Glória. * Circumcíſi. *Coloſſ.* 2. *Deut.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Quicumque ex opéribus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. *Galat.* 3.

Ant. 8. g. Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fidéli Abraham. *Galat.* 3.

Ant. 7. *d.* Omnes filii Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Galat.* 3.

℣. Semen Abraham, ſervi ejus; ℟. Filii Jacob, electi ejus. *Pſ.* 104.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 1. *in Circumciſ.* §. 2.

Lectio iv.

MAgnum & mirábile ſacramentum! Circumcíditur Puer, & vocátur Jeſus. Quid ſibi vult iſta connéxio? Circumcíſio nempe ſalvandi pótiùs, quàm Salvatóris eſſe vidétur; & Salvatórem circumcídere decet, quàm circumcídi. Sed agnoſce Mediatórem Dei & hóminum, qui ab ipſo Nativitátis ſuæ exórdio divínis humána sóciat, ima ſummis. Náſcitur ex muliére, ſed cui fœcunditátis fructus ſic accédat, ut non décidat flos Virginitátis. Pannis invólvitur, ſed panni ipſi angélicis laúdibus honorantur. Abſcónditur in præſépio, ſed próditur radiante ſtellâ de cœlo. Sic & circumcíſio veritátem ſuſceptæ probat humanitátis; & nomen quod eſt ſuper omne nomen, glóriam índicat majeſtátis.

℟. Chriſtus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; * Ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu; ut pollicitatiónem ſpíritûs accipiámus per fidem. ℣. Notam feciſti in pópulis virtûtem tuam, Dómine; redemiſti in brá-

ctio tuo pópulum tuum. * Ut in géntibus. *Galat.* 3. *Pſ.* 76.

Lectio v.

CIrcumcíditur tanquàm verus Abrahæ filius: Jeſus vocátur tanquàm verus Filius Dei. Neque enim ad inſtar priórum meus iſte Jeſus nomen vácuum aut ináne portat. Non eſt in eo magni nóminis umbra, ſed véritas. Cœlitùs síquidem índitum nomen Evangeliſta teſtátur: Quod vocátum eſt ab Angelo, priuſquàm in útero conciperétur. Et attende verbi profunditátem. Poſtquàm natus eſt Jeſus, Jeſus vocátur ab homínibus: quo nómine vocátus eſt ab Angelo, priúſquàm in útero conciperétur. Idem quippè & Angeli Salvátor & hóminis: ſed hóminis ab Incarnatióne, Angeli ab inítio creatúræ.

℟. Nos ſumus circumcíſio, qui * Spíritu ſervímus Deo, & gloriámur in Chriſto Jeſu, & non in carne fidúciam habentes. ℣. Hæc dicit Dóminus: In hoc gloriétur, qui gloriátur, ſcire & noſſe me. * Spíritu. *Philipp.* 3. *Jerem.* 9.

Lectio vj. §. 3. & 4.

SAlvátor noſter & circumcídi octávo die, & poſt annum tricéſimum dignátus eſt crucifigi; ubi in pœnam corpus omne diſtenſum eſt: cujus ſimilitúdini mortis complantámur & nos, ut ſcribit Apóſtolus; nimírùm, quod noviſſimè tráditum eſt, obſervantes. Quæ eſt ergo morális circumciſio noſtra, niſi quam commendat idem apóſtolus? victum, ínquiens, & veſtitum habentes, his contenti ſimus. Optimè prorſùs circumcídit nos, & ſupérflua réſecat univerſa, voluntária hæc paupertas, pœniténtiæ labor, reguláris obſervátio diſciplínæ.

℟. Mortificáte membra veſtra; * Expoliantes véterem hóminem cum áctibus ſuis, & induentes novum: † Dómino Chriſto ſervíte. ℣. Circumcidímini Dómino, & auférte præpútia córdium veſtrórum. * Expoliantes. Glória. † Dómino. *Coloſſ.* 3. *Jerem.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Deus exaltávit Jeſum, & donávit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. *Philipp.* 2.

Ant. 2. D. In nómine Jeſu omne genu flectátur, cœléſtium, terréſtrium & infernórum. *Philipp.* 2.

Ant. 5. a. Omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glória eſt Dei Patris. *Philipp.* 2.

℣. Lætábimur in ſalutári tuo, Dómine; ℟. Et in nómine Dei noſtri magnificábimur. *Pſ.* 19.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Poſtquàm conſummáti ſunt dies octo ut circumciderétur Puer, vocátum eſt nomen ejus Jeſus. Et réliqua.

Homília ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 1. *in Circumciſ.* §. 3.

MEritò ſanè, dum circumcíditur Puer qui natus eſt nobis, Salvátor vocátur; quòd vidélicet ex hoc jam cœperit operári ſalútem noſtram, immaculátum illum pro nobis ſánguinem fundens. Neque enim jam quærere eſt Chriſtiánis, cur volúerit Dóminus Chriſtus circumcídi: propter hoc síquidem circumcíſus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus. Nihil horum propter ſe, ſed ómnia propter electos. Nec in peccáto génitus, nec à peccáto circumcíſus, nec mórtuus eſt pro peccáto ſuo, magìs autem propter delicta noſtra.

℟. Poſtquàm conſummáti ſunt dies octo, ut circumciderétur puer,* Vocátum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocátum eſt ab Angelo, priúſquàm in útero conciperétur. ℣. Dedit ſe ut liberáret pópulum ſuum, & acquíreret ſibi nomen æternum. * Vocátum eſt. *Luc.* 2. *I. Machab.* 6.

Lectio viij. §. 3. & 4.

QUod vocátum eſt ab Angelo, priuſquàm in útero conciperétur. Vocátum eſt planè, non impóſitum; nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natúra própria habet ut ſit Salvátor: innátum eſt ei nomen hoc, non índitum ab humánâ vel angélicâ creatúrâ. Sed quid dícimus? quod egrégius ille Prophéta hunc ipſum Púerum multis nomínibus appellandum fore prædícens, hoc unum tacuiſſe vidétur, quod ſolum, ut præmónuit Angelus, & teſtátur Evangeliſta, vocátum eſt nomen ejus.

℟. Non eſt in álio áliquo ſalus: * Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri. ℣. Omnis qui invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit. * Nec. Glória. * Nec. *Act.* 4. *Joel.* 2.

Lectio ix.

EXultávit Iſaías, ut vidéret diem hunc: & vidit, & gavíſus eſt. Déniquè & loquebátur gra-

tulabundus, & laudans Deum: Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, & factus eſt principátus ſuper húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Conſiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri ſéculi, Princeps pacis. Magna quidem nómina: ſed ubi eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen, nomen Jeſu, in quo omne genu flectátur? Fortè in his ómnibus unum illud invénies, ſed expreſſum quodámmodò & effúſum. Nempè ipſum eſt de quo ſponſa in Cántico amóris: Oleum, inquit, effúſum nomen tuum. Habes unum in his appellatiónibus Jeſum; nec omnínò aut vocári poſſet aut eſſe Salvátor, ſi fortè quídpiam horum defuiſſet.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona, 1. *toni.* f.

CHriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere. *Tim.* 1.

Ant. 5. a. Omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. *Act.* 10.

Ant. 3. a. Nomen ejus, Admirábilis, Conſiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri ſéculi, Princeps pacis. *Iſ.* 9.

Ant. 8. c. Qui ambulávit.

Canticum. Iſaï. 12.

ECce Deus ſalvátor meus: * fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus: * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris: & dicétis in die illa; * Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte, quóniam excelſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit: * annuntiáte hoc in univerſa terra.

Exulta & lauda, habitátio Sion: * quia magnus in médio tuî Sanctus Iſrael.

Ant. Qui ambulávit in ténebris, & non eſt lumen ei, ſperet in nómine Dómini, & innitátur ſuper Deum ſuum. *Iſ.* 50.

Ant. 7. a. Non derelinquet Dóminus pópulum ſuum, propter nomen ſuum magnum. *I. Reg.* 12.

Capitulum. Coloſſ. 3.

OMne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agentes Deo & Patri per ipſum.

Hymnus.

FElix dies quam próprio
Jeſus cruóre cónſecrat!
Felix dies quâ géſtiit
Opus ſalútis ággredi!

Vix natus, ecce láčteum
Profundit infans ſánguinem:
Libámen eſt hoc fúneris,
Amóris hoc prælúdium.

Ingressus orbem, jam Patris
Mandáta promptus éxequi,
Statum præóccupat diem,
Et, quà poteſt, fit víčtima.

Amore ſe facit reum,
Pœnáſque ſolvit ínnocens.
Sub lege factus Légifer,
A lege nos ut éximat.

Quo Chriſtus ičtu læditur,
Lex abrogáta cóncidit;
Et ſubrogátur ſánčtior
Mansúra ſemper cáritas.

Tu, Chriſte, quod non eſt tuum,
Noſtro recíde péčtore:
Inſcríbe nomen, íntimis
Inſcríbe legem córdibus.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna sécula.
Amen.

℣. Ipſe rédimet Iſraël.
℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Pſ.* 129.

Ad Bened. *Ant.* 5. C. Credátis quia Jeſus eſt Chriſtus Fílius Dei, ut credentes vitam habeátis in nómine ejus. *Joann.* 20.

Oratio.

DEus, qui pro nobis homo factus, hodiernâ die circumcídi, & Nomen Jeſu accípere voluiſti; concéde propítius, ut carnis renuntiantes opéribus, ſalútis ætérnæ præmium per invocatiónem ſančti tui Nóminis conſequámur; Qui vivis.

AD HORAS.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Chriſtus Jeſus.

In ℟. *br.* Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

CANON.

Ex Concílio Florentíno. *Ann.* 1439. *in Decreto Eugenii Papæ quarti.*

NE in celebritátibus diſpar ſit Chriſtianórum ritus, unde perturbandæ caritátis occáſio poſſit oríri, decérnimus tanquàm veritáti & ratióni conſentáneum, & juxta totíus réliqui orbis obſervántiam, ut Feſta Nativitátis ſecundùm carnem Salvatóris noſtri vicéſimâ quintâ Decembris, Circumciſiónis ejuſdem primâ Januárii, Epiphaníæ ſexto ejuſdem Januárii, Præſentatiónis Dómini in templo ſecundâ Februárii, débeant ſolémniter celebrári.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Omnes Prophétæ.

Capitulum. Epheſ. 1.

GRatificávit nos Deus in dilécto Fílio ſuo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecundùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis.

℟. *br.* A ſolis ortu uſque ad occáſum : * Allelúia, allelúia. ℣. Laudábile nomen Dómini. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. A ſolis ortu. *Pſ.* 112.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Confitébimur & invocábimus nomen tuum. *Pſ.* 74.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Nomen ejus.

Capitulum. II. Tim. 2.

COgnóvit Dóminus qui ſunt ejus..... Diſcédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. *br.* Afferte Dómino glóriam & honórem. * Allelúia, allelúia. ℣. Afferte Dómino glóriam nómini ejus. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Afferte. *Pſ.* 28.

℣. Confiteámur nómini ſancto tuo, ℟. Et gloriémur in laude tua. *Pſ.* 105.

AD NONAM.

Ant. 7. a. Non derclinquet.

Pars Hyemalis.

Capitulum. Tob. 3.

BEnedíctum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrórum : qui, cùm irátus fúeris, miſericórdiam fácies; & in témpore tribulatiónis peccáta dimittis his qui ínvocant te.

℟. *br.* Sperent in te, Dómine, qui novérunt nomen tuum: * Allelúia, allelúia. ℣. Quóniam non dereliquiſti quæréntes te, Dómine. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Sperent. *Pſ* 9.

℣. Propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris, propter nomen tuum. *Pſ.* 78.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi de II. Veſperis Nativ. p. 256.

Capitulum. I. Joann. 5.

VItam ætérnam dedit nobis Deus : & hæc vita in Fílio ejus eſt.

Hymn. Chriſtus, *p.* 295.

℣. Protéctor noſter, áſpice, Deus; ℟. Et réſpice in fáciem Chriſti tui. *Pſ.* 83.

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Advocátum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum : & ipſe eſt propitiátio pro peccátis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed étiam pro totíus mundi. *I. Joann.* 2.

Oratio, Deus, qui pro nobis, *ſuprà ad Laudes.*

[*Si ſit Sabbatum, fit Commem. Dominicæ inter Circumciſionem & Epiphaniam per Ant.* Ecce, *pag.* 309. ℣. Vidérunt, *infrà; Oratio*, Deus, qui in Unigénito, *pag.* 312].

Commemor. S. Baſilii, Epiſc. & Doct. Ant. Sápiens. ℣. Beátus. *p.* xxxv. *Orat.* Excita, *pag.* xlj.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in pag. 257.

SABBATIS
A Circumciſione ad Præſentationem.

(*Niſi priùs occurr. Septuag.*)

AD VESPERAS.

Ant. & Pſſ. de Pſalt. niſi aliter notetur.

Capitulum. Iſ. 48.

IN voce exultatiónis annuntiáte: audítum fácite hoc, & efferte illud ad extréma terræ: Redémit Dóminus ſervum ſuum Jacob.

Hymnus.

VERBUM, quod ante sécula
Sinu paterno náſceris,
Recèns homo ſub témpore
E Vírginis prodis ſinu.

FATALE rumpis vínculum
Quo nos Adámus néxuit:
Reddes quod ille pérdidit;
Spes illa tecum náſcitur.

JAM dura diſcis pérpeti
Quæ ferre par ſontes fuit:
Orbis salúti flétibus
Prælúdis in cunis Puer.

FIS pauper, indigéntiâ
Et nos tuâ ditéſcimus:
Luges, tuis & lácrymis
Totum lavas mundi ſcelus.

PANNIS opertus vílibus,
Lates recumbens in ſpecu:
Homo ſuperbis! & Deum
Panni, ſpecus non dédecent.

A PATRE miſſus, pérditi
Qui factus es mundi ſalus,
Jeſu, períre ne ſinas,
Tot quos emis labóribus.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna sécula.
Amen.

℣. Vidérunt omnes términi terræ. ℟. Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97.

Ad Magníf. *Ant. & Orat. ut infrà in quolibet Sabb.*

Poſt Commem. de Sanctis occurr. fit Commem. Virg. Deip. per Antiph. Beátus. ℣. Benedixiſti. *p.* 308. & *Orat.* Beáta, *p.* 306.

AD COMPLET. Pſſ. & Ant. de Sabb. Reliqua ut in Dominicis.

DOMINICIS
A Circumciſione ad Præſentationem.

(*Niſi priùs occurr. Septuag.*)

AD MATUTINUM.

Invit Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

JAM nata lux eſt & ſalus, Fugáta

Fugáta nox & victa mors :
Veníte, gentes ; crédite :
Deum María prótulit.

Castæ parentis in ſinu
Inclúſus ardébat pati :
Æternus ut diſcat mori
Mortále corpus índuit.

Vix natus imbellis puer
Acúta ſentit frígora ;
En vile pro molli thoro
Fœnum jacenti súfficit.

Amore ſe facit reum :
Fert ſpontè pœnas innocens ;
Nec éximit ſe légibus,
Sub lege factus Légifer.

Qui primus exciſâ cruor
E parte ſtillat córporis,
Membris micans ex ómnibus,
Torrentis inſtar, próruet.

Qui mucro lactentes necat,
Idem tuum pectus fodit ;
Et quo cadébant párvuli,
Hoc tu cadébas vúlnere.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Pſalmi de Dominica, ut in toto Officio.

Ant. 1. G. Parvulus natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis. *Iſaï.* 9.

℣. Animas páuperum ſalvas fáciet, ℟. Et honorábile nomen eórum coram illo. *Pſ.* 71.

Lectiones & ℟℟℟. ut infrà, in qualibet Dominica ; & ſic in II. & III. Nocturno.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Verè tu es Deus abſcónditus : Deus Iſrael Salvátor. *Iſaï.* 45.

℣. Tu pópulum húmilem ſalvum fácies, ℟. Et óculos ſuperbórum humiliábis. *Pſ.* 17.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Díſcite à me, quia mitis ſum & húmilis corde. *Matth.* 11.

℣. Quis ſápiens & cuſtódiet hæc ? ℟. Et intélliget miſericórdias Dómini ? *Pſ.* 106.

AD LAUDES.

Antiphona, 3. *toni.* *a.*

PAſtóres venérunt, & invenérunt Maríam & Joſeph, & Infantem póſitum in præsépio. *Luc.* 2.

Ant. 8. g. Videntes cognovérunt de verbo quod dictum erat illis de Púero hoc. *Luc.* 2.

Ant. 2. D. Omnes qui audiérunt, miráti ſunt ; & de his quæ dicta erant à paſtóribus ad ipſos. *Luc.* 2.

Super Canticum Ecce Deus, *de die Circumciſionis, pag.* 301.

Ant. 1. a. Erat pater Jeſu & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. *Luc.* 2.

Ant. 5. a. Puer creſcé-

bat, & confortabátur, plenus ſapiéntiâ: & grátia Dei erat in illo. *Luc. 2.*

Capitulum. Judic. 13.

Erit puer Nazaræus Dei ab infántia ſua, ex útero matris ſuæ uſque ad diem mortis ſuæ.

Hymnus.

O Ter beáta Názareth,
Quæ Núminis ſis hóſpita:
Tuíſque ſub mapáliis
Celas Tonantis Filium.

Infante de Deo refer
Secréta quanta nóveris:
Huc, cœca gens mortálium,
Tantis ſtupe miráculis.

Satus Deo volens tegi,
Elégit obſcúrum patrem:
Qui fecit æternas domos,
Domo latet ſub paúpere.

Cœlum manus quæ ſúſtinent,
Fabríle contrectant opus:
Cui pronus orbis ſúbditur,
Se ſpontè fabro ſúbjicit.

Superbientes déprimit
Noſtri tumóres péctoris,
Infantiúmque nos docet
Paráre cœlos índole.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Speciósus formâ præ filiis hóminum: ℟. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. *Pſ. 44.*

Ad Benedict. *Ant. & Orat. infrà in qualibet Dominica.*

Deindè, poſt Commemorationes de Sanctis occurrentibus, A Die II. Januarii uſque ad Præſentationem Domini, fit Commem. de Virgine Deipara, per Ant. ℣. & Orat. ut ſequitur.

[Hæc autem Commemoratio quotidiè fit à die II. Januarii ad Præſentationem (etiam ſi Septuageſima intervenerit) exceptis Feſto & Octavâ integrâ Epiphan. aliiſve Octavis Patron. ſi occurrerint, necnon Feſtis Duplicib. III. Claſſis & ſuprà, & Sabbatis in quibus fit Officium de Beata.]

Ant. Péperit María Fílium ſuum primogénitum, & pannis eum involvit, & reclinávit eum in præſépio. *Luc. 2.*

℣. Homo natus eſt in ea; ℟. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. *Pſ. 86.*

Oratio.

Beáta témpora celebrantes, quæ per temporálem Unigéniti tui Nativitátem & partum Maríæ Vírginis conſecraſti: quæſumus, Dómine, ut ejuſdem Dei genitrícis interceſſióne, & in illo renaſci, & tanti myſtérii fructum júgiter in nobis conſerváre mereámur: Per eumdem.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Qui natus es, &c. *ut ſuprà, pag.* 306.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Paſtóres venérunt. *Dicitur Symbolum* Quicumque, *& in* ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

CANON legitur ſecundùm diem menſis.

AD TERTIAM.

Ant. 8. g. Videntes.

Capitulum. I. Joann. 4.

Omnis ſpíritus, qui confitétur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.

℟. *br.* Ecce cognóvi, * Quóniam Deus meus es. ℣. In Deo laudábo verbum: * Quóniam. Glória. ℟. Ecce. *Pſ.* 55.

℣. Tu es ipſe Rex meus & Deus meus, ℟. Qui mandas ſalútes Jacob. *Pſ.* 43.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Omnes.

Capitulum. I. Joann. 5.

Scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum, & ſimus in vero Fílio ejus.

℟. *br.* Hic eſt Deus, * Deus noſter in ætérnum: ℣. Ipſe reget nos: * Deus. Glória. ℟. Hic eſt. *Pſ.* 47.

℣. Ipſe Deus meus, ℟. Et Salutáris meus. *Pſ.* 61.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Puer.

Capitulum. I. Joann. 5.

Deus teſtificátus eſt de Fílio ſuo. Qui credit in Fílium Dei, habet teſtimónium Dei in ſe.

℟. *br.* Cantáte Dómino, * Et benedícite nómini ejus: ℣. Annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus: * Et. Glória. ℟. Cantáte Dómino. *Pſ.* 95.

℣. Exultábit cor meum in ſalutári tuo; ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Pſ.* 12.

AD VESPERAS.

Antiphona, 5. *toni* C.

Venit Fílius hóminis quærere & ſalvum fácere quod períerat. *Luc.* 19.

Ant. 2. D. In própria venit, & ſui eum non recepérunt. *Joann.* 1.

Ant. 1. a. Quotquot recepérunt eum, dedit eis poteſtátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine ejus. *Joann.* 1.

Ant. 7. d. Non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Narrábo nomen tuum frátribus meis. *Hebr.* 2.

Ant. 8. c. Partícipes Chriſti effecti ſumus: ſi tamen inítium ſubſtántiæ ejus uſque ad finem firmum retineámus. *Hebr.* 3.

Capitulum. Act. 10.

Verbum miſit Deus fíliis Iſrael, annúntians pacem per Jeſum Chriſtum: hic eſt ómnium Dóminus.

Hymnus.

INFANS Deus, qui gaúdia
Pacis perennis núntias:
Te quanta monſtrat óptimum
Mundo parentem cáritas!

MANENS Deus, ſis párvulus,
Nobis ut anguſtam tegas
Cœli viam quâ prævium
Te ſubſequámur párvuli.

OBTUSA ſacris vátibus,
Judæa gens te réſpuit:
Nobis at alma náſceris,
Orbi docendo, Véritas.

FIANT ab auro dívites,
Quos ſtultus error décipit:
Doctóre te ſit dítior,
Qui vana mundi déſpicit.

QUID nos ináni décipit
Fulgóre pompa dívitum?
Dum ſponte, Jeſu, ſis inops
Opes quis amens æſtimet?

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Tu es, Deus Salvátor meus; ℟. Et te ſuſtínui totâ die. *Pſ.* 24.

Ad Magníf. *Antiph. & Orat. infrà in qualibet Dominica.*

Deindè, poſt Commemorationem occurrentem, fit Commem. de Virgine Deipara, ut dictum eſt in Laudibus, per Ant. ℣. *& Orat. ſequentes.*

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxiſti. *Luc.* 11.

℣. Benedixiſti, Dómine, terram tuam: ℟. Avertiſti captivitátem Jacob. *Pſ.* 84.

Orat. Beáta témpora, *ut ſuprà, pag.* 306.

AD COMPLET. ut in Pſalt.

IN FERIIS
A Circumciſione ad Præſentationem.

(*Niſi priùs occurr. Septuag.*)

AD NOCTURNUM.

Invitat. & Hymn. ut ſuprà in Dominicis, p. 304.

Pſalmi, Antiph. & ℣. *de Pſalt.*

Lectiones de Script. occurr. ℟℟. *ſumuntur alternatìm de I. & II. Nocturno Dominicæ occurrentis.*

Non dicitur, Te Deum.

AD LAUDES.

Pſſ. & Ant. de Pſalt. cum Cantico Ecce Deus, *pag.* 301.

Capitul. Hymn. & ℣. *ut ſuprà in Dominicis, p.* 306.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Mediátor Dei & hóminum, homo Chriſtus Jeſus, dedit ſemetipſum redemptiónem pro ómnibus. *I. Timoth.* 2.

Orat. Dominicæ præced.

Commemor. de Virgine Deip. ut ſuprà, pag. 306.

AD HORAS.

Pſalm. & Ant. de Pſalt.

Capitul. ℟℟. *brev. &* ℣. *ut ſuprà in Dominicis, pag.* 307. *cum Orat. Dominicæ præcedentis.*

CANON in qualibet Feria.

AD VESPERAS.

Pſal. & Ant. de Pſalt. Capitul. Hymn. & ℣. ut ſupra, in Dominicis, p. 307.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Omnis qui credit quóniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. *I. Joann.* 5.

Oratio Dominicæ præced.

Commem. de Virg. Deip. ut ſuprà, pag. 308.

AD COMPLET. ut in Pſalt.

¶ *Poſt Præſentat. vel etiam ante Præſentation. ſi priùs occurrerit Septuageſima; omnia, tàm in Dominicis, quàm in Feriis, ut in Pſalterio.*

DOMINICA

Inter Circumciſionem & Epiphaniam.

(Si quæ occurrerit).

[*Si hæc Dominica inciderit in diem* 2. *vel* 4 *Januarii, fiet Officium de ea cum Commemoration. SS. occurrentium.*

Quòd ſi inciderit in diem 3. *fiet de Inventione & Elevatione S. Quintini cum Commemor. Dominicæ in utriſque Veſperis & Laud. & pro ultima Lectione legetur Evangelium cum Homilia ejuſdem.*

Si verò venerit die 5. *in Vigilia Epiphaniæ Officium fiet ut eo die notatur, infrà.*

Si nulla occurrat Dominica, omittetur hoc anno Officium illius Dominicæ].

PRIDIE AD VESPERAS.

Ant. & Pſalmi de Pſalt. Capitul. Hymn. ℣. ut ſuprà, in Sabbatis à Circumciſione, &c. pag. 304.

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Ecce Dóminus aſcendet ſuper nubem levem, & ingrediétur Ægyptum, & commovebuntur ſimulácra Ægypti à fácie ejus. *Iſ.* 19.

Oratio infrà, ad Laudes.

Poſt Commem. de SS. occurrentibus, ſit Commem. de Virg. Deip. ut ſuprà, pag. 306.

AD COMPLET. ut in Pſalt.

AD MATUTINUM.

Totum Officium, ut ſuprà, in Dominicis à Circumciſione ad Præſentationem, pag. 304. *exceptis quæ ſequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura ſumentur ex ea die, in quam dies Dominica inciderit diviſione factâ ad ** aſteriſcos.*

℟. *j.* Chriſtus, cùm in forma, Dei eſſet, * Semetipſum exinanívit, formam ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. ℣. Ergone credíbile eſt ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? * Semetipſum. *Philipp.* 2. *II. Paral.* 6.

℟. *ij.* In mundo erat, &

mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognóvit: * In própria venit; & ſui eum non recepérunt. ℣. Dóminus locútus eſt: Cognóvit bos poſſeſſórem ſuum; Iſrael autem me non cognóvit.* In própria. *Joann.* 1. *Iſaï.* 1.

℟. iij. Vulpes fóveas habent, & vólucres cœli nidos: * Fílius hóminis non habet ubi caput reclínet. ℣. Vídeant paúperes, & lætentur. * Fílius. Glória. * Fílius. *Matth.* 8. *Pſ.* 68.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. in Luc. 2.

Lectio iv.

BRéviter ſanctus Lucas, & quómodò, & quo témpore, & quo loco ſecundùm carnem Chriſtus natus ſit, explicávit. At verò de cœleſti generatióne ſi quæris, lege Evangélium ſancti Joannis qui à cœléſtibus exorſus, ad terréna deſcendit. Illîc invénies & quandò erat, & quómodò erat, & quid erat; quid égerat, quid agébat, & ubi erat: & quò vénerit, & quómodò vénerit, quo témpore vénerit, quâ causâ vénerit.

℟. iv. Scitis grátiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti, quóniam propter vos * Egénus factus eſt, cùm eſſet dives; ut illíus inópiâ dívites eſsétis. ℣. Exulta, fília Sion; júbila, fília Jerúſalem: ecce Salvátor, ipſe pauper. * Egénus. *II. Cor.* 8. *Zach.* 9.

Lectio v.

IN princípio, inquit, erat Verbum; habes quandò erat. Et Verbum erat apud Deum; habes quómodò erat. Habes étiam quid erat: Et Deus erat Verbum; quid égerat: Omnia per ipſum facta ſunt; quid agébat: Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum; & ubi erat: In hoc mundo erat; quò vénerit: In ſua própria venit; quómodò vénerit: Verbum caro factum eſt; quo témpore vénerit: Joannes teſtimónium pérhibet de ipſo dicens: Hic eſt de quo dixi: Qui poſt me venit, ante me factus eſt; quia prior me erat; quâ causâ vénerit: Joannes ipſe teſtátur: Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccáta mundi.

℟. v. Cùm eſſet Fílius Dei, * Dídicit, ex iis quæ paſſus eſt, obediéntiam; factus ómnibus obtemperántibus ſibi cauſa ſalútis ætérnæ. ℣. Oblátus eſt, quia ipſe vóluit; & volun-

tas Dómini in manu ejus dirigétur.* Dídicit. *Hebr.* 5. *Iſaï.* 53.

Lectio vj. §. 41.

ILle ígitur párvulus, ille infántulus fuit; ut tu vir poſſis eſſe perfectus. Ille involútus in pannis; ut tu mortis láqueis ſis abſolútus. Ille in præſépibus; ut tu in altáribus. Ille in terris; ut tu in cœlis. Ille álium locum in eo diverſório non habébat; ut tu plures habéres in cœléſtibus sédibus manſiónes. Qui cùm dives, inquit, eſſet, propter vos pauper factus eſt, ut illíus inópiâ vos ditarémini. Meum ergo paupertas illa patrimónium eſt: & infírmitas Dómini mea eſt virtus. Máluit ſibi egére, ut ómnibus abundárem. Me illíus infántiæ vagientis ábluunt fletus: meæ lácrymæ illæ delícta lavérunt. Plus ígitur, Dómine Jeſu, injúriis tuis débeo quòd redemptus ſum; quàm opéribus quòd creátus ſum. Non prodeſſet naſci, niſi rédimi profuiſſet.

℟. *vj.* Débuit per ómnia frátribus ſimilári, * Ut miséricors fieret. † In eo enim in quo eſt tentátus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliári. ℣. Vídimus eum ſciéntem infirmitátem. * Ut miséricors. Glória. † In eo. *Hebr.* 2. *Iſaï.* 53.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. c. 2.

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph: Surge, & áccipe Púerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futúrum eſt enim ut Heródes quærat Púerum ad perdendum eum. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chryſólogi. *Serm.* 150.

BEllicóſus quòd in bello fugit, artis eſt, non timóris: Deus quandò fugit hóminem, ſacramenti eſt, non pavóris. Potens quandò ſe ſubdúcit infirmo, inſequentem non pavet, ſed foris prodúcit: vult enim in aperto víncere, qui públicam referre cupit ex hoſte victóriam. Occultum ſe non pátitur iníre conflictum, qui mandáre ſuum ſéculis vult triumphum. Secréta victória, virtúſque latens, exemplum póſteris non relinquunt.

℟. *vij.* Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & áccipe Púerum & Matrem ejus, & * Fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. ℣. Noli timére, deſcende in Ægyptum; ego deſcendam tecum illuc, &

ego inde addúcam te revertentem. * Fuge. *Matth.* 2. *Geneſ.* 46.

Lectio viij.

HInc eſt quòd Chriſtus fugit, ut cedat témpori, non Heródi : neque enim mortem fugit, qui vénerat de hoſte reportáre victóriam : neque humánas insídias expaveſcit, qui totas vénerat diabólicæ fraudis aperíre versútias : neque tunc tímuit, quandò infans, & ſecundùm hóminem timére neſcívit, & ſecundùm Deum non pótuit timére.

℟. viij. Consíderat peccâtor juſtum ; & quærit mortificáre eum : * Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus. ℣. Futúrum eſt ut Heródes quærat Púerum ad perdendum eum. * Dóminus. Glória. * Dóminus. *Pſ.* 36. *Matth.* 2.

Lectio ix. Serm. 151.

ALia eſt cauſa quòd fugit Chriſtus ; quòd infans tempus ſuæ díſtulit paſſiónis ; quòd crucem ſupra tricéſimum annum vitæ corporális aſcendit : ut qui ad vitam perfectum hóminem fécerat, perfectam reparáret in vitam ; & qualem terris déderat, talem rédderet cœlo. Et quòd ad Ægyptum fugit, áliam procédit ad cauſam. Fugit ad Ægyptum, ut perfídiam Judæórum per fidem Géntium caſtigáret : nam Dóminum ſuum quem Judæa fugáverat, Ægyptus obſequenter accépit : ut Eccléſiam Synagógæ, Judæis Gentes anteponendas in fide, ſuam pánderet per fugam.

Te Deum. *pag.* 9.

A D L A U D E S.

Ant. Capit. Hymn. ℣. *ut ſuprà, pag.* 305 & 306.

Ad Bened. *Ant.* 5. C. Cognoſcétur Dóminus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptii Dóminum in die illa. *Iſaï.* 19.

Oratio.

DEus, qui in Unigénito tuo novam creatúram nos tibi eſſe feciſti ; cuſtódi ópera miſericórdiæ tuæ, & ab ómnibus nos máculis vetuſtátis emunda ; ut per auxílium grátiæ tuæ, in illíus inveniámur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtántia ; Qui tecum.

Poſt Commem. occurrentes, fit Commem. de V. Deip. ut ſuprà, pag. 306.

Ad Horas, omnia ut in Dominicis à Circumciſione, &c. ſuprà, p. 307.

Canon, ut infrà ſecundùm diem Menſis.

A D V E S P E R A S.

Ant. Capit. Hymn. ℣. *ut ſuprà, pag.* 307 & 308.

Ad Magnif. *Ant.* 1. J. Erat Joſeph in Ægypto uſque ad óbitum Heródis, ut

adimplerétur

adimpleretur quod dictum eſt à Dómino per Prophétam dicentem : Ex Ægypto vocávi Fílium meum. *Matth.* 2.

Oratio ſuprà ad Laudes. Poſt Commem. occurrentes, fit Commem. de Virg. Deip. ut ſuprà, pag. 308.

DIE II. JANUARII.

In Feſto
S. BASILII MAGNI,
Cæſarienſis Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Doctorum, pag. xxxiv. *exceptis quæ ſequuntur.*

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

QUi in carne ſunt, Deo placére non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpíritu : ſi tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Chriſti non habet; hic non eſt ejus. Si autem Chriſtus in vobis eſt; corpus quidem mórtuum eſt propter peccátum, ſpíritus verò vivit propter juſtificatiónem. Quòd ſi Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitat in vobis; qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis. * Ergo, fratres, debitóres ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivámus : ſi enim ſecundùm carnem vixéritis, moriémini; ſi autem ſpíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis ſpíritum ſervitútis íterùm in timóre; ſed accepiſtis ſpíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba, pater. Ipſe enim Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei : ſi autem filii, & hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Chriſti : ſi tamen compátimur, ut & conglorificémur. ** Exíſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat. Vanitáti enim creatúra ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjécit eam in ſpe : quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

Lectio ij.

BAſílius, Cæſaréæ in Cappadócia natus, propter doctrínæ & morum

excelléntiam cognomento Magnus, cùm Cæſaréæ & Byzántii lítteris óperam dediſſet, Athénas venit; ubi cum Gregório Theólogo ſanctæ amicítiæ fœdus iniit. Reverſus in pátriam, cùm ſanctæ Macrínæ Vírginis ſoróris ſuæ consílio renuntiáre mundo ſtatuiſſet; in Ægyptum, Palæſtínam, Cœleſyriam & Meſopotámiam iter fecit, ſolitários invisúrus. Deindè in erémum Ponti ſeceſſit; ubi, cóndito monaſtério, & collocátis juxta anachorétas cœnobítis, monáſticas régulas conſtítuit. Tùm ab Euſébio Cæſaréæ in Cappadócia Epíſcopo Présbyter, licèt invítus, conſecrátur. Ob cujus póſteà malévolum in ſe ánimum, íterùm in Ponti ſolitúdinem ſe recépit: unde Cæſaréam revocátus eſt aliquantò pòſt, ut eumdem Euſébium in perſecutióne Valentis imperatóris Ariáni laborantem, in Eccléſiæ adminiſtratióne adjuváret. In ſumma annónæ caritáte, paúperes Cæſaréæ in unum coáctos ſuſtentávit; ſuis étiam mánibus cibos miniſtrans quos verbi divíni pábulo condiébat. Euſébio inter manus ejus defuncto, annitente Gregório, Gregórii Nazianzéni patre, ſubrogátus eſt, & quartâ décimâ die Júnii ordinátus. Valente íterùm in cathólicos ſæviente, Modeſtum ejus Præfectum extréma ſibi minitantem, tantâ libertáte repreſſit, ut pertérritus ille díxerit: Nemo me ad hunc uſque diem ita allocútus eſt. Cui Basílius: Neque enim forsàn in Epíſcopum incidiſti. Admirátus tantam ánimi fortitúdinem Modeſtus, Valentem adit: Imperátor, inquit, ab hujus Eccléſiæ Antíſtite victi ſumus: minis ſupérior eſt, ſermónibus firmior, & verbórum blandítiis fórtior.

Lectio iij.

Cum ígitur Valens, inſtántibus Ariánis, Basílium relegáre ſtatuiſſet, & jam exílii decréto eſſet ſubſcriptúrus, manum ejus Deus mirabíliter inhíbuit. Modeſtum, ingraveſcente morbo, ut ſibi ignóſceret deprecantem, ſanitáti reſtítuit. Eccléſiæ Orientális ab Ariánis vexátæ, & Antiochéno diſsídio ſciſſæ, calamitátibus permótus, egit apud ſanctum Athanáſium, & álios Orientis Epíſcopos, ut auxílium ipſi ab Occidentálibus Epíſcopis poſtulárent. Mónachis leges ſanctíſſimas totíque Eccléſiæ probátas póſuit. Cœnóbia Virgínibus Deo ſacris

erexit; & paupéribus excipiendis alendíſque ampliſſimam extra civitátem domum conſtruxit. Nihil propter labóres contínuos de vitæ aſperitáte remíſit. Stratus erat humi léctulus: aſſíduæ vigíliæ; panis & ſal pro obsónio, & aqua pro potu. Ex qua vivendi ratióne graves morbos contraxit; quibus confectus óbiit primâ die Januárii has inter voces: In manus tuas commendo ſpíritum meum. Illi paulò poſt óbitum, conſecrátum fuiſſe Feſtum diem refert ejus frater ſanctus Gregórius Nyſſénus.

Ad Laudes, *Oratio* Excita. *pag.* xlj. *Commem. de Virgine Deipar. pag.* 308.

CANON.

Ex Concílio Lateranenſi ſecundo.

An. 1139. *Can.* 4.

PRæcípimus quód Clérici in ſtatu mentis, in hábitu córporis, Deo & homínibus placére ſtúdeant; & nec in ſuperfluitáte, ſciſsúrâ aut colóre véſtium, nec in tonsúra, intuéntium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum: ſed pótiùs quæ eos déceat, ſanctitátem præ ſe ferant.

Vesperæ de ſequenti. Commemoratio S. Baſilii.

Die III. Januarii.

In Feſto Inventionis & Elevationis S. QUINTINI, Martyris.

Duplex III. Claſſis.

[*Sanquintini Dupl. I. Cl*].

Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ ſequuntur. Pſalmi de Feria in toto Officio.

Oratio infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

SCimus quòd omnis creatúra ingemiſcit & párturit uſque adhuc: non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias Spíritûs habentes, & ipſi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei expectantes; redemptiónem córporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ vidétur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non vidémus, ſperámus, per patiéntiam expectámus. Similiter autem & Spíritus ádjuvat infirmitátem noſtram. Nam quid orémus, ſicut oportet, neſcímus: ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem ſcrutátur corda, ſcit quid desíderet Spí-

ritus; quia ſecundùm Deum póſtulat pro ſanctis.

Lectio ij.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propóſitum vocáti ſunt ſancti. Nam quos præſcívit, & prædeſtinávit conformes fieri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædeſtinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & juſtificávit: quos autem juſtificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepercit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui juſtíficat: quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mórtuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad déxteram Dei; qui étiam interpellat pro nobis.

Lectio iij.

QUis ergo nos ſeparábit à caritáte Chriſti? tribulátio? an angúſtia? an fames? an núditas? an perículum? an perſecútio? an gládius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die; æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus propter eum qui diléxit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque inſtántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à caritáte Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

IN II. NOCTURNO.

Ex beáto Audoéno in vita ſancti Elígii.

Lectio iv.

TEmpore quo beátus Elígius Eccléſiæ Paſtor eſt datus, ab eo nonnulla córpora inventa pópulis ſunt declaráta; ex quibus primum ac ſummum Dei Mártyrem Quintínum, inítio ſui Epiſcopátûs grandi inſtántiâ quæſítum, palàm in públicum promóvit. Cùm enim locum illum frequentáret, haud procul ab urbe Viromandenſi, ubi quondàm Martyr ex flúvio elevátus ab Euſébia in monte fuerat tumulátus, cœpit tandem ſagáci inquiſitióne per pavimentum hùc illúcque tentáre, sícubì ſacrátum túmulum poſſet deprehéndere. Cúmque nullátenùs indícium túmuli reperíret, triduánum indixit jejúnium; atque enixiùs Chriſti

divinitátem cum lácrymis exórans, vovit non ſe priùs quíppiam alimóniæ acceptúrum, quàm mererétur deſiderátum votum percípere.

Lectio v.

CŒpto inſiſtens óperi, cùm adjutóres ejus per diverſa Ecclésiæ tentando diſcúrrerent loca, núllaque inveniendi cáperent indícia, unum eis locum quo nulla eſſe ſuſpício póterat, in poſterióri Ecclésiæ parte effodiendum deſignat. Tunc ómnium labóre ibi converſo, effoſsâque in altum pedes decem terrâ, ab ſpe íterùm inveniendi córporis deſtituuntur. Cùm tértia jam nox média fluxiſſet, arrepto Elígius sárculo rejectóque amphíbalo, cœpit víribus totis cum céreis & lampádibus terram ſanctis effódere mánibus; cùmque paúlulùm ima foſſæ declínans in latus cavernæ humum cœpiſſet effódere, mox réperit tumbum ſanè vetérrimum tegentem corpus ſacrátum. Confeſtìm foráto túmulo, tanta odóris fragrántia cum immenſo lúmine ex eo emanávit, ut étiam ipſe ſanctus Elígius ferre vix poſſet.

Lectio vj.

SAcrum corpus inventum Elígius cum gaúdio lacrymábili deoſculátur, ac de profunda tellúre élevat, relíquias inde ſibi ſégregat. Dentes è maxilla languéntium medélam auſert, túmque ex dentis radíce gutta sánguinis exívit. Clavos prægrandes è cérebro ceteríſque ártubus avulſos, & capillos ejuſdem velut ſacras relíquias ſibi ſervávit. Deindè pállio holosérico obvolútum corpus ponè altáre cóndidit, tumulúmque ex auro argentóque & gemmis miro ópere déſuper fabricávit. [Anno autem milléſimo ducentéſimo vigéſimo octávo, poſtrídie Apoſtolórum Philippi & Jacóbi, corpus ſancti Mártyris è loco ubi illud beátus Elígius poſúerat, elevátum eſt, & in conſpícua parte Chori, unà cum corpóribus Sanctórum Victoríci Mártyris, & Caſſiáni Æduenſis Epíſcopi collocátum eſt. Sed & anno milléſimo ducentéſimo quinquagéſimo ſéptimo ſacræ Relíquiæ, coram Sancto Ludovíco & Regni procéribus, de véteri in novam tranſlátæ Basílicam, ſupra majus Altáre honorificentíſſimè póſitæ ſunt, ibíque aſsíduo populórum concurſu & veneratióne frequentantur].

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Acceſſérunt quidam Sadducæórum qui negant eſſe reſurrectiónem. Et réliqua.

Homília ſancti Joannis Chrysóſtomi.

26. in 2. ad Corinth.

QUid de ipſo Chriſto loquor; cùm ſuis quoque diſcípulis largítus ſit, ut poſt mortem célebres eſſent & clari? Ubi eſt, quæſo, Alexandri ſepulcrum? Servórum autem Chriſti ſepulcra ſpléndida ſunt, & dies quibus mórtui ſunt, máximi feſti habentur, atque ab ómnibus religióſè celebrantur. Quin ſepulcra ſervórum crucifixi régiis aulis ſunt ſplendidióra, non amplitúdine ſolùm & ſplendóre ædificiórum, nam étiam in hoc súperant: ſed quod majus eſt, accedéntium ſtúdio. Nam & is qui púrpurâ indútus eſt, ad illa ſepulcra ſe confert, ut ea ampleḋátur: abjectóque faſtu ſupplex ſanctos deprecátur, ut ipſi apud Deum ſibi præsídio ſint: atque id non Romæ ſolùm fieri quíſpiam víderit, ſed étiam Conſtantinópoli. Nam & hîc quoque Conſtantínum Magnum filius ipsíus ingenti honóre ſe affectúrum exiſtimávit, ſi eum in Piſcatóris veſtíbulo depóneret: ádeò ut quod in régiis janitóres ſunt Imperatóribus, hoc in túmulo Piſcatóribus ſint ipſi Imperatóres: per hæc infidélibus planum facientes, majórem in reſurrectióne futúram Piſcatórum excelléntiam.

Lectio viij.

QUòd ſi cum Regum ſepulcris hæc Sanctórum ſepulcra conferre velis: illîc ſolitúdo, hîc celébritas multa. Quid? quòd & ipſis Imperatórum aulis longè præcellunt. Illîc multi ſunt qui turbam ſubmóveant, hîc contrà multi qui invítent: illîc terror, hîc ineffábilis voluptas. At dulce ſpectáculum eſt Imperatórem auro amictum, & corónâ redimítum vidére, aſtantéſque exercítuum duces, præfectos, tribúnos, prætóres: verùm hæc præ illis longè auguſtióra ſunt. Simul enim atque limen tranſilíeris, locus ipſe mentem ad cœlum, ad ſupernum Regem, ad exércitum Angelórum, ad ſublímem thronum, ad inacceſſam glóriam tranſmittit.

Lectio ix.

ESt quidem penès príncipem poteſtas ut ſub-

ditórum quoſdam ſolvat, álios in víncula conjíciat: at Sanctórum oſſa non miſeram hanc poteſtátem habent, ſed longè præſtantiórem. Dæmonas enim ipſos ſiſtunt & excrúciant, eorúmque acerbíſſimis vínculis conſtrictos ſolvunt. Quid hoc tribunáli terribílius? Nemo cérnitur, nemo dæmonis latéribus incumbit: & tamen voces & dilaceratiónes, vérbera, linguæ conflagrantes audiuntur: dæmone admirábilem illam poténtiam non ferente. Qui córpora geſtârunt, súperant ipſas incorpóreas poteſtátes. Pulvis, oſſa, cíneres, inviſíbiles illas affígunt natúras. Vides quæ ſit vis Sanctórum étiam defunctórum. Si tália ſunt præséntia, cógita quália erunt futúra. Quare ut Sanctórum mercédem obtíneas, fuge vítia, & omni ſtúdio ſectáre virtútem.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, Sanctórum tuórum ſplendor mirábilis: concéde, quæſumus, ut qui beáti Quintíni Martyris Inventiónis & Elevatiónis memóriam hodiernâ die ſolémniter celebrámus, ipſíus méritis & précibus perpétuam apud te grátiam inveníre valeámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. libr. 1. cap. 124.

SUnt quidam, quibus omnis cura eſt de véſtibus, ſi benè óleant, ſi pes laxâ pelle non fólleat: crines calamiſtri veſtígio rotantur; dígiti de ánnulis rádiant; & ne plantas humídior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtígia: tales cùm víderis, ſponſos magis æſtimáto quàm cléricos.

AD VESPERAS *Commem. Sanctæ Genovefæ Virgin. Ant.* Córpora. ℣. Afferentur, *ut in Communi Virgin. pag.* lxx. *Orat.* Beátæ, *ut infrà.*

Deinde Sancti Titi Pontif. Antiph. Ipſum. ℣. Elégit, *ut in Communi Pontific. p.* xxvj. *Orat.* Deus, *ut infrà.*

Die iv. Januarii.

[*Fit de Sancta Genovefa, (niſi fiat Officium de Dominica) & tunc j. Lectio legitur de Epiſtola ad Romanos, ut ſequitur: Si verò ſit dies Dominica, ex una fiunt tres, factâ diviſione ad aſteriſcos* **.]

In Feſto
SANCTÆ GENOVEFÆ,
Virginis.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, pag. lxviij. *exceptis quæ ſequuntur.*

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 9.

VEritátem dico in Chriſto: non méntior, teſtimónium mihi perhibente conſciéntiâ meâ in Spíritu ſancto; quóniam triſtítia mihi magna eſt, & contínuus dolor cordi meo. Optábam enim ego ipſe anáthema eſſe à Chriſto pro frátribus meis, qui ſunt cognáti mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraelítæ, quorum adóptio eſt filiórum, & glória, & teſtamentum, & legiſlátio, & obſéquium & promiſſa: quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper ómnia Deus benedictus in ſécula. Amen. * Non autem quòd excíderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelítæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed in Iſaac vocábitur tibi ſemen: id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſiónis, æſtimantur in ſémine. Promiſſiónis enim verbum hoc eſt: Secundùm hoc tempus véniam, & erit Saræ filius. Non ſolùm autem illa: ſed & Rebecca ex uno concúbitu habens Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondùm nati fuiſſent, aut áliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electiónem propóſitum Dei manéret,) non ex opéribus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major sérviet minóri, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem ódio hábui. ** Quid ergo dicémus? Numquid iníquitas apud Deum? Abſit. Móyſi enim dicit: Miſerébor cujus miséreor: & miſericórdiam præſtábo cujus miſerébor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptúra Pharaóni: Quia in hoc ipſum excitávi te, ut oſtendam in te virtútem meam, & ut annuntiétur nomen meum in univerſa terra. Ergo cujus vult miſerétur, & quem vult indúrat.

Lectio ij.

GEnovéfa, in agro Pariſienſi nata, futúræ ſanctitátis à téneris annis manifeſta dedit indícia. Hanc cùm vidiſſet ſanctus Germánus Autiſſiodorenſis, unà cum ſancto Lupo Trecenſi iter in Británniam fáciens, ad profligandas hæreſis Pelagiánæ relíquias, puellam Deo acceptíſſimam ac vitæ ſanctitáte claríſſimam fore prædixit. Eccléſiam frequenti pópulo ſanctus Præſul ingreſſus, Genovéfam, impóſitis mánibus, Chriſto Vírginem

deſpondit & conſecrávit.* Crevit exindè in dies ejus in Deum pietas: jugis erat orátio, abſtinéntia incredíbilis, effúſa in ægrótos & paúperes cáritas; patiéntia várias inter malevolórum calúmnias ſemper invícta. Miraculórum dono & multitúdine celebérrima evâſit. Spíritu prophético multa prædixit, atque imprímis Lutétiam urbem, óppidis áliis munitióribus ſubverſis, ab Hunnórum rege Attilâ detrimenti nihil paſsúram. Rei veritátem, longo pòſt témporis intervallo, probávit eventus; ídque Genovéfæ patrocínio datum. ** Graſſante deindè fame, magnâ frumenti cópiâ urbem & paúperes innúmeros abundè ſuſtentávit. Admirandis tot virtútibus clara, ad octoginta novem & ámpliùs annos in Chriſti ſervitúte conſénuit. Símeon ille Stylítes ejus ſe précibus vóluit commendátum. Lutétiæ ſepulta eſt in Baſílica ſanctórum Apoſtolórum Petri & Pauli, quæ ſubindè ipsíus Genovéfæ nomen accépit.

De Sancto Tito.

Lectio iij.

TItum, orígine gentílem, ad fidem à ſancto Paulo fuiſſe converſum indè cólligi poteſt, quòd fílium illum vocet. Interpres Apóſtolo fuiſſe in Evangélio ab Hierónymo dicitur. Cómitem eum aſſumpſit, cùm Hieroſólymam ad Concílium ſe cóntulit. Paulus Titum circumcídi nóluit, cùm tamen ſubintroducti falſi fratres id inſtanter péterent. Corinthum ab eódem miſſus ad componendas illíus Eccléſiæ controvérſias, cum timóre & paráto ad obediendum ánimo à Coríntbiis exceptus eſt: nihil tamen ab illis, Magiſtri mores imitátus, unquàm accípere vóluit. Ad Paulum in Macedónia tunc agentem rédiit, ſtatímque ab eódem Corinthum dénuò miſſus, ſecundam ipsíus Epíſtolam ad Coríntbios détulit. Cùm Paulus in ínſula Creta fidem prædicaſſet, Titum ibi relíquit ut ea quæ deeſſent corrígeret, & Presbyteros per civitátes conſtitúeret; unde ab Euſébio vocátur Cretæ Eccleſiárum Epíſcopus. Ad ipſum ſcripſit Paulus Epíſtolam quæ eſt utriúſque ad Timótheum Epíſtolæ quaſi compéndium: in hac enim, ſicut in illis docet Apóſtolus, ſed paucióribus verbis, quæ ſint Epíſcopi múnia. Conſtat ipſum, jubente Paulo, in Dalmátiam profectum fuiſſe ad prædicandum Evangélium. Tandem

in Cretam redux, in pace, ut tráditur, mórtuus eſt.

Ad Bened. *Ant.* Exultábit. ℣. Lætábor. *in Communi. pag.* lxxvj.

Oratio.

BEátæ Genovéfæ natalítia veneranda, Ecclésia tua, Dómine, devóta ſuſcípiat; & fiat glorificatiónis ejus amóre devótior, & tantæ fidei profíciat exemplo; Per Dóminum.

Deinde Comm. S. Titi. Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas, *in Communi. p.* xxxij.

Oratio.

DEus, qui per Apoſtólicos beáti Titi labóres Eccléſiam tuam propagári voluiſti; quæſumus ut, contínuo ejus præſídio munita, ſpirituálibus ſemper profíciat increméntis. Per Chriſtum.

Ultimò de B. Virgine Deip. pag. 308.

CANON.

Ex Concílio Lateranenſi quarto.

Ann. 1215. *capit.* 16.

CLérici corónam & tonsúram hábeant congruentem, & ſe in officiis divínis & áliis bonis exérceant ſtúdiis diligenter: clauſa déferant déſuper induménta, nímiâ brevitáte vel longitúdine non notanda.

Die v. Januarii.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

¶ *Si venerit die Dominica, Officium fiet hoc modo.*

Pridie Veſperæ dicentur ut in Sabbato inter Circumciſionem & Epiphaniam, pag. 309.

Ad Matutinum Invitat. & Hymnus de Vigilia Epiphaniæ, Pſalmi de Dom.

In I. & II. Nocturno, Antiphonæ, ℣℣. *&* ℟℟. *ut in Dominica inter Circumciſionem & Epiphaniam, pag.* 309. *Lectiones I. Nocturni de Script. occur. ut in Vigilia, & ex duabus fient tres, diviſione factâ ad aſteriſcum *. Lectiones II. Nocturni, ut in Dominica inter Circumciſionem & Epiphaniam, pag.* 310.

In III. Nocturno Antiphonæ & ℣. *de eadem Dominica, pag.* 311. *Lectiones autem de Homilia, ut in Officio Vigiliæ, diviſione factâ ad aſteriſcos **, nec legitur Homilia de Dominica pro nona Lectione:* ℟. *vij.* Dómine, ℟. *viij.* Angelus; *& dicitur* Te Deum.

Ad Laudes, Pſalmi de Dominica cum Cantico, Inclináte, *ſub quinque Antiphonis, infrà, ad Laudes; nec fit Commemoratio de Dominica: reliqua ut in Vigilia.*

Ad Horas Pſalmi de Dominica : reliqua ut in Vigilia. Ad Primam non dicitur Symbolum Quicumque.

¶ *Si Vigilia venerit aliâ die, fiet Officium ut ſequitur.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum Regem magnum ſuper omnem terram, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 46.

Pſalmus Veníte. *pag.* 2.

Hymn. Jam nata lux, *pag.* 304.

Pſalmi & Antiphonæ de Pſalterio.

℣. Convertentur ad Dóminum univerſi fines terræ: ℟. Et adorábunt in conſpectu ejus univerſæ famíliæ géntium. *Pſ.* 21.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 9.

DIcis ítaque mihi : Quid adhuc quéritur ? voluntáti enim ejus quis reſiſtit ? O homo! tu quis es qui reſpóndeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit : Quid me feciſti ſic ? An non habet poteſtátem figulus luti ex eádem maſſa fácere áliud quidem vas in honórem, áliud verò in contuméliam ? Quòd ſi Deus, volens oſténdere iram, & notam fácere poténtiam ſuam, ſuſtínuit in multa patiéntia vaſa iræ apta in intéritum ; ut oſténderet divítias glóriæ ſuæ in vaſa miſericórdiæ quæ præparávit in glóriam. Quos & vocávit nos non ſolùm ex Judæis, ſed étiam ex géntibus, ſicut in Oſée dicit : Vocábo non plebem meam, Plebem meam ; & non dilectam, Dilectam ; & non miſericórdiam conſecútam, Miſericórdiam conſecútam. Et erit in loco ubi dictum eſt eis : Non plebs mea vos ; ibi vocabuntur Fílii Dei vivi.

℟. Dómine, ad te gentes vénient ab extrémis terræ, & dicent : * Verè mendácium poſſedérunt patres noſtri. ℣. Commutavérunt veritátem Dei in mendácium ; & ſerviérunt creatúræ pótiùs quàm Creatóri. * Verè. *Jerem.* 16. *Rom.* 1.

Lectio ij.

ISaías autem clamat pro Iſrael : Si fúerit númerus filiórum Iſrael tanquàm aréna maris, relíquiæ ſalvæ fient. Verbum enim conſummans & abbrévians in æquitáte : quia verbum breviátum fáciet Dóminus ſuper terram : & ſicut prædixit Iſaías, Niſi Dóminus ſábaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sódoma facti eſſémus, & ſicut Gomorrha símiles fuiſſémus. * Quid ergo dicémus ? Quòd gentes quæ non ſectabantur

tur juſtítiam, apprehendérunt juſtítiam, juſtítiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem juſtítiæ, in legem juſtítiæ non pervénit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex opéribus: offendérunt enim in lápidem offenſiónis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lápidem offenſiónis & petram ſcándali: & omnis qui credit in eum, non confundétur.

℟. Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe Púerum & Matrem ejus, & * Vade in terram Iſrael: † Defuncti ſunt enim qui quærébant ánimam Púeri. ℣. Surge & egrédere de terra hac, revertens in terram nativitátis tuæ. * Vade. Glória. † Defuncti. *Matth.* 2. *Gen.* 31.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 2.

IN illo témpore: Defuncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe Púerum & Matrem ejus, & vade in terram Iſrael. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comm. in Matth. l. 1. *c.* 2.

DEfuncti ſunt enim qui quærébant ánimam Púeri. Ex hoc loco intelligimus non ſolùm Heródem, ſed & ſacerdótes & ſcribas eódem témpore necem Dómini fuiſſe meditátos. Qui conſurgens accépit Púerum & Matrem ejus, & venit in terram Iſrael. Non dixit, accépit filium ſuum & uxórem ſuam; ſed Púerum & Matrem ejus, quaſi nutrítius, non maritus. * Et véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth, ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur. Si fixum de Scriptúris poſuiſſet exemplum, nunquam díceret, Quod dictum eſt per Prophétas; ſed ſimplíciter, Quod dictum eſt per Prophétam: nunc autem plúraliter Prophétas vocans, oſtendit, ſe non verba de Scriptúris ſumpſiſſe, ſed ſenſum. ** Nazaræus, Sanctus interpretátur. Sanctum autem Dóminum futúrum, omnis Scriptúra commémorat. Póſſumus & áliter dícere, quòd étiam eiſdem verbis juxta Hebráicam veritátem in Iſáia ſcriptum ſit: Exiet virga de radíce Jeſſe, & Nazaræus de radíce ejus conſcendet.

Te Deum. *pag.* 9.

A D   L A U D E S.

¶ *Niſi ſit dies Dominica, ſit* Semiduplex, & *dicun-*

tur Pſalmi de Feria, cum Cantico Inclináte, *ſub Antiphona ſola* 4. f. Magnificábor. *Si ſit Dominica, quinque Antiphonæ ſequentes*].

Antiphona, 7. toni. d.

CIrcúmſpice, Jerúſalem, ad Orientem, & vide jucunditátem à Deo tibi venientem. *Baruch.* 4.

Ant. 1. a. Viri ſublímes ad te transíbunt, & tui erunt, téque deprecabuntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. *Iſaï.* 45.

Ant. 2. D. Reddam pópulis lábium electum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. *Sophon.* 3.

Ant. 4. f. Magnificábor.

Canticum Iſ. 55.

INclináte aurem veſtram, & veníte ad me; * audíte, & vivet ánima veſtra.

Et fériam vobiſcum pactum ſempiternum,* & miſericórdias David fidéles.

Ecce teſtem pópulis dedi eum, * ducem ac præceptórem géntibus.

Ecce gentem quam neſciébas, vocábis,* & gentes quæ te non cognovérunt, ad te curr̄ent;

Propter Dóminum Deum tuum;* & Sanctum Iſraël, quia glorificávit te.

Glória Patri.

Ant. Magnificábor, & notus ero in óculis multárum géntium; & ſcient quia ego Dóminus. *Ezech.* 38.

Ant. 8. c. Véniet ómnis caro ut adóret coram fácie mea. *Iſai.* 66.

Capitulum. Iſaï. 65.

QUæſiérunt me qui antè non interrogábant: invenérunt qui non quæſiérunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego; ad gentem quæ non invocábat nomen meum.

Hymnus. O ter beáta. *ſuprà pag.* 306.

℣. Regnábit Deus ſuper gentes; ℟. Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. *Pſ.* 46.

Ad Bened. *Ant.* 8. c. Fílii Iſraël & fílii Juda ſimul vénient, & apponentur ad Dóminum fœdere ſempiterno, quod nullâ oblivióne delébitur. *Jer.* 50.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

COrda noſtra, quæſumus, Dómine, ventúræ feſtivitátis ſplendor illuſtret; quo mundi hujus ténebris carére valeámus, & perveníre ad pátriam claritátis ætérnæ; Per Dóminum.

Commemoratio de Virg. Deipara.

AD HORAS.

Duplex.

Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Circúmſpice, Jerúſalem.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi.

Ann. 1565. *part.* 2. *tit.* 23.

NE in hábitu clericáli aut ſtudióſiùs exquiſíta cultûs elegántia, aut nimìs abjecta neglig éntia, & affectátæ ſordes appáreant. In omni veſtítu color tantùm niger adhibeátur; niſi fortaſſè álium colórem requírat dignitátis gradus.

AD TERTIAM.

Ant. 1. a. Viri ſublímes.

Capitulum. Sophon. 2.

ATtenuábit Dóminus omnes deos terræ; & adorábunt eum viri de loco ſuo, omnes ínſulæ géntium.

℟. *br.* Confundantur omnes * Qui adórant ſculptília; ℣. Et qui gloriantur in ſimulácris ſuis. * Qui adórant ſculptília. Glória. ℟. Confundantur.

℣. Tu Dóminus Altíſſimus ſuper omnem terram: ℟. Nimìs exaltátus es ſuper omnes deos. *Pſ.* 96.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Reddam pópulis.

Capitulum. Iſ. 45.

COnvertímini ad me, & ſalvi éritis omnes fines terræ; quia ego Deus, & non eſt álius. In memetipſo jurávi: Egrediétur de ore meo juſtítiæ verbum, & non revertétur; quia mihi curvábitur omne genu, & jurábit omnis lingua.

℟. *br.* Omnes gentes, * Plaúdite mánibus. ℣. Jubiláte Deo in voce exultatiónis. * Plaúdite mánibus. Glória. ℟. Omnes gentes. *Pſ.* 46.

℣. Ipſe eſt Dóminus Deus; ℟. Et adorábunt eum. *Pſ.* 44.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Véniet.

Capitulum. Jerem. 3.

VOcábunt Jerúſalem ſólium Dómini: & congregabuntur ad eam omnes gentes in nómine Dómini in Jerúſalem, & non ambulábunt poſt pravitátem cordis ſui péſſimi.

℟. *br.* Vacáte, & vidéte, * Quóniam ego ſum Deus. ℣. Exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra, * Quóniam ego ſum Deus. Glória. ℟. Vacáte. *Pſ.* 45.

℣. Confitébor tibi in pópulis, Dómine. ℟. Et pſalmum dicam tibi in géntibus. *Pſ.* 56.

DIE VI. JANUARII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Duplex primæ Claſſis.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Antiphona 1. *toni*. J.

LAuda, ſtérilis quæ non paris: decanta laudem, quæ non pariébas; quóniam multi fílii deſertæ magìs quàm ejus quæ habet virum. *Iſ.* 54.

Ant. 2. D. Diláta locum tentórii tui: ad déxteram enim & ad lævam penetrábis; & ſemen tuum gentes hæreditábit. *Iſ.* 54.

Ant. 3. a. Dices in corde tuo: Quis génuit mihi iſtos? Iſtos quis enutrívit? & iſti ubi erant? *Iſ.* 49.

Ant. 4. E. Erunt reges nutrítii tui, & regínæ nutríces tuæ; vultu in terram demiſſo adorábunt te, & púlverem pedum tuórum lingent. *Iſ.* 49.

Ant. 5. a. Vidébunt gentes Juſtum tuum; & eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Iſ.* 62.

Pars Hyemalis.

Capitulum. Iſ. 55.

ECce gentem quam neſciébas, vocábis: & gentes quæ te non cognovérunt, ad te current, propter Dóminum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, quia glorificávit te.

℟. Cívitas Dei, luce ſplèndidâ fulgébis. * Natiónes ex longinquo ad te vénient, & múnera deferentes adorábunt in te Dóminum. ℣. Deus viſitávit ſúmere ex géntibus pópulum nómini ſuo. * Natiónes. Glória. *Repetitur* ℟. Cívitas, *uſque ad* ℣. Deus. *Tob.* 13. *Act.* 15.

Hymnus.

VAtum dicta patent: mortis in umbra
Gens ſopíta, novo lúmine ſurgit:
Antiqui pópulus fœderis exul,
Nunc ad ſancta venit fœdera conſors.

Vobis, ecce, Magi, ſtella refulget
Sulcans æthéreas ígnibus auras:
Confeſtìm mónitis ite vocáti,
Ignótas Púeri quærere cunas.

Surgunt præcípites: prompta morári
Mens neſcit: própcrant sídere juſſi:
Felíces, plácito múnere, totas
In ſe primítiis dúcere gentes.

Nec ſpes ire citos írrita fallit,
Ad parvæ véniunt mœnia Bethlem:
Illîc quem rénuit plebs ſua regem,
En, ſtellâ duce, gens éxtera noſcit.

Cæcis ergò micat géntibus orta;
O Judæa, tuis, lux nova, damnis:
Sic germen ſpúrium, fœtus adulter,
Natívæ inséritur ramus olívæ.

Nostræ, ſæpè, Deus, lux tua menti
Illuxit, nec adhùc súbdita ceſſit:
Tandem tolle moras, ſubde rebellem;
Accreſcátque tuis victa triumphis.

Te, feſtíva, Pater, cántica laudent,
Qui miro récreas lúmine gentes:
Laudent te, Génitum; ſit quoque ſemper
Compar, Sancte, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Annuntiábunt cœli juſtítiam Dómini, ℟. Pópulo qui naſcétur, quem fecit Dóminus. *Pſ.* 21.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Surge, illumináre, Jerúſalem; quia venit lumen tuum: ſuper te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur; & ambulábunt gentes in lúmine tuo: allelúia. *Iſ.* 60.

Oratio infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

Hymnus, Mundi ſalus, *pag.* 164.

Doxologia.

Qui te revélas géntibus,
Jeſu, tibi, ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Et dicitur per Octavam ad omnes Horas, in fine Hymnorum ejuſdem metri.

AD MATUTINUM.

Dictis ſecretò, Pater. Ave. Credo. *dicitur altâ voce:* Dómine, lábia mea, &c. Deus, in adjutórium, &c. *deindè, omiſſis Invitatorio & Pſalmo* Venite, *incipitur per Hymn.* Vatum dicta, *ut ſuprà, pag.* 327.

IN

IN I. NOCTURNO.

Pſ. Afferte. *pag.* 86.

Ant. 7. a. Afferte Dómino glóriam & honórem; ſedébit Dóminus Rex in ætérnum *Pſ.* 28.

Pſ. Deus noſter, *pag.* 96.

Ant. 3. a. Veníte & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45.

Pſ. Omnes gentes, *pag.* 137.

Ant. 2. D. Psállite Deo noſtro, psállite: psállite Regi noſtro, psállite; quóniam Rex omnis terræ Deus. *Pſ.* 46.

℣. Omnis terra adóret te, & pſallat tibi: ℟. Pſalmum dicat nómini tuo. *Pſ.* 65.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 55.

OMnes ſitientes, veníte ad aquas: & qui non habétis argentum, properáte, émite & comédite. Veníte, émite abſque argento & abſque ulla commutatióne vinum & lac. Quare appénditis argentum non in pánibus, & labórem veſtrum non in ſaturitáte? Audíte audientes me, & comédite bonum, & delectábitur in craſſitúdine ánima veſtra. Inclináte aurem veſtram, & veníte ad me: audíte, & vivet ánima veſtra, & fériam vobiſcum pactum ſempitérnum, miſericórdias David fidéles. Ecce teſtem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus.

℟. Vénient pópuli multi, & gentes robuſtæ * Ad quærendum Dóminum exercítuum in Jerúſalem, & deprecandam fáciem Dómini. ℣. Cùm natus eſſet Jeſus in Béthlehem Juda, ecce Magi ab Oriente venérunt Jeroſólymam. * Ad quærendum. *Zach.* 8. *Matth.* 2.

Lectio ij. Cap. 60.

SUrge, illumináre, Jerúſalem; quia venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. Quia ecce ténebræ opérient terram, & calígo pópulos: ſuper te autem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, & reges in ſplendóre ortûs tui. Leva in circúitu óculos tuos, & vide: omnes iſti congregáti ſunt, venérunt tibi: fílii tui de longè vénient, & fíliæ tuæ de látere ſurgent. Tunc vidébis & áffiues, & mirábitur & dilatábitur cor tuum; quandò converſa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian &

Epha : omnes de Saba vénient, aurum & thus deferentes, & laudem Dómino annuntiantes.

℟. Venérunt Magi Jerosólymam dicentes : Ubi eſt qui natus eſt rex Judæórum ? * Vídimus ſtellam ejus in Oriente, & vénimus adoráre eum. ℣. Oriétur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael : de Jacob erit qui dominétur. * Vídimus ſtellam ejus. *Matth.* 2. *Num.* 24.

Lectio iij. Cap. 61. *&* 62.

Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me veſtimentis ſalútis; & indumento juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decorátum corónâ, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat, ſic Dóminus Deus germinábit juſtítiam & laudem coram univerſis géntibus. Propter Sion non tacébo, & propter Jerúſalem non quieſcam, donec egrediátur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvátor ejus ut lampas accendátur.

℟. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam : * Habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt eis. ℣. Ténebræ tranſiérunt, & verum lumen jam lucet. * Habitántibus. Glória. * Habitántibus. *Iſ.* 9. *Joann.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Pſ. Magnus Dóminus. *pag.* 137.

Ant. 2. D. Secundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ. *Pſ.* 47.

Pſ. Deus, judícium tuum. *pag.* 100.

Ant. 1. G. Reges Tharſis & Inſulæ múnera ófferent; reges Arabum & Saba dona addúcent. *Pſ.* 71.

Hîc dicitur integrè & ſemel Invitatorium ut ſequitur :

Invit. Ipſe eſt Dóminus Deus noſter; * Veníte, adorémus. *Pſ.* 94.

Pſalm. Veníte. 8. *toni*, g. *pag.* 2.

Poſt Glória Patri. *repetitur integrè & ſemel Invitatorium* Ipſe eſt Dóminus, &c. *Deindè* ℣. *ut ſequitur :*

℣. Adorábunt eum omnes reges terræ; ℟. Omnes gentes sérvient ei. *Pſ.* 71.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 2. *de Epiph. cap.* 1.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíſſimi, iterùm dico, gaudéte; quóniam brevi intervallo témporis, poſt ſolemnitátem Nativitátis Chriſti, feſtívitas de-

clarationis ejus illuxit : & quem in illo die Virgo péperit, in hoc mundus agnóvit. Verbum enim caro factum ſic ſuſceptiónis noſtræ temperávit exórdia, ut natus Jeſus, & credéntibus manifeſtus, & perſequéntibus eſſet occultus. Jam tunc ergo cœli enarravérunt glóriam Dei, & in omnem terram ſonus veritátis exívit; quandò & paſtóribus exércitus Angelórum Salvatóris éditi annuntiátor appáruit, & Magos ad eum adorandum prævia ſtella perduxit: ut à ſolis ortu uſque ad occáſum veri Regis generátio coruſcáret; cùm rerum fidem & regna Oriéntis per Magos diſcerent, & Románum Impérium non latéret.

℟. Emittit lumen, & vadit; & vocávit illud, & obédit illi in tremóre. Stellæ vocátæ ſunt, & luxérunt ei cum jucunditáte qui fecit illas. * Hic eſt Deus noſter, & non æſtimábitur álius adversùs eum. ℣. Ecce ſtella quam víderant Magi in Oriente, antecedébat eos; uſque dum véniens ſtaret ſuprà ubi erat Puer. * Hic. *Baruch.* 3. *Matth.* 2.

Lectio v.

NAm & ſævítia Heródis volens primórdia ſuſpecti ſibi regis extínguere, huic diſpenſatióni néſciens ſerviébat: ut dùm atróci intentus facínori, ignótum ſibi Púerum indiſcrétâ infántium cæde perſéquitur, annuntiátum cœlitùs Dominatóris ortum insígnior ubíque fama loquerétur; quam promptiórem ad narrandum diligentiorémque faciébat, & ſupernæ ſignificatiónis nóvitas, & cruentíſſimi perſecutóris impíetas. Tunc autem étiam Ægypto Salvátor illátus eſt; ut gens antíquis erróribus dédita, jam ad vicínam ſalútem per occultam grátiam vocarétur; & quæ nondùm ejécerat ab ánimo ſuperſtitiónem, jam hoſpítio recíperet veritátem.

℟. Videntes ſtellam Magi gavíſi ſunt gaúdio magno valdè: & intrantes domum invenérunt Púerum cum María matre ejus; & * Procidentes adoravérunt eum. ℣. Quóniam Dómini eſt regnum, & ipſe dominábitur géntium. * Procidentes. *Matth.* 2. *Pſ.* 21.

Lectio vj. Cap. 4.

AGnoſcámus ergo, dilectíſſimi, in Magis adoratóribus Chriſti, vocatiónis noſtræ fideíque primítias, & exultántibus ánimis beátæ ſpei inítia celebrémus. Exindè enim in æternam hæreditátem cœpimus introíre: exindè no-

bis Chriſtum loquéntia Scripturárum arcána patuérunt; & véritas quam Judæórum obcæcátio non recépit, ómnibus natiónibus lumen ſuum invexit. Honorétur ítaque à nobis ſacratíſſimus dies, in quo ſalútis noſtræ Auctor appáruit: & quem Magi infantem veneráti ſunt in cunábulis, nos Omnipotentem adorémus in cœlis. Ac ſicut illi de theſauris ſuis myſticas Dómino múnerum ſpécies obtulérunt: ita & nos de córdibus noſtris, quæ Deo ſunt digna, promámus.

℟. Magi, apertis theſauris ſuis, * Obtulérunt ei múnera, aurum, thus & myrrham. ℣. De Saba vénient, aurum & thus deferentes, & laudem Dómino annuntiantes. * Obtulérunt. Glória. * Obtulérunt. *Matth.* 2. *Iſ.* 60.

IN III. NOCTURNO.

Pſ. Fundamenta. *p.* 138.

Ant. 7. d. Ecce alienígenæ & Tyrus & pópulus Æthíopum, hi fuérunt illic. *Pſ.* 86.

Pſ. Cantáte. *pag.* 47.

Ant. 6. *c.* Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, in ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95.

Pſ. Dóminus regnávit, exultet. *pag.* 49.

Ant. 5. a. Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus: & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. *Pſ.* 96.

℣. Pópuli confitebuntur tibi, Deus, ℟. In æternum & in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 44.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUm natus eſſet Jeſus in Béthlehem Juda, in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Oriente venérunt Jeroſólymam dicentes: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæórum? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 10. *in Evang.* §. 2.

IN ómnibus ſignis quæ, vel naſcente Dómino, vel moriente, monſtráta ſunt, conſiderandum nobis eſt, quanta fúerit in quorumdam Judæórum corde durítia, quæ nec per Prophetíæ donum, nec per mirácula agnóvit. Omnia quippe elementa auctórem ſuum veniſſe teſtáta ſunt. Ut enim de eis quiddam uſu humáno loquar: Deum hunc cœli eſſe cognovérunt, quia prótinùs ſtellam miſérunt. Mare cognóvit, quia ſub plantis ejus ſe calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia eo moriente contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis ſuæ rádios abſcondit. Saxa & paríetes cognovérunt, quia témpore

mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnóvit, quia hos quos tenébat mórtuos, réddidit. Et tamen hunc quem Dóminum ómnia inſenſibília elementa ſenſérunt, adhuc infidélium Judæórum corda Deum eſſe mínimè cognoſcunt.

℟. Erámus inſipientes, incréduli, errantes; * Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris noſtri Dei, ſecundùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit. ℣. Omnes nos quaſi oves errávimus; unuſquiſque in viam ſuam declinávit. * Cùm. *Tit.* 3. *Iſ.* 53.

Lectio viij. §. 3.

SEd nativitáte Regis noſtri cógnitâ, Heródes ad cállida argumenta convértitur; ne terréno regno privarétur. Renuntiári ſibi, ubi Puer inveniretur, póſtulat: adoráre eum velle ſe símulat, ut hunc, ſi inveníre poſſit, extinguat. Sed quanta eſt humána malítia contra consílium divinitátis? Scriptum quippe eſt: Non eſt ſapiéntia, non eſt prudéntia, non eſt consílium contra Dóminum. Nam ea quæ appáruit ſtella, Magos perdúcit: natum Regem repériunt, múnera déferunt; &, ne redíre ad Heródem débeant. in ſomnis admonentur: ſícque fit ut Jeſum quem quærit Heródes, inveníre non poſſit. Cujus persónâ qui álii quàm hypócritæ deſignantur? qui dum fictè quærunt, inveníre Dóminum nunquam merentur.

℟. Dignos nos fecit Deus in partem ſortis ſanctórum in lúmine. * Erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum Fílii dilectiónis ſuæ. ℣. Laudáte Dóminum, omnes gentes, quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus. * Erípuit. Glória. *Repetitur* ℟. *uſque ad* ℣. *Coloſſ.* 1. *Pſ.* 116.

Lectio ix. §. 6.

MAgi aurum, thus & myrrham déferunt. Aurum, quippe Regi cóngruit: thus verò in Dei ſacrifícium pónitur: myrrhâ autem mortuórum córpora condiuntur. Eum ergo Magi quem adórant, étiam myſticis munéribus prædicant; auro regem, thure Deum, myrrhâ mortálem... Nos ítaque nato Dómino offerámus aurum; ut hunc ubíque regnáre fateámur: offerámus thus; ut credámus, quòd is qui in témpore appáruit, Deus ante témpora éxtitit; offerámus myrrham; ut eum quem crédimus in ſua divinitáte impaſsíbilem, credámus étiam in noſtra fuiſſe carne mortálem.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona, 1. *toni.* g.

VOluit Deus notas fácere divítias glóriæ ſacramenti hujus in géntibus, quod eſt Chriſtus. *Coloſſ.* 1.

Ant. 2. D. Qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illuxit in córdibus noſtris ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei. *II. Cor.* 4.

Ant. 3. a. Grátia quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante témpora ſeculária, manifeſtáta eſt nunc per illuminatiónem Salvatóris noſtri. *II. Tim.* 1.

Ant. 4. E. Ut oſténderet.

Canticum. Iſaï. 49.

LAudáte, cœli, & exulta, terra : * jubiláte, montes, laudem.

Quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum ; * & paúperum ſuórum miſerébitur.

Et dixit Sion : Derelíquit me Dóminus : * & Dóminus oblítus eſt meî.

Numquid oblivíſci poteſt múlier infantem ſuum ; * ut non miſereátur fílio úteri ſui ?

Et ſi illa oblíta fúerit ; * ego tamen non oblivíſcar tuî.

Ecce in mánibus meis deſcripſi te : * muri tui coram óculis meis ſemper.

Venérunt ſtructóres tui : * deſtruentes te & diſſipantes à te exíbunt.

Leva in circúitu óculos tuos, & vide : * omnes iſti congregáti ſunt, venérunt tibi.

Vivo ego, dicit Dóminus ; * quia ómnibus his velut ornamento veſtiéris, & circúmdabis tibi eos quaſi ſponſa.

Quia deſerta tua & ſolitúdines tuæ, & terra ruínæ tuæ, * nunc anguſta erunt præ habitatóribus.

Et longè fugabuntur * qui abſorbébant te.

Adhuc dicent in aúribus tuis filii ſterilitátis tuæ : * Anguſtus eſt mihi locus ; fac ſpátium mihi ut hábitem.

Et dices in corde tuo : * Quis génuit mihi iſtos ?

Ego ſtérilis & non páriens, tranſmigráta & captíva : * & iſtos quis enutrívit ?

Ego deſtitúta & ſola : * & iſti ubi erant ?

Ant. Ut oſténderet divítias glóriæ ſuæ, vocávit nos non ſolùm ex Judæis, ſed étiam ex géntibus. *Rom.* 9.

Ant. 5. a. Appáruit, ut peccáta noſtra lólleret : appáruit, ut diſſolvat ópera diáboli. I. *Joann.* 3.

Capitulum I. Petr. 2.

VOs genus electum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum.

Hymnus.

IN mortis umbris, & ſine fœdere
Gentes relictæ, vos Deus ádvocat:
Stellæ diſerto nuntiátur
Elóquio data ſpes ſalútis.

Ad te, Redemptor, páſſibus æmulis,
Et quo reguntur, lúmine pérciti,
Magi propinquant, gentiúmque
Primítiæ tibi conſecrantur.

Regem ſuprémum, vértice ſúbdito,
Te confitentes, múnera déferunt:
Tu fons bonórum, quot receptis,
Chriſte, refers potióra donis!

Hinc orta fulget lux fidei ſacræ:
Hinc caſta rerum vota perénnium
Spe nutriuntur, caritáſque
Noſtra ſuo fovet igne corda.

Fac, Chriſte, fines orbis ad últimos
Gentes amandum te célebrent Deum
Unâque linguâ te canentes
Mente tibi famulentur unâ.

Laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Sit, ſancte, compar laus tibi, Spíritus:
Per te fidéles qui creantur,
Da fidei prétium reportent.
Amen.

℣. Pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; ℟. Afferte Dómino glóriam nómini ejus. *Pſ.* 95.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Viſitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis: allelúia. *Luc.* 1.

Oratio.

DEus, qui hodiernâ die Unigénitum tuum géntibus ſtellâ duce, revelaſti: concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, uſque ad contemplandam ſpéciem tuæ celſitúdinis perducámur; Per eumdem Dóminum.

AD HORAS.

Hymnorum doxologia.

Qui te revélas géntibus,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. g. Vóluit Deus.

In ℟. *br.* ℣. Qui te revélas géntibus.

CANON.
Ex Concílio Epheſíno.
Part. 2. *Anno* 431.

QUóniam Chriſtus Rex & Deus eſt, & mortem ob paſſiónis diſpenſatiónem guſtávit, múnera myſteriórum ſunt indícia. Offerunt Magi aurum, cognoſcentes ipſum eſſe Regem: ófferunt thus, norunt enim ſe Deo offerre: ófferunt myrrham, propter mortem in myſtério Paſſiónis.

AD TERTIAM.
Ant. 2. D. Qui dixit.
Capitulum I. Paral. 16.

FAmíliæ populórum, afferte Dómino glóriam & impérium: date Dómino glóriam nómini ejus: leváte ſacrifícium, & veníte in conſpectu ejus, & adoráte Dóminum in decóre ſancto.

℞. *br.* Benedícite, gentes, Deum noſtrum: * Allelúia, allelúia. ℣. Et audítam fácite vocem laudis ejus. * Allelúia, allelúia. Glória. ℞. Benedícite. *Pſ.* 65.

℣. In conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam; ℞. Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ. *Pſ.* 97.

AD SEXTAM.
Ant. 3. a. Grátia.
Capitulum. I. Joann. 1.

VIta manifeſtáta eſt, & vídimus & teſtámur: & annuntiámus vobis vitam ætérnam quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis.

℞. *br.* Benedictus qui venit in nómine Dómini: * Allelúia, allelúia. ℣. Deus Dóminus, & illuxit nobis; * Allelúia, allelúia. Glória. ℞. Benedictus. *Pſ.* 117.

℣. Accédite ad eum, & illuminámini; ℞. Et fácies veſtræ non confundentur. *Pſ.* 33.

AD NONAM.
Ant. 5. a. Appáruit.
Capitulum. Iſaï. 49.

DEdi te in fœdus pópuli, ut ſuſcitáres terram, & poſſidéres hæreditátes diſſipátas; ut díceres his qui vincti ſunt: Exíte, & his qui in ténebris: Reveláminí.

℞. *br.* Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu: * Allelúia, allelúia. ℣. Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam: * Allelúia, allelúia. Glória. ℞. Dóminus. *Pſ.* 2.

℣. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ intende, ℞. Próſperè procéde & regna, *Pſ.* 44.

AD II. VESPERAS.
Pſalmi de Dominica, excepto ultimo, cujus loco dicitur Laudáte Dóminum, omnes gentes. *p.* 142.
Antiphona, 1. *toni*, G.

MYſtérium quod abſcónditum fuit à ſéculis

lis & generatiónibus, nunc manifeſtátum eſt. *Coloſſ.* 1.

Ant. 2. D. Gentes quæ non ſectabantur juſtítiam, apprehendérunt juſtítiam; juſtítiam autem quæ ex fide eſt. *Rom.* 9.

Ant. 3. a. In Chriſto Jeſu, vos qui erátis longè, facti eſtis propè; ipſe enim eſt pax noſtra qui fecit útraque unum. *Epheſ.* 2.

Ant. 4. E. Non eſt diſtínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium dives in omnes qui ínvocant illum. *Rom.* 10.

Ant. 5. C. Salvátor noſter Deus omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. *I. Tim.* 2.

Capitulum. Iſ. 57.

HÆc dicit Excelſus & Sublímis, hábitans æternitátem: Creávi pacem ei qui longè eſt & qui propè, & ſanávi eum.

Hymnus.

PRIMA victrícis fidei
coróna,
O Magi! cœlo céleres vocante,
Sancta vos laudem, fideíque primos
Feſta triumphos.

QUIS dolor, cùm vos (vélutì vagantem
Æquoris circùm vada cæca navem)
Occulens vultum dúbios viárum
Stella relíquit.

SED fides vincit: Sólymis euntes
Sidus aſſurgens récreat: domóque
Inſidet, Regem púerum revélans
Lúmine prono.

DONA dant ſacro pretióſa ſenſu:
Thure dùm Numen celebrátur; auro
Rex; homo, myrrhâ; melióra donis
Péctora libant.

NE, Sion, ultrà ſtérilis vocáre:
Surget afflictæ tibi multa proles:
Afflues natis: réſera parentis
Géntibus ulnas.

SEPARANS olìm páries ſolútus
Ambo nunc corpus cóeunt in unum:
Díſſiti pridèm pópuli revincit
Fœdera Chriſtus.

SUMMA laus Patri, ſimul æqua Nato
Ad Fidem gentes hódie vocanti:
Omne, non impar, tibi ſit per ævum
Glória, Flamen.
Amen.

℣. Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; ℟. In audítu auris obedívit mihi. *Pſ.* 17.

Ad Magníf. *Ant.* 1. A. Manifeſtè magnum eſt pietátis ſacramentum, quod manifeſtátum eſt in carne, prædicátum eſt géntibus, créditum eſt in mundo: allelúia. *I. Tim.* 3.

Si ſit Sabbatum, non ſit Commemoratio Dominicæ intra Octavam Epiphaniæ.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica, reliqua ut heri.

¶ De Dominica *intrà Octavam Epiphaniæ, (in quamcumque diem Octava inciderit) ſit Officium ut notatur infrà.*

Sabbato præcedente, ad Veſp. (niſi ſit dies Epiphaniæ) dicuntur Pſalmi de Sabbato, ſub Antiphonis I. Veſperarum diei Feſti.

Capitulum. Dan. 2.

SUſcitábit Deus cœli regnum quod in æternum non diſſipábitur; & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminuet autem, & consúmet univerſa regna hæc; & ipſum ſtabit in æternum.

Hymn. Vatum, *pag.* 327.

℣ Sedes tua, Deus, in ſéculum ſéculi: ℟. Virga directiónis virga regni tui. *Pſ.* 44.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Hæc dicit Dóminus: Stabíliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium. *II. Reg.* 7.

Oratio infrà ad Laudes.

Non ſit Comm. de Epiph.

DOMINICA
intra Octavam
EPIPHANIÆ.

AD MATUTINUM.

Invit. Chriſtum in carne manifeſtátum. * Veníte, adorémus *I. Timoth.* 3.

Pſ. Veníte, *pag.* 2.

Hymn. Vatum, *pag.* 327.

Pſalmi de Dominica.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 2. D. O Rex géntium! inter cunctos ſapientes & in univerſis regnis nullus eſt ſímilis tuî. *Jer.* 10.

℣. Omnis terra adóret te, & pſallat tibi; ℟. Pſalmum dicat nómini tuo. *Pſ.* 65.

¶ *Hâc die & ſequentibus intra Octavam, legitur Epiſtola prima ad Corinthios, quæ habetur poſt Officium Octavæ: Lectiones verò, ſi quæ ſuperſunt de Epiſtola ad Romanos, prætermittuntur. Reſponſoria de I. Nocturno diei Epiph. pag.* 329. *&* 330.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Factum eſt regnum hujus mundi Dómini noſtri & Chriſti ejus. *Apoc.* 11.

℣. Adorábunt eum omnes Reges terræ, ℟. Omnes gentes sérvient ei. *Pſ.* 71.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 4. *de Epiph. cap.* 1.
Lectio iv.

AD roborandum fidem, quæ contra omnes præmuniebátur erróres, ex magna geſtum eſt divíni pietáte consílii, ut gens in longinqua orientális plagæ regióne conſiſtens, quæ ſpectandórum síderum arte pollébat, ſignum nati Púeri qui ſupra omnem Iſrael eſſet regnatúrus, accíperet. Nova étenim cláritas apud Magos ſtellæ illuſtrióris appáruit, & intuéntium ánimos ita admiratióne ſui ſplendóris implévit, ut nequáquàm ſibi crédetent negligendum, quod tanto nuntiabátur indício. Præerat autem, ſicut res dócuit, huic miráculo grátia Dei; & cùm Chriſti Nativitátem nec ipſa adhuc Béthlehem tota didiciſſet; jam illam creditúris géntibus inferébat: &, quod nondùm póterat humáno elóquio díſſeri, cœlo faciébat evangelizante cognoſci.

℞. Emittit, *pag.* 331.

Lectio v. Cap. 2.

QUamvis autem divínæ dignatiónis eſſet hoc munus, ut agnoſcíbilis géntibus fieret Natívitas Salvatóris; ad intelligendum tamen miráculum ſigni, potuérunt Magi étiam de antíquis Bálaam prænuntiatiónibus commonéri; ſcientes olìm eſſe prædictum, & célebri memóriâ diffamátum: Oriétur ſtella ex Jacob, & exurget homo ex Iſrael, & dominábitur géntium. Tres ítaque viri, fulgóre insóliti síderis divínitùs incitáti, prævium micantis lúminis curſum ſequuntur, exiſtimantes ſe ſignificátum Púerum Jeroſólymis in civitáte régia repertúros. Sed, cùm eos hæc opínio fefelliſſet, per Judæórum Scribas atque Doctóres, quod ſacra de ortu Chriſti prænuntiáverat Scriptúra, didicérunt: ut gémino teſtimónio confirmáti, ardentióri fide expéterent, quem & ſtellæ cláritas & Prophetíæ manifeſtábat auctóritas.

℞. Videntes, *pag.* 331.

Lectio vj.

PRoláto autem divíno oráculo per reſponſa Pontíficum, & declarátâ Spíritûs voce quæ dicit: Et tu, Béthlehem terra Juda, non es mínima inter príncipes Juda; ex te enim éxiet dux qui regat pópulum meum Iſrael: quàm fácile, & quàm cónſequens fuit ut Hebræórum próceres créderent quod docébant! Sed appáret illos carnáliter cum Heróde ſapuiſſe, & regnum Chriſti commúne cum hujus mundi po-

teſtátibus æſtimaſſe: ut & iſti temporálem ſperárent ducem, & terrénum metúeret ille conſortem. Supérfluo, Heródes, timóre turbáris; & fruſtrà in ſuſpectum tibi Púerum ſævíre molíris. Non capit Chriſtum régio tua; nec mundi Dóminus poteſtátis tuæ ſceptri eſt contentus angúſtiis. Quem in Judæa regnáre non vis, ubíque regnat: & felíciùs ipſe regnáres, ſi ejus império ipſe ſubdéréris.

℟. Magi, *pag.* 332.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Benedictum nomen glóriæ tuæ ſanctum, & laudábile in ómnibus ſéculis: benedictus es in throno regni tui. *Dan.* 3.

℣. Pópuli confitebúntur tibi, Deus, ℟. In ætérnum & in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 44.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Puer creſcébat & confortabátur, plenus ſapiéntiâ; & grátia Dei erat in illo. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Hom. in hoc Ev. inter Hiem.

QUòd Dóminus per omnes annos cum paréntibus in Paſcha Jeroſólymam venit, humánæ nimírùm eſt humilitátis indícium. Hóminis eſt namque ad offerenda Deo ſacrificiórum ſpirituálium vota concúrrere, & auctórem ſuum oratiónibus lacrymíſque ſibi conciliáre profúſis. Fecit ergo Dóminus inter hómines homo natus, quod faciendum homínibus per Angelos imperáverat Deus. Servávit ipſe legem quam dedit; ut nobis qui puri hómines ſumus, ſervandum per ómnia quidquid Deus jubet, oſténderet. Sequámur ígitur iter humánæ converſatiónis ejus, ſi deitátis glóriam delectámur intuéri. Quòd ipſe duodennis in templo ſedit in médio Doctórum aúdiens & intérrogans illos, humánæ eſt humilitátis indícium: imò étiam exímium diſcendæ humilitátis exemplum. Dei quippe virtus, Dei ſapiéntia ætérna quæ divínitùs lóquitur: Ego Sapiéntia hábito in consílio; ipſa hómine indúta ad audiendos hómines adveníre dignáta eſt; ut nimírùm homínibus, quamvis ſummo ingénio prædítis, neceſſáriam diſcendi verbi formam prærogáret.

℟. Remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognovérunt parentes ejus; & poſt tríduum * Invenérunt illum in templo ſedentem in médio Doctó-

rum, audientem illos, & interrogantem eos. ℣. Sapiéntia in médio pópuli ſui gloriábitur, & in Eccléſiis Altíſſimi apériet os ſuum. * Invenérunt illum. *Luc.* 2. *Eccli.* 24.

Lectio viij.

STupébant autem omnes qui eum audiébant. Qui enim idem verus homo & verus erat Deus, ad oſtendendum quia homo erat, hómines magiſtros humíliter audiébat; &, ad comprobandum quia Deus erat, eiſdem loquéntibus ſublímiter reſpondébat. Quòd autem rédiens Názareth, erat súbditus paréntibus, humánæ eſt veritátis indícium, ſimúlque humilitátis exemplum. In ea námque natúra súbditus erat homínibus, in qua minor eſt Patre: in illa autem in qua ipſe & Pater unum ſunt, in qua non ex témpore vadit ad Patrem, ſed ſemper in ipſo eſt; Omnia per ipſum facta ſunt, & ipſe eſt ante omnes.

℟. Stupébant omnes qui Jeſum audiébant, ſuper prudéntia & reſponſis ejus: * Et videntes parentes Jeſu admiráti ſunt. ℣. Sapiéntia in plenitúdine ſancta admirábitur, & in multitúdine electórum habébit laudem. * Et videntes. Glória. * Et videntes. *Luc.* 2. *Eccli.* 24.

Lectio ix.

ET mater ejus conſervábat omnia verba hæc, cónferens in corde ſuo. Omnia quæ de Dómino, vel à Dómino dicta, ſive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntiùs in corde retinébat, ſollícitè cuncta memóriæ commendábat; ut, cùm demùm tempus prædicándæ, ſive ſcribendæ Incarnatiónis ejus adveníret, ſufficienter univerſa, prout eſſent geſta, poſſet explicáre quæréntibus. Imitémur & nos, fratres mei, piam Dómini Matrem: ipſi quoque ómnia verba & facta Dómini, ac Salvatóris noſtri fixa in corde conſervando, horum meditatióne diurnâ & nocturnâ importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incurſus: horum crebrâ collatióne & nos & próximos noſtros à fábulis ſupervácuis, & malè dulcorátis detractiónum collóquiis caſtigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Omnia ut in die Epiphaniæ, pag. 334. *exceptis quæ ſequuntur.*

Ad Bened. *Ant.* 5. C. Deſcendit cum paréntibus (Jeſus) & venit Názareth: & erat súbditus illis. *Luc.* 2.

Oratio.

VOta, quæſumus, Dómine, ſupplicantis pópuli cœleſti pietáte proſéquere; ut & quæ agenda ſunt, vídeant, & ad implenda quæ víderint, convaleſcant; Per Dóminum.

Non ſit alia Commemoratio Epiphaniæ.

AD HORAS.

Omnia ut in die Epiphaniæ, pag. 335.

Non dicitur Symbolum Quicumque, *ad Primam.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de ref. Matr. c. 1.

QUi áliter quàm præſente Párocho, vel álio Sacerdóte, de ipsíus Párochi ſeu Ordinárii licéntiâ, & duóbus vel tribus téſtibus, matrimónium contráhere attentábunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnínò inhábiles reddit: & hujúſmodi contractus írritos & nullos eſſe decernit, proùt eos præſenti decréto írritos facit & annullat.

AD VESPERAS.

(*Niſi hæc Dominica concurrat cum I. Veſperis diei Octavæ Epiphaniæ.*)

Pſalmi de Dominica, Antiphonæ, Capitulum, Hymnus. ℣. *de II. Veſp. diei Epiphaniæ, pag. 336. & ſequent.*

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Jeſus proficiébat ſapiéntiâ & ætáte & grátiâ apud Deum & hómines. *Luc.* 2.

Oratio ſuprà ad Laudes.

Non ſit alia Commemoratio Epiphaniæ.

AD COMPLET. ut in Die, pag. 338.

DIEBUS intra Octavam EPIPHANIÆ.

Semiduplex.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria in toto Officio.

AD NOCTURNUM.

Invit. Chriſtum in carne manifeſtátum, * Veníte, adorémus. *I. Timoth.* 3.

Pſ. Veníte, *pag.* 2.

Hymn. Vatum, *pag.* 327.

Ant. 5. a. Ecce teſtem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. *Iſ.* 56.

Ant. 8. c. Relinquent gentes idóla ſua & vénient; & gaudébunt adorantes Regem Iſrael. *Tob.* 14.

Ant. 7. d. Tuum, Dómine, regnum; & tu es ſuper omnes príncipes. *I. Par.* 29.

℣. *è Nocturno diei, juxta Feriam; id eſt Feriâ ij. & v. è I. Nocturno. Feriâ iij. & vj. è II. Noct. Feriâ iv. & Sabbato è III. Noct.*

Lectio j. ante Dominicam intra Octavam ſumitur de Epiſt. ad Romanos; poſt Dominicam, de Epiſt. I. ad Corinth. Lectio ij. & iij. habentur infrà pro unaquaque die.

℟℟. *primum & ultimum, ex uno de Nocturnis diei, juxta Feriam.*

AD LAUDES.

Canticum, Laudáte, cœli. *pag.* 334.

Antiph. ſola Ut oſténderet, *quæ eſt quarta de Laudibus Diei.*

Ant. Ad Bened. *infrà pro qualibet die. Oratio ut in Die.*

AD HORAS.

Omnia ut in Die, excepto Canone ad Primam, qui ſumitur undè ſumpta eſt Scriptura occurrens.

AD VESPERAS.

Antiphona prima de II. Veſperis Feſti, pag. 336.

Ant. ad Magníf. *ut infrà pro qualibet die.*

Ad Complet. ut in Die. pag. 338.

Die vii. Januarii.

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 10.

Corde créditur ad juſtítiam; ore autem confeſſio fit ad ſalútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim eſt diſtínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum: omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit. Quómodò ergo invocábunt in quem non credidérunt? aut quómodò credent ei quem non audiérunt? quómodò autem aúdient ſine prædicante? quómodò verò prædicábunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio; Iſaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui noſtro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Chriſti. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico: Numquid Iſrael non cognóvit? Primus Móyſes dicit: Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem: in gentem inſipientem in iram vos mittam. Iſaías autem audet, & dicit: Inventus ſum à non quæréntibus me: palàm appárui iis qui me non interrogábant. Ad Iſrael autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad pópulum non credentem, & contradicentem.

Sermo ſancti Máximi Epíſcopi.

Hom. 1. in Epiph.

Lectio ij.

IN hac, dilectíſſimi, celebritáte, ſicut relátu patérnæ traditiónis inſtrúimur, multíplici nobis eſt feſtivitáte lætandum. Ferunt enim hódie Chriſtum Dóminum noſtrum, vel ſtellâ duce à géntibus adorátum; vel, invitátum ad núptias aquas in vina vertiſſe; vel, ſuſcepto à Joanne Baptíſmate, conſecraſſe fluenta Jordánis, ſuúmque ſimul purificaſſe Baptiſtam. Sed quid potíſſimùm præſenti hoc factum ſit die, nóverit ipſe qui fecit; nos tamen crédere, nec dubitáre debémus, quidquid illud eſt, factum eſſe pro nobis. Nam quòd eum fulgentióris ſtellæ rádiis incitáti adoravére Chaldæi, Deum verum Géntibus ſpes data eſt adorandi. Quòd aquæ novo ſunt órdine in vina mutátæ, novi nobis póculi prælibátum eſt ſacramentum. Quòd autem baptizátus eſt Agnus Dei, regenerantis baptiſmi ſalutáre nobis munus eſt dedicátum. Et quàm rectè tria hæc nobis uno acta in die myſtéria prædicantur, qui ineffábilis Trinitátis arcánum uno Dei ſub nómine confitémur! Per hæc ergo mirácula Chriſtus Dóminus, Redemptórque noſter, óculis ſe vóluit reveláre mortálium, quátenùs inviſíbilis ejus divínitas quæ latébat in hómine, in ópere non latéret.

De ſancto Thillone.

Lectio iij.

THillo, paréntibus infidélibus in Saxónia natus, puer à prædónibus captus eſt; & trans Rhenum vénditus, ipsâ ſervitúte veram ánimæ libertátem comparávit. Cùm enim in poteſtátem ſancti Elígii deveniſſet, ab eo ſtatim in Solemniacenſe monaſtérium miſſus eſt divínis & humánis líтteris informandus: undè non multò pòſt edúctus, & auri fábricam edoctus, ipſi morum continéntiâ & artis perítiâ fuit acceptíſſimus. Dómino ſuo ad Noviomenſem Epiſcopátum electo adhæſit comes indivíduus, Presbytérque conſecrátus eumdem in colluſtrandis luce Evangélicâ váriis pópulis egrégiè adjúvit. Rolláriis præſertìm & Iſengénii non longè à Corttráco enítuit ejus indúſtria, hodiéque ibídem célebris eſt ejus labórum memória. Elígio ad meliórem vitam tranſláto, apud Solemníacum monáſticam vitam amplexus eſt; ac pòſteà, permittente Gundeberto Ab-

báte, in prærupris Arvernórum rúpibus, monachórum Ægyptiórum ſolitúdinem & abſtinéntiam ſic eſt imitátus, ut Paulus Occidentis fúerit appellátus. Cilício ad nudam carnem adhíbito, oléribus ac crudis frúctibus ſemel in die poſt ſolis occáſum, pane ad ſummum bis in hebdómada corpus utcúmque ſuſtentans, ánimum contínuâ rerum cœléſtium meditatióne paſcébat. Demùm nonagenário major Viviáni, non procul à Solemníaco, vitam méritis plenam beáto fine clauſit, & in majóri Solemniacenſis Basílicæ cryptâ ab Ermeno Lemovicenſi Antíſtite ſepultus eſt.

Ad Bened. *Ant.* 2. d. Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & fæces Iſrael convertendas: ecce dedi te in lucem géntium. *Iſ.* 49.

Fit Comm. S. Thillonis, Antiph. Mihi mundus. ℣. Cogitávi. *Orat.* Deus, qui nos ádmones. *pag.* lviij.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Seſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 10.

AB Adventu Dómini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphániæ, & à Féria quarta Cínerum uſque in Octávam Páſchatis inclusívè, antíquas ſolémnium nuptiárum prohibitiónes diligenter ab ómnibus ſervári ſancta Synodus præcipit: in áliis verò tempóribus núptias ſolémniter celebrári permittit: quas Epíſcopi, ut eâ quâ decet modéſtiâ & honeſtáte fiant, curábunt: ſancta enim res eſt Matrimónium, & ſanctè tractandum.

Ad Magníf. *Ant.* 1. a. Póſui te in lucem géntium, ut ſis in ſalútem uſque ad extrémum terræ. *Act.* 13.

Fit Commemoratio ſancti Luciani Presbyteri & Martyris, Ant. Qui vícerit. ℣. Juſtus. *in Communi unius Mart. pag.* ix. *Oratio,* Majeſtátem. *ut infrà.*

Die viii. Januarii.

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.
Lectio j. Cap. 11.

VObis dico géntibus: Quámdiù quidem ego ſum géntium Apóſtolus, miniſtérium meum honorificábo, ſi quo modo ad æmulandum próvocem carnem meam, & ſalvos fáciam áliquos ex illis. Si enim amíſſio eórum reconciliátio eſt mundi; quæ aſſúmptio, niſi vita ex mórtuis? Quòd ſi delibátio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. Quòd ſi áliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm olea-

ſter eſſes, inſertus es in illis, & ſócius radícis & pinguédinis olívæ factus es, noli gloriári adversùs ramos. Quòd ſi gloriáris, non tu radícem portas, ſed radix te. Dices ergo: Fracti ſunt rami, ut ego ínſerar. Benè; propter incredulitátem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſápere, ſed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepercit; ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitátem & ſeveritátem Dei: in eos quidem qui cecidérunt, ſeveritátem; in te autem bonitátem Dei, ſi permánſeris in bonitáte: alióquin & tu excidéris. Sed & illi, ſi non permánſerint in incredulitáte, inſerentur: potens eſt enim Deus íterùm insérere illos.

Ex libro ſancti Irenæi Epiſcopi & Mártyris, adversùs Hæreſes.

Lib. 3. *Cap.* 10. *Lectio ij.*

MAtthæus Magos ab Oriente venientes ait dixiſſe: Vídimus enim ſtellam ejus in Oriente, & vénimus adoráre eum: deductóſque à ſtella in domum Jacob ad Emmánuel, per ea quæ obtulérunt múnera oſtendiſſe quis erat qui adorabátur. Myrrha quidem; quòd ipſe erat, qui pro mortáli humáno génere morerétur & ſepelirétur; Aurum verò; quóniam Rex, cujus regni finis non eſt. Thus verò; quóniam Deus, qui & nótus in Judæa factus eſt, & manifeſtus eis qui non quærébant eum.

De ſancto Luciano.

Lectio iij.

LUciánus Présbyter, in Gállias eódem, quo ſanctus Quintínus, témpore áppulit: eunte verò ad Ambiános Quintíno, Bellóvacos pétiit Luciánus; ubi pópulos ſuperſtitiónibus Gentílium obcæcátos ad veræ religiónis lumen adduxit, & ſacra Deo altária erexit. Véhemens ídeò gentílium in ſe concitávit ódium: & ſæviente in Chriſtiános Diocletiáno, cùm in illa immáni ſtrage Maximiánum & Juliánum, quos Baptiſmo ablúerat, gládio interemptos accepiſſet, líberè Chriſtum, & ubíque prædicáre non déſtitit; donec eódem quo ſancti Mártyres, judício damnátus, eamdem in cœlo laúream eſt adeptus. Poſt multos annos corpus ejus in terra abſcónditum ſanctus Elígius, poſtquàm Epíſcopus factus eſt, invénit; ejúſque ſepulcrum auro, argento & gemmis eleganter ornávit; ad quod póſteà mirácula multa édita ſunt.

Ad Bened. *Ant.* 1. D In die illa ſuſcitábo taber-

náculum David, quod cécidit; & reædificábo illud ſicut in diébus antíquis, ut poſsídeant omnes natiónes. *Amos*, 9.

Fit Commem. S. Luciani, *Ant.* Bonum certámen. ℣. Cantábo. *p.* xv. *&* xiv.

Oratio.

MAjeſtátem tuam, Dómine, ſupplices deprecámur ut, ſicut agnitiónem Unigéniti tui, per beáti Mártyris tui Luciáni prædicatiónem, populórum córdibus infudiſti, ita & nos, ipsíus opitulántibus méritis, fidei ſtabilitáte firmémur; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 24. *de Sacram. Matr. Can.* 1.

SI quis díxerit Matrimónium non eſſe verè & próprié unum ex ſeptem legis Evangélicæ Sacramentis, à Chriſto Dómino inſtitútum, ſed ab homínibus in Ecclésia inventum, neque grátiam conferre; anáthema ſit.

Ad Magníf. *Ant.* 4. E. Erigam tabernáculum David, ut requírant céteri hóminum Dóminum, & omnes gentes ſuper quas invocátum eſt nomen meum. *Act.* 15.

Pro Commem. S. Vaningi, *Ant.* Omnis. ℣. In omine. *ut in Communi Juſtorum. p.* lxj. *&* lx. *Oratio*, Præſta, quæſumus, *p.* lxvij.

DIE IX. JANUARII.

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 11.

NOlo vos ignoráre, fratres, myſtérium hoc, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes: quia cæcitas ex parte cóntigit in Iſrael, donec plenitúdo géntium intráret; & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Véniet ex Sion qui erípiat, & avertat impietátem à Jacob: &, Hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtúlero peccáta eórum. Secundùm Evangélium quidem inimíci propter vos: ſecundùm electiónem autem caríſſimi propter patres; ſine pœniténtia enim ſunt dona, & vocátio Dei. Sicut enim aliquandò & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericórdiam conſecúti eſtis propter incredulitátem illórum: ita & iſti nunc non credidérunt in veſtram miſericórdiam; ut & ipſi miſericórdiam conſequantur. Conclúſit enim Deus ómnia in incredulitáte: ut ómnium miſereátur. O altitúdo divitiárum ſapiéntiæ & ſciéntiæ Dei! quàm incomprehenſibília ſunt judícia ejus, & inveſtigábiles viæ ejus! Quis

enim cognóvit ſenſum Dómini? aut quis conſiliárius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuétur ei? Quóniam ex ipſo, & per ipſum & in ipſo, ſunt ómnia: ipſi glória in ſécula: Amen. Tu autem, Dómine.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 200. Lectio ij.

AD partum Vírginis adorandum Magi ab Oriente venérunt: magnum ſacramentum. In præſépi Chriſtus jacébat, & Magos ab Oriente ducébat: abſcondebátur in ſtábulo, & agnoſcebátur in cœlo; ut ágnitus in cœlo, manifeſtarétur in ſtábulo, & appellarétur Epiphanía dies iſte, quod Latínè Manifeſtátio dici poteſt. Simul ejus celſitúdinem humilitatémque commendans, ut qui in aperto cœlo ſignis ſidéreis monſtrabátur, in anguſto diverſório quæsítus inveniréturː inválidus infantílibus membris, involútus infantílibus pannis, adorarétur à Magis, timerétur à malis. Tímuit enim eum rex Heródes, eiſdem ſibi Magis nuntiántibus, cùm adhuc quærerent párvulum quem cognóverant, cœlo teſte, jam natum. Quid erit tribúnal judicantis, quandò ſuperbos reges cunæ terrébant infantis?

De ſancto Vaningo.

Lectio iij.

VAningus, in agro Rotomagenſi circa inítium ſéptimi ſéculi natus, natálium ſplendórem ánimi nobilitáte ſuperávit: in eo enim, vel puérulo, refulgébant omnes eæ virtútes quæ puerílem ætátem Deo commendant & homínibus. Grándior factus ad aulam acceſſit, fuítque impensè carus Clotário tértio, qui ſapientiſſimis ejus consíliis uſus, rem Fráncicam ſummâ cum laude adminiſtrávit, ipsúmque præfécit Caletenſi Províneiæ, quæ erat ex eo témpore máxima: quo in múnere quàm eſſet juſtítiæ díligens oſtendit. Virórum bonórum, maximéque Audoéni, Rotomagenſis Epíſcopi & Wandregíſili Fontanellenſis Abbátis, hóminum ſanctiſſimórum conſuetúdine delectabátur incredibíliter. Opes quas habébat amplíſſimas, cóntulit paupéribus alendis, & monaſtériis ædificandis ac dotandis. Fontanellenſi monaſtério, cui jam multa prædia déderat, dedit & fílium quem habébat únicum, Deſiderátum nómine, qui cùm ſub diſciplina ſancti Wandregíſili adoleviſſet, eò ſanctitátis pervénit, ut ſanctórum número ſit aſcriptus. Fiſcan-

nenſe monaſtérium conſtruxit & magníficè dotávit, in eóque ſanctimoniáles plusquàm trecentas congregávit, & quod vitæ ſupérfuit, illud totum dicávit ſanctæ hujus famíliæ ſervitúti. Exútâ mortalitáte, ibídem ſepultus eſt, & ſummâ veneratióne cultus. Bellis Normánnicis ejus relíquiæ in Diœcéſim Noviomenſem delátæ, non procul ab Hamo quievérunt, quæ Cívitas multis jam ſéculis ejus patrocínio gloriátur, & munítur relíquiis.

Ad Bened. *Ant.* 5. C. Adorábunt veſtígia pedum tuórum omnes qui detrahébant tibi. *Iſaï.* 60.

Pro Commem. S. Vaningi. Ant. Propter. ℣. In juſtítia. *Oratio.* Præſta, quæſumus. *in Communi Juſtorum. pag.* lxvij.

CANON.

Ex Concílio Remenſi.

Ann. 1583. *tit. de Matr. n.* 1.

MAtrimónii quanta ſit dígnitas, rátio Sacramenti ab Apóſtolo explicáta non obſcúrè insínuat: quanta verò in hujúſmodi fœdere conciliando hódie ſit hóminum pervérſitas, vel ipſa plus ſatìs docet experiéntia.

Ad Magníf. *Ant.* 8. g. Inventus ſum à non quæréntibus me: palàm appárui iis qui me non interrogábant. *Rom.* 10.

Commem. S. Pauli Eremitæ. Antiph. Habitábit. ℣. Pingueſcent. *pag.* lij. *Oratio.* Deus, qui nos ánnuâ. *pag.* lviij.

Die x. Januarii.

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 12.

OBſecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora veſtra hóſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationábile obséquium veſtrum. Et nolíte conformári huic ſéculo, ſed reformámini in novitáte ſensûs veſtri; ut probétis quæ ſit volúntas Dei bona, & beneplácens, & perfecta. Dico enim, per grátiam quæ data eſt mihi, ómnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſápere quàm oportet ſápere, ſed ſápere ad ſobrietátem: & unicuíque ſicut Deus divíſit mensûram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſínguli autem alter altérius membra.

Sermo ſancti Auguſtini Epíſcopi.

Serm. 200. *aliàs* 30. *de tempore.*

Lectio ij.

HÆc Magórum illuminátio magnum teſtimónium cæcitátis éxtitit Judæórum. In terra eórum iſti requirébant quem illi in ſua non agnoſcébant. Apud eos iſti infantem invenérunt, quem illi apud ſe docentem negavérunt. In his terris de longinquo iſti peregríni púerum Chriſtum nondùm verba promentem adoravérunt, ubi cives illi júvenem mirácula faciéntem crucifixérunt. Iſti in membris parvis Deum agnovérunt, illi in factis magnis, nec tanquàm hómini pepercérunt: quaſi plus fúerit vidére novam ſtellam in ejus nativitáte fulgentem, quàm ſolem ejus in morte lugentem.

De ſancto Paulo Eremita.

Lectio iij.

PAulus, Eremitárum auctor & magiſter, apud inferiórem Thebáidem natus, cùm quíndecim eſſet annórum, paréntibus orbátus eſt. Declinandæ causâ perſecutiónis Décii & Valeriáni, & Deo libériùs inſerviendi, in erémi ſpeluncam ſe cóntulit; ubi, palmâ ei victum & veſtitum præbente, vixit ad centéſimum & décimum tértium annum: quo témpore ab António nonagenário, Dei admónitu inviſitur. Qui cùm própriis ſe nomínibus, licèt ántea ſibi ínvicem ignóti, ſalutaſſent, gratiáſque Dómino in commúne retuliſſent, corvus qui ab annis ſexaginta Paulo dimidiátum panem quotídie afferébat, eis íntegrum détulit. Quare, cum gratiárum actióne ad fontem capientes cibum, ubi tantiſper recreáti ſunt, noctem in divínis laúdibus conſumpsérunt. Dilúculo Paulus de morte quæ ſibi inſtáret, ádmonens Antónium, hortátur ut pállium quod ab Athanáſio accéperat, ad involvendum ſuum corpus afferret. Quo ex itínere rédiens ille, vidit inter Angelórum choros, inter Prophetárum & Apoſtolórum cœtus, Pauli ánimam in cœlum aſcéndere. Cúmque ad ejus cellam perveniſſet, invénit génibus complicátis, erectâ cervíce, extensíſque in altum mánibus, corpus exánime: quod pállio obvolvens, hymnóſque & pſalmos ex Chriſtiána traditióne decantans, in fóveam à duóbus leónibus qui cò accúrrerant, effoſſam, ſanctum corpus íntulit; &, injectâ humo, túmulum ex Chriſtiáno mo-

re compóſuit: túnicam verò Pauli, quam in ſportæ modum ex palmæ fóliis ille ſibi contexúerat, ſecum aúferens, eo veſtitu diébus ſolémnibus Paſchæ & Pentecoſtes, quoad vixit, uſus eſt.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Ait Dóminus: Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, & erunt mihi in pópulum. *Zach.* 2.

Commemoratio S. Pauli. Ant. Mihi mundus. ℣. Cogitávi. *Oratio.* Deus, qui nos ánnuâ, *ut in Communi. pag.* lviij.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. *decret. de reform. Matrim. cap.* 1.

SAcri Lateranenſis Concílii veſtígiis inhærendo, ſancta Synodus præcipit ut in póſterum, ántequàm Matrimónium contrahátur, ter à próprio contrahéntium Párocho, tribus contínuis diébus Feſtívis in Eccléſia inter Miſſárum ſolémnia públicè denuntiétur, inter quos Matrimónium ſit contrahendum: quibus denuntiatiónibus factis, ſi nullum legitimum opponátur impedimentum, ad celebratiónem Matrimónii in fácie Eccléſiæ procedátur.

Ad Magníf. *Ant.* 4. d. Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11.

DIE XI. *JANUARII.* DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 14.

INfirmum in fide aſſúmite, non in diſceptatiónibus cogitatiónum: álius enim credit ſe manducáre ómnia: qui autem infirmus eſt, olus mandúcet. Is qui mandúcat, non manducantem non ſpernat: & qui non mandúcat, manducantem non júdicet: Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui júdicas aliénum ſervum? Dómino ſuo ſtat aut cadit: ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatúere illum. Nam álius júdicat diem inter diem; álius autem júdicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Qui ſapit diem, Dómino ſapit: & qui mandúcat, Dómino mandúcat; grátias enim agit Deo. Et qui non mandúcat, Dómino non mandúcat, & grátias agit Deo. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi móritur: ſive enim vívimus, Dómino vívimus; ſive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, ſive mórimur, Dómini ſumus. In hoc enim Chriſtus mórtuus eſt & reſurrexit,

ut & mortuórum & vivórum dominétur. Tu autem quid júdicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtábimus ante tribúnal Chriſti; ſcriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dóminus: Quóniam mihi flectétur omne genu, & omnis lingua confitébitur Deo.

Sermo ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

In Epiph. Serm. 5.

Lectio ij.

TRáditum tenémus à Pátribus, quòd Unigénitus Dei, poſtquàm eſt ſecundùm carnem temporáliter natus, in iſto die eſt Magis veniéntibus manifeſtátus; à quibus, oblátis munéribus, ſupplíciter eſt adorátus. Quid eſt, dulcíſſimi fratres, ut iſti Magi Regem Judæórum adorandum quærerent, cùm ipſi Judæi non eſſent? Et quem Regem? útique non Heródem, ſed Chriſtum. De Heróde filii jam fuerant nati, qui erant, patre mórtuo, regnatúri: mórtuo Heróde, Archeláus regnávit: Archeláus natus eſt in palátio, Chriſtus in diversório: Archeláus natus, in lecto eſt argénteo póſitus; Chriſtus autem natus, in præſépio eſt brevíſſimo collocátus: & tamen ille natus in palátio, contémnitur; iſte natus in diversório, quæritur: ille à Magis nullátenùs nominátur; iſte inventus ſupplíciter adorátur.

Lectio iij.

QUis eſt iſte Rex Judæórum? Pauper & dives; húmilis & ſublímis: qui portátur ut párvulus, adorátur ut Deus: párvulus in præſépio, immenſus in cœlo: vilis in pannis, pretióſus in ſtellis. Quid eſt quòd ſic turbáris, Heródes? Rex iſte qui natus eſt, non venit reges pugnando ſuperáre, ſed moriendo mirabíliter ſubjugáre: nec ídeò natus eſt ut tibi ſuccédat, ſed ut in eum mundus fidéliter credat. Venit ergo, non ut pugnet vivus, ſed ut triumphet occíſus. Puer qui nunc à Magis dícitur Rex Judæórum, idem Creátor eſt & Dóminus Angelórum. Quapropter cujus times infántiam naſcentis, magìs timére debes omnipoténtiam judicantis. Noli ergo eum timére regni tui ſucceſsórem, ſed time infidelitátis tuæ juſtíſſimum damnatórem.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Ecce ego declinábo ſuper Jeruſalem quaſi flúvium pacis, & quaſi torrentem inundantem glóriam géntium. *Iſaï.* 66.

CANON.

Ex Concílio Remenſi.

Ann. 1583. *tit. de Matrim. num.* 8.

DIes áliquos infortunátos ſeu infauſtos Matrimónio eſſe, putáre; non mínimum ſuperſtitiónis genus eſſe, pópulo ſignificétur.

Ad Magníf. *Ant.* 1. f. Scriptum eſt: Confitébor tibi in géntibus, Dómine; & íterùm: Lætámini, gentes, cum plebe ejus. *Rom.* 15.

Die xii. Januarii.

DE OCTAVA.

¶ *Si ſit Sabbatum, fiet Officium de Dominica intra Octavam, ſub ritu Semiduplici, ut ſequitur:*

Invit. Chriſtum in carne manifeſtátum. * Veníte, adorémus. *I. Timoth.* 3.

Hymn. Vatum dicta. *pag.* 327. *Pſalmi de Sabb. ſub tribus Antiph. quæ ſequuntur.*

Ant. 2. D. O Rex géntium! inter cunctos ſapientes & in univerſis regnis nullus eſt ſímilis tuî. *Jerem.* 10.

Ant. 1. a. Factum eſt regnum hujus mundi, Dómini noſtri, & Chriſti ejus. *Apoc.* 11.

Ant. 3. *a.* Benedictum nomen glóriæ tuæ ſanctum, & laudábile in ómnibus ſéculis: benedictus es in throno regni tui. *Dan.* 5.

℣. Pópuli confitebuntur tibi, Deus, ℟. In æternum, & in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 44.

Lect. j. de Script. occur.

Lect. ij. de Sermone S. Bernardi. Hódie Magi. *infrà. (una tantùm legetur.)*

Lect. iij. de Evangelio Dominicæ cum prima Lectione Homiliæ, omiſſis duabus ſequentibus. ℟℟. *III. Noct. ejuſd. Domin.* Remanſit... Stupébant omnes. *pag.* 340. & 341.

Cetera omnia, præter Pſalmos, ut notatur pro ead. Dominica, uſque ad II. Veſp. quæ erunt integrè primæ Veſperæ diei Octavæ, ſine Commem. Dominicæ.

Epiſtola verò ad Corinth. quæ ponitur in Dominica, inchoatur ipſâ die Octav. Epiphaniæ.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 14.

UNuſquiſque noſtrûm pro ſe ratiónem reddet Deo. Non ergo ámpliùs ínvicem judicémus: ſed hoc judicáte magìs, ne ponátis offendículum fratri, vel ſcándalum. Scio & confído in Dómino Jeſu, quia nihil commúne per ipſum; niſi ei qui exíſtimat quid commúne eſſe, illi commúne eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtátur: jam non ſecundùm caritátem ám-

bulas. Noli cibo tuo illum pérdere pro quo Chriſtus mórtuus eſt. Non ergo blaſphemétur bonum noſtrum: non eſt enim regnum Dei eſca & potus; ſed juſtítia, & pax & gaúdium in Spíritu ſancto. Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probátus eſt homínibus. Itaque quæ pacis ſunt, ſectémur; & quæ ædificatiónis ſunt, in invicem cuſtodiámus. Noli propter eſcam deſtrúere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda; ſed malum eſt hómini qui per offendículum mandúcat. Bonum eſt non manducáre carnem, & non bíbere vinum, neque in quo frater tuus offénditur, aut ſcandalizátur, infirmátur. Tu fidem habes: penes temetipſum habe coram Deo. Beátus qui non júdicat ſemetipſum in eo quod probat! Qui autem diſcernit, ſi manducáverit, damnátus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccátum eſt.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 1. de Epiphania Domini.

Lectio ij.

HOdiè Magi ab Oriente venérunt, ortum ſolem Juſtítiæ requirentes eum de quo légitur: Ecce vir: Oriens nomen illi. Hódiè adoravérunt novum Vírginis partum, ſequentes síderis ductum. Quid fácitis, ô Magi? quid fácitis? Lactentem púerum adorátis? in tugúrio vili? in vílibus pannis? Ergone Deus eſt iſte? Deus certè in templo ſancto ſuo; Dóminus in cœlo ſedes ejus: & vos eum quæritis in vili ſtábulo? in Matris grémio? Quid fácitis quòd & aurum offertis? Ergo Rex eſt ipſe? At ubi aula régia? ubi thronus? ubi cúriæ regális frequéntia? Numquid aula eſt ſtábulum? thronus præsépium? Cúriæ frequéntia, Joſeph & María?

Lectio iij.

NOnne timendum erat, fratres, ne ſcandalizarentur viri iſti, & illúſos ſe créderent, cùm tam indigna vidérent? A régia civitáte, ubi Regem quærendum conjectábant, ad Béthlehem villam párvulam diriguntur: ingrediuntur ſtábulum, invéniunt involútum pannis infántulum. Non illis ſordet ſtábulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infántiâ: prócidunt, venerantur ut Regem, adórant ut Deum: ſed profectò qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit: & qui per ſtellam foris admónuit, ipſe in occulto cordis edócuit.

Hæc ígitur Dómini declarátio clarificávit hanc diem: & Magórum devóta venerátio, devótam fecit & venerábilem.

Ad Bened. *Ant.* 7. *d.* Jerúſalem, ſuges lac géntium, & mamillâ Regum lactáberis; & ſcies quia ego Dóminus ſalvans te. *Iſ.* 60.

CANON.

Ex Concílio Senonenſi. *Ann.* 1528. *decr. morum.* 39.

PRohibémus ne in ſponſálibus, aut nuptiáli benedictióne fiant riſus, cachinnatiónes, aut ália rídicula verba enuntientur; quin imò moneantur affidáti, quátenùs jejúni, contríti & confeſſi, ac cum multa reveréntia ad hoc Sacramentum accédant.

Die xiii. Januarii.

OCTAVA EPIPHANIÆ, & Baptiſmus Domini.

Duplex III. Claſſis.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria, & ſic in toto Officio.

Antiphona, 8. *toni*, g.

ERit fons patens habitántibus Jerúſalem in ablutiónem peccatóris. *Zach.* 13.

Ant. 2. D. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinamentis veſtris. *Ezech.* 36.

Ant. 3. a. Dabo vobis cor novum, & aúferam cor lapídeum de carne veſtra, & dabo vobis cor cárneum: & Spíritum meum ponam in médio veſtrî. *Ezech.* 36.

Ant. 4. E. Fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea cuſtodiátis & operémini. *Ezech.* 36.

Ant. 5. a. Eritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum, & ſalvábo vos. *Ezech.* 36.

Capitulum. Joël. 3.

ERit Jerúſalem ſancta, & aliéni non transíbunt per eam ámpliùs: & erit in die illa: Stillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte; & per omnes rivos Juda íbunt aquæ: & fons de domo Dómini egrediétur, & irrigábit torrentem ſpinárum.

Hymnus.

CLAMANTIS ecce vox ſonans
Deſerta Judææ quatit:
Mox ad Joannem cónfluunt,
Quos críminum moles gravat.

EN ipſe permiſtus reis,
Accédit Agnus innocens:
Agnus, ſuo qui ſánguine
Delébit orbis crímina.

SUB nube carnis at ſuum
Lucerna Solem détegit:
Lymphis nec audet tíngere,
A quo lavári débuit.

PARERE ſed fas eſt Deo;
Et quando ſeſe déprimit:
Hunc omne virtútum genus

Impléré nempè ſic decet.

Agnosce, præcurſor, tibi
Intùs revélat quem Deus:
Tu mergis undis córpora,
Hic corda mundat Spíritu.

Mundi ſcelus qui díluis,
Jeſu, tibi ſit glória
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſǽcula.
Amen.

℣. Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; ℟. Sémitæ tuæ in aquis multis. *Pſ.* 76.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Erit dies una, quæ nota eſt Dómino, & exíbunt aquæ vivæ de Jerúſalem: & erit Dóminus Rex ſuper omnem terram. *Zach.* 14.

Oratio infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Jeſum qui baptízat in Spíritu ſancto, * Veníte, adorémus. *Joann.* 1.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymn. Clamantis, *p.* 355.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Terra erat inánis & vácua, & ténebræ erant ſuper fáciem abyſſi; & Spíritus Dei ferebátur ſuper aquas. *Gen.* 1.

Ant. 5. a. Fons aſcendébat è terra írrigans univerſam ſuperfíciem terræ. *Gen.* 2.

Ant. 4. f. Flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigandum Paradíſum. *Gen.* 2.

℣. Flabit ſpíritus ejus, ℟. Et fluent aquæ. *Pſ.* 145.

Lectiones ſumentur de Epiſtola prima ad Corinthios, pro ea Feria in qua Octava Epiph. occurrit, ut infrà.

Poſt j. Lect. ℟. Patres noſtri omnes ſub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt, & omnes in Móyſe baptizáti ſunt in nube & in mari: * Hæc autem in figúra facta ſunt noſtrî. ℣. Sapiéntia tránſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit illos per aquam nímiam. * Hæc autem. *I. Cor.* 10. *Sap.* 10.

Poſt ij. Lect. ℟. Miſit ad Náaman lepróſum Eliſæus núntium, dicens: Laváre séptiès in Jordáne, & mundáberis. * Náaman lavit in Jordáne séptiès, & mundátus eſt. ℣. Vos nunc ſímilis formæ ſalvos facit Baptiſma; non carnis depoſítio sórdium, ſed conſciéntiæ bonæ interrogátio in Deum. * Náaman lavit. *IV. Reg.* 5. *I. Petr.* 3.

Poſt iij. Lect. ℟. Ecce aquæ egrediebantur ad Orientem, & ait Dóminus: Aquæ iſtæ ſanabuntur, * Et † Vivent ómnia ad quæ vénerit torrens; quia aquæ de ſanctuário egredientur. ℣. Oſtendit mihi Angelus flúvium aquæ vitæ, ſpléndidum tanquam cryſtallum,

procedentem de ſede Dei & Agni. * Et. Glória. † Vivent ómnia. *Ezech.* 47. *Apoc.* 22.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Fuit Joannes in deſerto baptízans, & prædicans baptiſmum pœniténtiæ in remiſſiónem peccatórum. *Marc.* 1.

Ant. 8. g. Exíbat ad eum omnis Judæa, & baptizabantur ab eo in Jordáne, confitentes peccáta ſua. *Matth.* 3.

Ant. 1. f. Dicébat Joannes: Ego baptízo in aqua; médius autem veſtrûm ſtetit quem vos neſcítis; ut manifeſtétur in Iſrael, veni ego in aqua baptízans. *Joann.* 1.

℣. Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum; ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Pſ.* 41.

Sermo ſancti Gregórii Nazianzéni.

Orat. 39. *in ſanct. Lumin.*

Lectio iv.

CHriſti Nativitátem priùs aptâ ſolemnitáte celebrávimus,... cum ſtella cucúrrimus, cum Magis adorávimus, cum Paſtóribus luce circumfúſi ſumus, cum Angelis divínam glóriam prædicávimus... Nunc verò ália Chriſti áctio; áliud myſtérium séquitur. Animi voluptátem tenére néqueo: divíno furóre corrípior; propémodùm étiam, Joannis inſtar, fauſtum núntium prófero; non quidem, ut ille, præcurſor, cæterùm à ſolitúdine véniens. Chriſtus illuminátur; ſimul illuminémur. Chriſtus baptizátur; ſimul deſcendámus, ut ſimul étiam cum illo aſcendámus.

℟. Videns Joannes multos venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Ego baptízo vos in aqua in pœniténtiam: qui autem poſt me ventúrus eſt, fórtior me eſt: * Ipſe vos baptizábit in Spíritu ſancto & igni. ℣. Hauriétis aquas in gaúdio de fóntibus Salvatóris.* Ipſe. *Matth.* 3. *Iſ.* 12.

Lectio v.

NEc verò hoc ſolùm ſpectandum eſt, quòd Jeſus baptizátur, ſed ália étiam sédulò obſerváre neceſſe eſt: nimírum, quis? & à quo? & quando? Purus vidélicet, & à Joanne, & tum cùm ſignórum edendórum inítium fáceret. Quæ res nobis documento eſſe debet, purgatiónem animíque ſubmiſſiónem priùs adhibendam eſſe, nec concionandi provínciam antè ſúſcipi debére, quàm ad ſpirituális & corpóreæ ætátis perfectiónem ventum fúerit.

℟. Venit Jeſus à Gali-

læa in Jordánem ad Joannem, ut baptizarétur ab eo. Joannes prohibébat eum dicens : * Ego à te débeo baptizári, & tu venis ad me ! ℣. Quis ego ſum ? Dómine Deus ; tu enim ſcis ſervum tuum. * Ego à te débeo. *Matth.* 3. *II. Reg.* 7.

Lectio vj.

QUanquàm enim hoc grátia affert, ut prætéritæ noxæ remittantur, grátia enim eſt ; tunc tamen melióri curâ providendum eſt, ne ad eumdem vómitum redeámus. Hoc quoque in eos váleat, qui adverſùs myſtérii diſpenſatóres inſoléntiùs efferuntur, ſi dignitáte quâdam præſtent. Tértium ad eos ſpectat, qui juveníli ætáte confidunt, atque quodvis tempus ad docendum, aut ad Antíſtitis munus obeundum, idóneum eſſe arbitrantur. Jeſus purgátur ; & tu purgatiónem contemnis ? A Joanne ; & tu adversùs præcónem tuum inſurgis ? Trigéſimum annum agens ; & tu ante lanúginem ſenes doces ? aut docére te poſſe credis ? nec ab ætáte, nec à móribus fortaſſe auctoritátem habens ?

℟. Jeſu baptizáto & orante, apertum eſt cœlum ; & * Deſcendit Spíritus ſanctus corporáli ſpécie ſicut columba in ipſum. ℣. Requieſcet ſuper eum Spíritus Dómini, & replébit eum. * Deſcendit. Glória. * Deſcendit. *Luc.* 3. *Iſ.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Hic eſt qui venit per aquam & ſánguinem, Jeſus Chriſtus ; & Spíritus eſt qui teſtificátur, quóniam Chriſtus eſt véritas. *I. Joann.* 5.

Ant. 1. a. Joannes teſtimónium pérhibet de ipſo dicens : De plenitúdine ejùs nos omnes accépimus, & grátiam pro grátia. *Joann.* 1.

Ant. 3. c. Vidi Spíritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum : vidi, & teſtimónium perhíbui quia hic eſt Fílius Dei. *Joann.* 1.

℣. Vox Dómini ſuper aquas ; ℟. Deus majeſtátis intónuit. *Pſ.* 28.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo témpore : Venit Jeſus à Galilæa in Jordánem ad Joannem, ut baptizarétur ab eo. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 5. *in Joann.* 3.

QUare miſſus eſt Joannes baptízans ? quia oportébat baptizári Chriſtum. Quare oportébat baptizári Chriſtum ? Quare opórtuit naſci Chriſtum ?

Quare opórtuit crucifigi Chriſtum? Si enim viam humilitátis demonſtratúrus advénerat, & ſeipſum factúrus ipſam humilitátis viam; in ómnibus ab eo implenda erat humílitas. Auctoritátem dare baptiſmo ſuo hinc dignátus eſt, ut cognóſcerent ſervi quantâ alacritáte debérent cúrrere ad baptiſmum Dómini, quandò ipſe non dedignátus eſt ſuſcípere baptiſmum ſervi. Donátum enim erat hoc Joanni, ut ipsíus baptiſma dicerétur.

℟. Baptizátus Jeſus aſcendit de aqua, & ecce vox de cœlis dicens: * Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complácui. ℣. Ecce electus meus, complácuit ſibi in illo ánima mea. * Hic eſt. *Matth.* 3. *Iſai.* 42.

Lectio viij. §. 5.

SEd quare non ſolus ipſe baptizátus eſt à Joanne? ſi ad hoc miſſus erat Joannes per quem baptizarétur Chriſtus, ut paráret viam Dómino, id eſt, ipſi Chriſto?... Si ſolus Dóminus baptizátus eſſet baptiſmo Joannis, non deeſſent qui ſic putárent baptiſmum Joannis majórem eſſe, quàm eſt baptiſmus Chriſti. Dícerent enim: Uſque ádeò illud baptiſma majus eſt, ut ſolus Chriſtus eo baptizári meruiſſet. Ergo, ut darétur nobis à Dómino exemplum humilitátis, ad percipiendam ſalútem baptíſmatis, Chriſtus ſuſcépit quod ei opus non erat, ſed propter nos opus erat. Et rurſùs: ne hoc ipſum, quod accépit à Joanne Chriſtus, præponerétur baptíſmati Chriſti, permiſſi ſunt & álii baptizári à Joanne. Sed qui baptizáti ſunt à Joanne, non eis ſuffécit; baptizáti ſunt enim baptiſmo Chriſti.

℟. Teſtimónium perhíbuit Joannes, dicens: Qui miſit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis Spíritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, * Hic eſt qui baptízat in Spíritu ſancto. ℣. Ecce ſervus meus, dedi Spíritum meum ſuper eum. * Hic eſt. Glória. * Hic eſt. *Joann.* 1. *Iſai.* 42.

Lectio ix. §. 6. & 7.

BAptiſma tale eſt, qualis eſt ille in cujus poteſtáte datur; non qualis eſt ille per cujus miniſtérium datur. Talis erat baptiſmus Joannis, qualis Joannes; baptiſmus juſtus, tanquam juſti, tamen hóminis; ſed qui accéperat à Dómino iſtam grátiam, & tantam grátiam, ut dignus eſſet præíre Júdicem, & eum dígito oſténdere, &

implére vocem prophetíæ illíus: Vox clamãtis in deſerto, Paráte viam Dño. Tale autem baptiſma Dómini, qualis Dóminus: ergo baptiſma Dómini divínum, quia Dóminus Deus. Pótuit autem Dóminus Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtátem alicúi ſervo ſuo, ut daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſuâ, & transferre à ſe baptizandi poteſtátem, & conſtituére in áliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare baptiſmo transláto in ſervum, quantam vim habéret baptiſmus datus à Dómino. Hoc nóluit ídeò, ut in illo ſpes eſſet baptizatórum, à quo ſe baptizátos agnóſcerent.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphona, 7. *toni.* ç.

NIſi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu ſancto, non poteſt introíre in regnum Dei. *Joann.* 3.

Ant. 6. F. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spíritu, ſpíritus eſt: oportet vos naſci dénuò. *Joann.* 3.

Ant. 3. a. Novus homo ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítia & ſanctitáte veritátis. *Epheſ.* 4.

Super Canticum, Laudáte, cœli, *pag.* 334.

Ant. 4. d. Quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra. *I. Joann.* 5.

Ant. 5. a. Qui credíderit & baptizátus fuerit, ſalvus erit. *Marc.* 16.

Capitulum. Epheſ. 5.

CHriſtus diléxit Eccléſiam, & ſeipſum trádidit pro ea, ut illam ſanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ, ut exhibéret ipſe ſibi glorióſam Eccléſiam, non habentem máculam aut rugam, aut áliquid hujúſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculáta.

Hymnus.

LAVACRA puri gúrgitis
Cœleſtis Agnus áttigit:
Peccáta quæ non détulit,
Nos abluendo, ſúſtulit.

NON ábluunt lymphæ Deum,
Sed ábluit lymphas Deus;
Carníſque contactu ſacræ
Vim dat lavandi crímina.

PROMISSUS ecce jam patet
Fons abluendis córdibus:
Res mira! tíngitur caro,
Mentíſque labes tóllitur.

HIS tincta nam canálibus
Regis ſuprémi púrpura
Tinctos cruentat, &, nivis
Inſtar, dat eſſe cándidos.

FŒCUNDA ſancto Spíritu
Virgo Deum nobis parit;
Fœcunda ſancto Spíritu
Nunc unda nos parit Deo.

MUNDI ſcelus qui díluis,
Jeſu, tibi ſit glória

Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Lavábis me, Dómine: ℟. Et ſuper nivem dealbábor. *Pſ.* 50.

Ad Bened. *Ant.* 7. G. Dedit poteſtátem filios Dei fieri his qui credunt in nómine ejus, qui non ex ſanguínibus, ſed ex Deo nati ſunt. *Joann.* 1.

Oratio.

DEus, cujus Unigénitus in ſubſtántia noſtræ carnis appáruit; præſta, quæſumus, ut, per eum quem ſímilem nobis foris agnóvimus, intùs reformári mereámur; Qui tecum.

AD HORAS.

In fine Hymn. Doxol.

Mundi ſcelus qui díluis,
Ieſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. G. Niſi quis.

In ℟. *br.* ℣. Mundi ſcelus qui díluis.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi quinto.

Ann. 1579. *part.* 3. *tit.* 15.

PArochus, quos ſponſos experiundo víderit doctrínæ Chriſtiánæ rúdimenta planè ignoráre, ne Matrimónio illos antè jungat, quàm eâ item ratióne cognôrit didiciſſe quæ eo de génere illos planè ſcire oportet.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Quod natum eſt.

Capitulum. Coloſſ. 3.

NOvus homo renovátur in agnitiónem ſecundùm imáginem ejus qui creávit illum; ubi non eſt Gentílis & Judæus, circumcíſio & præpútium, bárbarus & Scytha, ſervus & liber; ſed ómnia & in ómnibus Chriſtus.

℟. *br.* Viſitaſti terram, & inebriaſti eam. * Allel. allel. ℣. Multiplicaſti locupletáre eam. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℣. Viſitaſti.

℣. Flumen Dei replétum eſt aquis; ℟. Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus. *Pſ.* 64.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Novus homo.

Capitulum. II. Petr. 1.

PEr Chriſtum Deus máxima & pretióſa nobis promiſſa donávit; ut per hæc efficiámini divínæ conſórtes natúræ, fugientes ejus quæ in mundo eſt, concupiſcéntiæ corruptiónem.

℟. *br.* Beáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus; * Allelúia, allelúia. ℣. Pópulus quem elégit in hære-

ditátem ſibi. * Allelúia, allel. Glória. ℟. Beáta gens. *Pſ.* 32.

℣. Dómini eſt aſsúmptio noſtra; ℟. Et Sancti Iſrael Regis noſtri. *Pſ.* 88.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Qui credíderit.

Capitulum. Hebr. 10.

ASperſi corda à conſciéntia mala, & abluti corpus aquâ mundâ, teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem; fidélis enim eſt qui repromíſit: & conſiderémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum.

℟. *br.* Cor mundum crea in me, Deus; * Allelúia, allel. ℣. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. * Allel. allel. Glória. ℟. Cor mundum.

℣. Amplìùs lava me ab iniquitáte mea, ℟. Et à peccáto meo munda me. *Pſ.* 50.

AD VESPERAS.

Antiphona 7. *toni*, a.

UNus Dóminus, una fides, unum baptiſma: unus Deus & Pater ómnium. *Epheſ.* 4.

Ant. 2. D. Omnes filii Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Galat.* 3.

Ant. 3. c. Quicumque in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induiſtis. *Gal.* 3.

Ant. 1. a. Non eſt Judæus neque Græcus: non eſt ſervus neque liber; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. *Gal.* 3.

Ant. 8. g. Ablúti eſtis, ſanctificáti eſtis, juſtificáti eſtis in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spíritu Dei noſtri. *I. Cor.* 6.

Capitulum. Epheſ. 1.

DEus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det vobis ſpíritum ſapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus; ut ſciátis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus.

Hymnus.

EMergit undis, & Deo
Fundit preces Homo Deus:
Paret polórum régia;
Adeſt repentè Spíritus.

Inſtar columbæ, vérticí
Illapſus inſidet ſacro:
Summi Patris vox pérſonat;
Dilectus hic eſt Fílius.

Chriſti dicáta córpore
Sic quem lavácra cónſecrant,
Hic náſcitur proles Dei;
Cœlum precanti pánditur.

Caſtis fit ac innóxiis
Columba ſimplex móribus;
Divínus hanc intùs regit,
Agit fovétque Spíritus.

O Chriſte, fac ut nos tuis

Quos abluiſti fontibus,
Tuo cruóre cándidos
Jam nulla labes ínquinet.
Mundi ſcelus qui díluis,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna sécula.
Amen.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ; ℟. Tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi. *Pſ.* 15.

Ad Magnif. Ant. 1. D. Spíritum ſanctum effúdit in nos Deus abundè per Jeſum Chriſtum ſalvatórem noſtrum; ut, juſtificáti grátiâ ipsíus, hærédes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. *Tit.* 3.

Oratio ſuprà ad Laudes.

Deindè (ſi non ſit Sabbatum) fit Commemoratio S. Hilarii Epiſc. & Doct. Antiph. Sápiens. ℣. Beátus, *ut in Communi Doct. pag.* xxxv.

Orátio.

Profit nobis, Dómine, beáti Pontíficis Hilárii feſtíva ſolémnitas; ut, ſicut conſubſtantiális tibi Verbi fidem per univerſas Gállias ſervávit illæſam, ita nos, ejus intercesſióne, in eádem fide immóbiles permanére valeámus; Per eúmdem.

Poſteà Sancti Felicis, Presbyt. Antiph. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. *Matth.* 10.

℣. Dóminus mihi adjútor; ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Pſ.* 117.

Oratio.

Excita in Eccléſia tua, Dómine, Chriſtiánæ ſpíritum paupertátis, quem ſanctus Présbyter Felix, tui nóminis Confeſſor, religióſè cóluit; ut, ejus intercedéntibus méritis, promiſſa paupéribus præmia felíciter conſequámur; Per Dóminum.

¶ *Ab Octava Epiphaniæ ad Præſentatiónem Domini incluſivè (etiamſi Septuageſima interveniat) in fine Hymnorum ejuſdem metri dicitur Doxologia:*

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna sécula.
Amen.

Ad Laudes et Vesp. *fit Commemoratio de B. V. ut notatur in Proprio, ſuprà, pag.* 306. & 308.

AD PRIMAM.

℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus, Mundi ſalus, *pag.* 164.

DOMINICA PRIMA poſt Epiphaniam,

Quæ eſt intra Octavam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Coríuthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, vocátus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, & Soſthenes frater, Eccléſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificátis in Chriſto Jeſu, vocátis ſanctis, cum ómnibus qui ínvocant nomen Dómini noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco, ipsórum & noſtro. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo ſemper pro vobis in grátia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu; quòd in ómnibus dívites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſciéntia: ſicut teſtimónium Chriſti confirmátum eſt in vobis; ita ut nihil vobis deſit in ulla grátia, expectántibus revelatiónem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui & confirmábit vos uſque in finem ſine crímine, in die adventûs Dómini noſtri Jeſu Chriſti.

Lectio ij.

FIdélis Deus, per quem vocáti eſtis in ſocietátem Fílii ejus Jeſu Chriſti Dómini noſtri. Obſecro autem vos, fratres, per nomen Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicátis omnes, & non ſint in vobis ſchíſmata: ſitis autem perfecti in eódem ſenſu & in eádem ſenténtia. Significátum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui ſunt Chloes, quia contentiónes ſunt inter vos. Hoc autem dico quòd unuſquiſque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli: Ego autem Apollo: Ego verò Cephæ: Ego autem Chriſti. Diviſus eſt Chriſtus? numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti eſtis?

Lectio iij.

NOn enim miſit me Chriſtus baptizáre, ſed evangelizáre; non in ſapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereúntibus quidem ſtultítia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapiéntiam ſapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi ſápiens? ubi ſcriba? ubi conquiſítor hujus séculi? nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi? Nam, quia, in Dei ſapiéntia, non cognóvit mundus, per ſapiéntiam, Deum, plácuit Deo, per ſtultítiam prædicatiónis, ſalvos fácere credentes. Quóniam & Judæi ſigna petunt, &

Græci ſapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifixum, Judæis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam: ipſis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem & Dei ſapiéntiam.

In II. & III. Nocturno, dicuntur Lect. de Domin. intra Octav. Si autem dies Octav. venerit in Dominica, dicentur de die Octava.

FERIA SECUNDA.

¶ *Poſt Octavam Epiphaniæ, quandò fiet de Feria, fit Officium ut notatur, pag.* 308. *& ſic in aliis Feriis ſequent. ante Præſentationem, non interveniente Septuag.*

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

QUod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus: & quod infirmum eſt Dei, fórtius eſt homínibus. Vidéte enim vocatiónem veſtram, fratres: quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nóbiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elégit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: & ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrúeret; ut, non gloriétur omnis caro in conſpectu ejus. Ex ipſo autem vos eſtis in Christo Jeſu, qui factus eſt nobis ſapiéntia à Deo & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio, ut, quemádmodùm ſcriptum eſt: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Reſponſoria non aſſignantur, quia per hanc Hebdomadam non fit de Feria.

Lectio ij. Cap. 2.

ET ego, cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitáte ſermónis, aut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimónium Christi. Non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte, & timóre, & tremóre multo fui apud vos: & ſermo meus & prædicátio mea non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis; ut fides veſtra non ſit in ſapiéntia hóminum, ſed in virtúte Dei.

Lectio iij.

SApiéntiam autem lóquimur inter perfectos; ſapiéntiam verò non hujus ſéculi, neque príncipum hujus ſéculi qui deſtruuntur: ſed lóquimur Dei ſapiéntiam in myſtério quæ abſcóndita eſt, quam præ-

deſtinávit Deus ante ſécula in glóriam noſtram, quam nemo príncipum hujus séculi cognóvit: ſi enim cognoviſſent, nunquàm Dóminum glóriæ crucifixiſſent. Sed, ſicut ſcriptum eſt: Quòd óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcendit quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum: nobis autem revelávit Deus per Spíritum ſuum.

¶ *Oratio.*

VOta, quæſumus, Dómine, ſupplicantis pópuli cœleſti pietáte proséquere; ut & quæ agenda ſunt, vídeant, & ad implenda quæ víderint, convaleſcant. Per Dóminum.

¶ *Hæc Oratio dicitur per Hebdom. ad omnes Horas.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Reform. Matr. cap. 1.

SAncta Synodus hortátur ut cónjuges, ante benedictiónem ſacerdotálem in templo ſuſcipiendam, in eádem domo non cohábitent. Eoſdem hortátur, ut ántequàm contrahant, vel ſaltem tríduo ante matrimónii conſummatiónem, ſua peccáta diligenter confiteantur, & ad ſanctíſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accédant.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 2.

SPíritus ómnia ſcrutátur, étiam profunda Dei. Quis enim hóminum ſcit quæ ſunt hóminis, niſi ſpíritus hóminis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognóvit, niſi Spíritus Dei. Nos autem non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt, ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis: quæ & lóquimur non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína Spíritûs, ſpirituálibus ſpirituália comparantes. Animális autem homo non pércipit ea quæ ſunt Spíritûs Dei: ſtultítia enim eſt illi, & non poteſt intellígere; quia ſpirituáliter examinátur. Spirituális autem júdicat ómnia, & ipſe à némine judicátur. Quis enim cognóvit ſenſum Dómini qui inſtruat eum? nos autem ſenſum Chriſti habémus.

Lectio ij. Cap. 3.

ET ego, fratres, non pótui vobis loqui quaſi ſpirituálibus, ſed quaſi carnálibus. Tanquam párvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondùm enim poterátis: ſed nec nunc quidem poteſtis; ad-

ſtis enim carnáles eſtis. Cùm enim ſit inter vos zelus & conténtio, nonne carnáles eſtis, & ſecundùm hóminem ambulátis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; álius autem: Ego Apollo; nonne hómines eſtis? Quid ígitur eſt Apollo? quid verò Paulus? miniſtri ejus cui credidiſtis: & unicuíque ſicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apollo rigávit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt áliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat & qui rigat, unum ſunt.

Lectio iij.

Unuſquiſque autem própriam mercédem accípiet ſecundùm ſuum labórem. Dei enim ſumus adjutóres: Dei agricultúra eſtis, Dei ædificátio eſtis. Secundùm grátiam Dei quæ data eſt mihi, ut ſápiens architectus fundamentum póſui: álius autem ſuperædíficat. Unuſquiſque autem vídeat quómodò ſuperædíficet. Fundamentum enim áliud nemo poteſt pónere præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædíficat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretióſos, ligna, fœnum, ſtípulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Dómini declarábit; quia in igne revelábitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probábit. Si cujus opus mánſerit quod ſuperædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árſerit, detrimentum patiétur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.

CANON.

Ex Concílio Remenſi. Ann. 1583. tit. de Matrim. num 6.

Cùm matrimónium non fáciat contractus, ſed conſenſus, ac proindè contrahéntium libertas nullâ vi premi débeat; qui ad illud áliquem compúlerint, ipſo facto ſe excommunicatiónem incúrrere moneantur. Líberi autem, invítis paréntibus, contráhere volentes, non inconſultè; vagíque hómines & incógniti fácilè non admittantur ad Matrimónii celebratiónem.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 3.

Neſcítis quia templum Dei eſtis? & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, diſperdet illum

Deus: templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Nemo ſe ſedúcat: ſi quis vidétur inter vos sápiens eſſe in hoc século, ſtultus fiat ut ſit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi ſtultítia eſt apud Deum: ſcriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtútia eórum. Et íterùm: Dóminus novit cogitatiónes ſapiéntium, quóniam vanæ ſunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus.

Lectio ij. Cap. 4.

HÆc autem, fratres, transfigurávi in me & Apollo, propter vos; ut in nobis diſcátis, ne ſuprà quam ſcriptum eſt, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriáris, quaſi non accéperis? Jam ſaturáti eſtis: jam dívites facti eſtis: ſine nobis regnátis: & útinam regnétis! ut & nos vobiſcum regnémus. Puto enim quòd Deus nos Apóſtolos noviſſimos oſtendit, tanquàm morti deſtinátos; quia ſpectáculum facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

Lectio iij. Cap. 5.

OMnínò audítur inter vos fornicátio, & talis fornicátio, qualis nec inter gentes, ita ut uxórem patris ſui áliquis hábeat. Et vos infláti eſtis? & non magìs luctum habuiſtis, ut tollátur de médio veſtrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens córpore, præſens autem ſpíritu, jam judicávi, ut præſens, eum qui ſic operátus eſt, in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, congregátis vobis & meo ſpíritu cum virtúte Dómini noſtri Jeſu, trádere hujúſmodi sátanæ in intéritum carnis; ut ſpíritus ſalvus ſit in die Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Non eſt bona gloriátio veſtra. Neſcítis quia módicum fermentum totam maſſam corrumpit?

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Ref. Matrim. num. 1.

SI quis Párochus, vel álius Sacerdos, ſive reguláris, ſive ſeculáris ſit, altérius Paróchiæ ſponſos ſine illórum Párochi licéntia Matrimónio conjúngere aut benedícere auſus fúerit; ipſo jure támdiù ſuſpenſus máneat, quándiù ab Ordinário ejus Párochi qui matrimónio intereſſe debébat, ſeu à quo benedíctio ſuſcipienda erat, abſolvátur.

FERIA QUINTA.
De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6.

AUdet áliquis veſtrûm habens negótium advérsùs álterum, judicári apud iníquos, & non apud ſanctos? An neſcítis quóniam ſancti de hoc mundo judicábunt? & ſi in vobis judicábitur mundus, indigni eſtis qui de mínimis judicétis? Neſcítis quóniam Angelos judicábimus? quantò magìs ſeculária? ſeculária ígitur judícia ſi habuéritis, contemptíbiles qui ſunt in Eccléſia, illos conſtitúite ad judicandum. Ad verecúndiam veſtram dico: ſic non eſt inter vos ſápiens quiſquam, qui poſſit judicáre inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre judício conténdit, & hoc apud infidéles.

Lectio ij.

AN neſcítis quia iníqui regnum Dei non poſſidébunt? Nolíte erráre: neque fornicárii, neque idólis ſervientes, neque adúlteri, neque molles, neque maſculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebrióſi, neque malédici, neque rapáces, regnum Dei poſſidébunt. Et hæc quidam fuiſtis, ſed ablúti eſtis: ſed ſanctificáti eſtis; ſed juſtificáti eſtis in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spíritu Dei noſtri.

Lectio iij.

NEſcítis quóniam córpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, fáciam membra meretrícis? Abſit. An neſcítis quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Dómino, unus ſpíritus eſt. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum quodcumque fécerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicátur, in corpus ſuum peccat. An neſcítis quóniam membra veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis prétio magno: glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro.

CANON.

Ex Concílio Bituricenſi. *Ann.* 1584. *tit.* 27. *de Matr. num.* 5.

FIat benedíctio nuptiális à próprio Párocho, aut álio Sacerdóte de ipsíus Párochi aut Ordinárii licéntia, in fácie Eccléſiæ in Miſſa, ab auróra uſque ad merídiem; duóbus ſaltem

aut tribus téſtibus idóneis præséntibus: non poſt prándium, neque noctu, neque in privátis dómibus.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.

HOc ítaque dico, fratres: Tempus breve eſt: réliquum eſt ut & qui habent uxóres, tanquàm non habentes ſint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui emunt, tanquàm non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos ſine ſollicitúdine eſſe. Qui ſine uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt, quómodò pláceat Deo: qui autem cum uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi, quómodò pláceat uxóri: & divíſus eſt. Et múlier innúpta, & virgo cógitat quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore & ſpíritu: quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem veſtram dico; non ut láqueum vobis injíciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultátem præbeat ſine impedimento Dóminum obſecrandi.

Lectio ij. Cap. 8.

EScа nos non commendat Deo. Neque enim, ſi manducavérimus, abundábimus: neque, ſi non manducavérimus, deficiémus. Vidéte autem ne fortè hæc licéntia veſtra offendículum fiat infirmis. Si enim quis víderit eum qui habet ſciéntiam, in idolio recumbentem; nonne conſciéntia ejus, cùm ſit infirma, ædificábitur ad manducandum idolóthyta? Et peribit infirmus in tua ſciéntia frater propter quem Chriſtus mórtuus eſt? Sic autem, peccántes in fratres, & percutientes conſciéntiam eórum infirmam, in Chriſtum peccátis. Quapropter, ſi eſca ſcandalízat fratrem meum, non manducábo carnem in ætérnum, ne fratrem meum ſcandalízem.

Lectio iij. Cap. 9.

VÆ mihi eſt, ſi non evangelizávero. Si enim volens hoc ago; mercédem hábeo: ſi autem invítus, diſpenſátio mihi crédita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? ut Evangélium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangélium, ut non abútar poteſtáte meâ in Evangélio. Nam cùm liber eſſem ex ómnibus,

Omnium me ſervum feci, ut plures lucrifácerem. Et factus ſum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrárer: factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerem. Omnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus efficiar.

CANON.

Ex Concílio Remenſi. *Ann.* 1583. *tit. de Matrim. num.* 11.

NUptiis ritè complétis, ita ſe compónant cónjuges ut putent ſe non à Sacerdóte, ſed per eum à Chriſto conjugiórum Præſule conjunctos; in quem peccátur quótiès fides promiſſa ſólvitur. Neutri ergo liceat ab áltero diſcédere, étiam quoad thorum, niſi causâ legítimâ priùs à ſuperióre approbátâ: conceſſóque divórtio, neutri licére novum matrimónium iníre, diligenter admoneantur.

SABBATO.

¶ *Hodie & aliis Sabbatis, uſque ad Quadrageſimam, fit de B. M. V. niſi occurrat Feſtum ſemiduplex aut ſuprà, vel niſi fieri debeat de Feria, propter Officium alicujus Dominicæ eo die ponendum: [Quando Septuageſima inciderit in Dominicam ſequentem, tunc hodie, ſi nullum occurrat Feſtum ſemiduplex aut ſuprà, fit de Feria ut in Pſalterio præter ſequentia: Lectio j. & ij. ac* ℟. *j. &* ℟. *ij. è I. Nocturn. Dominicæ ſequentis; Lectio iij. de Evangelio, & Homilia ejuſdem Dominicæ, cum* ℟. *viij. Ant. ad* Benedictus, *ex eadem Dominica, ſicut & Oratio quæ dicitur ad Laudes, Tertiam, Sextam & Nonam.*

Si autem occurrat Feſtum IX. Lectionum, fit de Feſto; in primo Nocturno legentur tres Lectiones I. Nocturn. Domin. ſequentis; & in tertio Nocturno pro ix. Lectione Evangelium & Homil. ejuſdem Dominicæ, de qua fit Commemoratio in Laudibus tantùm per Ant. ad Benedictus. ℣. *& Orationem ejuſdem Dominicæ ante Commem. de Virgine Deipara, niſi Feſtum ſit duplex III. Claſſ. aut ſuprà.*

Si occurrat Feſtum ſemiduplex, fiet pariter de Feſto, prima Lectio de primo Nocturno Dominicæ ſequentis (è tribus una), ſecunda Lectio de Feſto (de duabus una), tertia de Evangelio cum Homilia Dominicæ ſequentis, & ejuſdem Dominicæ Commem. in Laudibus

tantùm, ut ſuprà, ante Commemor. de Virg. Deip.

Et ſic de qualibet alia Dominica, cujus Officium non poterit poni poſt Dominicam XXIV. à Pentecoſt. [Poſt Præſentat. non fit Commemoratio de Virgine Deipara.]

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 13.

SI linguis hóminum loquar & Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tínniens. Et ſi habúero prophetíam, & nóverim myſtéria ómnia & omnem ſciéntiam, & ſi habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil ſum. Et ſi diſtribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas; & ſi tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodeſt. Cáritas pátiens eſt, benigna eſt: cáritas non æmulátur, non agit pérperàm, non inflátur, non eſt ambitióſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet ſuper iniquitáte, congaudet autem veritáti: ómnia ſuffert: ómnia credit: ómnia ſperat: ómnia ſúſtinet.

Lectio ij.

CAritas nunquàm éxcidit: ſive prophetíæ evacuabuntur; ſive linguæ ceſsábunt; ſive ſciéntia deſtruétur. Ex parte enim cognóſcimus, & ex parte prophetámus: cùm autem vénerit quod perfectum eſt, evacuábitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem párvulus, loquébar ut párvulus, ſapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus: quandò autem factus ſum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per ſpéculum in ænígmate; tunc autem fácie ad fáciem: nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſicut & cógnitus ſum. Nunc autem manent fides, ſpes, cáritas, tria hæc: major autem horum eſt cáritas.

Lectio iij. Cap. 16.

DE collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinávi Eccléſiis Galátiæ, ita & vos fácite. Per unam Sábbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſepónat, recondens quod ei benè placúerit.... Vigiláte, ſtate in fide, viríliter ágite, & confortámini. Omnia veſtra in caritáte fiant.... Si quis non amat Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit aná-

thema: Maran atha. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Cáritas mea cum ómnibus vobis in Chriſto Jeſu. Amen. Tu autem.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. *de Matrimon. can.* 9.

SI quis díxerit Cléricos in ſacris Ordínibus conſtitútos, vel Reguláres caſtitátem ſolémniter profeſſos, poſſe matrimónium contráhere, contractúmque válidum eſſe, non obſtante lege eccleſiáſticâ vel voto; & oppóſitum nihil áliud eſſe quàm damnáre matrimónium, póſſeque omnes contráhere matrimónium, qui non séntiunt ſe caſtitátis, etiamſi eam vóverint, habére donum; anáthema ſit: cùm Deus id rectè peténtibus non déneget, nec patiátur nos ſupra id quod póſſumus, tentári.

AD VESPERAS.

Septuageſimâ non occurrente ante Præſentationem, omnia ut in Sabbatis à Circumciſione ad Præſentationem, p. 304. *exceptis quæ ſequuntur.*

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Perfecti eſtóte, idem ſápite, pacem habéte, & Deus pacis & dilectiónis erit vobiſcum. *II. Cor.* 13.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA II.

poſt Epiphaniam.

Omnia ut in Dominicis à Circumciſione ad Præſentationem, pag. 304. *exceptis quæ ſequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epiſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Coríntbios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, & Timótheus frater, Eccléſiæ Dei quæ eſt Corinthi, cum ómnibus ſanctis qui ſunt in univerſa Acháia. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Dómino Jeſu Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiárum, & Deus totíus conſolatiónis qui conſolátur nos in omni tribulatióne noſtra; ut poſsímus & ipſi conſolári eos qui in omni preſsúra ſunt, per exhortatiónem quâ exhortámur & ipſi à Deo. Quóniam ſicut abundant paſſiónes Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolátio noſtra. Sive autem tribulámur, pro veſtra exhortatióne & ſalúte: ſive conſolámur, pro veſtra conſolatióne: ſive exhortámur; pro veſtra exhortatióne & ſalúte quæ

operátur toleràntiam eárúmdem paſſiónum quàs & nos pátimur; ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quòd, ſicut sócii paſſiónum eſtis, ſic éritis & conſolatiónis.

℟. Nihil intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auferre quid póſſumus. * Habentes autem alimenta & quibus tegámur, his contenti ſimus. ℣. Dives, cùm dormíerit, nihil ſecum áuferet: apériet óculos ſuos, & nihil invéniet. * Habentes autem. *I. Tim.* 6. *Job.* 27.

Lectio ij.

NOn enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne noſtra quæ facta eſt in Aſia: quóniam ſupra modum graváti ſumus, ſupra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habúimus; ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui súſcitat mórtuos: qui de tantis perículis nos erípuit & éruit; in quem ſperámus quóniam & adhuc erípiet: adjuvántibus & vobis in oratióne pro nobis; ut ex multórum persónis ejus quæ in nobis eſt donatiónis, per multos grátiæ agantur pro nobis. Nam glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ; quòd in ſimplicitáte cordis & ſinceritáte Dei, & non in ſapiéntia carnáli, ſed in grátia Dei converſáti ſumus in hoc mundo, abundántiùs autem ad vos.

℟. Tempus breve eſt: réliquum eſt ut qui gaudent, tanquàm non gaudentes ſint; & qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur: * Prætérit enim figúra hujus mundi. ℣. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas! * Prætérit. *I. Cor.* 7. *Eccleſ.* 2.

Lectio iij. Cap. 2.

NAm ex multa tribulatióne & angúſtia cordis ſcripſi vobis per multas lácrymas: non ut contriſtémini, ſed ut ſciátis quam caritátem hábeam abundántiùs in vobis. Si quis autem contriſtávit, non me contriſtávit; ſed ex parte, ut non ónerem omnes vos. Súfficit illi qui ejúſmodi eſt, objurgátio hæc quæ fit à plúribus: ita ut è contrário magis donétis & conſolémini; ne fortè abundantióri triſtítiâ abſorbeátur qui ejúſmodi eſt. Propter quod óbſecro vos, ut confirmétis in illum caritátem. Ideò enim & ſcripſi, ut cognóſcam experiméntum veſtrum; an in ómnibus obediéntes ſitis. Cui autem áliquid donaſtis, &

ego : nam & ego quod donávi, ſi quid donávi, propter vos in persóna Chriſti; ut non circumveniámur à sátana : non enim ignorámus cogitatiónes ejus.

℟. Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. * Non enim qui ſeipſum commendat, ille probátus eſt; ſed quem Deus commendat. ℣. Hæc dicit Dóminus : Non gloriétur ſápiens in ſapiéntia ſua; ſed in hoc gloriétur; ſcire & noſſe me. * Non. Glória. * Non. *II. Cor.* 10. *Jerem.* 9.

IN II. NOCTURNO.

Ex Commentário ſáncti Joannis Chryſóſtomi in Epíſtolam ad Romános.

In Proœmio Edit. Bened. § 1.

Lectio iv.

DUm Epiſtolárum ſancti Pauli lectiónem frequenter ac ſæpè ter quaterve per ſingulas hebdómadas áudio, quandò ſcilicet ſanctórum Mártyrum memóriam celebrámus; tum gáudeo & exulto, tubâ illâ fruens ſpirituáli. Totus ándeo deſidério, cùm amícam mihi vocem illam auſculto; illámque ferè præſentem & diſſerentem mihi vidére videor: ſed augor ac diſcrúcior, quòd non omnes tantum virum, ut par eſſet, cognoſcant, & uſque ádeò quidam ignôrent, ut nec númerum quidem Epiſtolárum ejus ſciant. Illud verò non hinc évenit quòd díſcere non váleant; ſed quòd nolint cum ſancto viro frequenter versári.

℟. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ dómui Iſrael : * Vidérunt omnes términi terræ ſalutáre Dei noſtri. ℣. Deus erat in Chriſto mundum reconcílians ſibi. * Vidérunt omnes. *Pſ.* 97. *II. Cor.* 5.

Lectio v.

NEque enim nos quæ ſcimus, ſi qua tamen ſcimus, ex ingénii acrimónia nóvimus; ſed quòd ejus ſcripta aſsíduè tractémus, illúmque affectu máximo complectámur.... Verùm quia pleríque ex iis qui hoc nobiſcum convenére, líberos educandos, uxórem alendam, ædes curandas ſuſcepére; nec ſeſe totos huic ſtúdio dare poſſunt : ad ea quæ álii collegérunt, excipienda ipſi vos comparáte, tantumque ſtúdium dictis audiendis adhibéte, quantum colligendæ pecúniæ : & ſi turpe eſt nihil à vobis plus exígere; útinam vel tantum adhibeátis!

℟. Quómodò miſerétur pater filiórum, miſertus eſt

Dóminus timéntibus ſe, quóniam * Ipſe cognóvit figmentum noſtrum: recordátus eſt quóniam pulvis ſumus. ℣. Non ex opéribus juſtítiæ quæ fécimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit. * Ipſe cognóvit figmentum noſtrum. *Pſ.* 102. *Tit.* 3.

Lectio vj.

Hom. 3. *ſuper hæc verba:* Habentes eumdem ſpíritum. *t.* 3. *Ed. Bened.*

PAulínæ Epíſtolæ metalla ſunt ſpíritûs, & fontes: metalla quidem, quia quovis auro pretioſióres nobis præbent divítias: fontes verò, quia nunquàm deficiunt, ſed quantúmlibet exháurias, tantumdem ac multò ámpliùs rursùm áffluit.... Ex quo Paulus vixit, multi, tum commentatóres, tum doctóres & intérpretes, multa ſæpè indè extraxérunt, nec tamen repóſitas ibi divítias exhauríre valuérunt. Non eſt enim ſenſíbilis hic theſaurus, & idcircò non conſúmitur à multis effodiéntium mánibus, ſed augétur & multiplicátur. Et quid dico de illis qui ante nos fuérunt? quàm multi poſt nos dictúri ſunt, & rurſùs poſt álios álii; nec tamen deficient ſcatentes in modum fontis divítiæ, neque metallórum hoc genus exhauriétur.

℟. Fidélis ſermo: Si commórtui ſumus, & convivémus: * Si ſuſtinébimus, & conregnábimus. ℣. Uſque in tempus ſuſtinébit pátiens, & póſteà reddítio jucunditátis. * Si ſuſtinébimus. Glória. * Si ſuſtinébimus. *II. Tim.* 2. *Eccli.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Núptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Jeſu ibi: vocátus eſt autem & Jeſus, & discípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homília ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 2. *in Dom. I. poſt Epiphan. c.* 2.

AUdiſtis hódiè miráculum factum in núptiis, inítium útique ſignórum, cujus & hiſtória ſatis eſt admirábilis, & ſignificátio delectábilis. Magnum enim divínæ Majeſtátis indícium fuit, ad nutum Dómini aquam in vinum converti; ſed eſt illa multò mélior mutátio déxteræ Excelſi, quam in iſta præſignávit. Omnes enim nos ad ſpirituáles núptias vocáti ſumus; in quibus útique ſponſus eſt Chriſtus Dóminus;

ſponſa verò nos ipſi ſumus : omnes ſimul una ſponſa, & ánimæ ſingulórum quaſi ſíngulæ ſponſæ. Sed quandò hoc ſentíre póterit fragílitas noſtra de Deo ſuo, quòd eo affectu nos díligat, quo dilígitur ſponſa à ſponſo? Multùm enim hæc ſponſa ſponſo ſuo inférior génere, inférior ſpécie, inférior dignitáte. Attamen propter Æthiopiſſam iſtam de longinquo Fílius æterni Regis advénit : & ut ſibi deſponſáret illam, étiam mori pro ipſa non tímuit. Móyſes quidem Æthiopiſſam duxit uxórem : ſed non pótuit Æthiopiſſæ mutáre colórem. Chriſtus verò quam adamávit ignóbilem adhuc & fœdam, glorióſam ſibi exhíbuit Eccléſiam, non habentem máculam neque rugam.

℟. Relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærébit uxóri ſuæ, & * Erunt duo in carne una : ſacramentum hoc magnum eſt in Chriſto & in Eccléſia. ℣. Deus ſecundùm imáginem ſuam fecit hóminem, & creávit ex ipſo adjutórium ſímile ſibi. * Erunt. *Epheſ. 5. Eccli. 17.*

Lectio viij.

JAm nuptiárum prándium celebrátur ; nam cœna quidem in cœlo & in aula æterna parátur. Verúmtamen numquid vinum ibi defíciet? Abſit. Inebriábimur ibi ab ubertáte domûs Dei, & torrente voluptátis ejus potábimur. Parátum eſt profectò illis núptiis flumen vini, vini, inquam; quod lætíficat cor ; ſíquidem flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei. Nunc autem, quóniam grandis nobis reſtat via, prándium quidem accípimus hîc etſi non in tanta cópia, quòd plenitúdo & ſatíetas cœnæ reſervétur æternæ. Hîc ergo nonnunquàm vinum déficit, grátia ſcílicet devotiónis & fervor caritátis. Quóties mihi neceſſe eſt, fratres, poſt lacrymóſas querimónias veſtras, exoráre Matrem miſericórdiæ, ut ſúggerat ſuo benigníſſimo Fílio quóniam vinum non habeátis? Et ipſa, dico vobis, caríſſimi, ſi piè à nobis pulsáta fúerit, non déerit neceſſitáti noſtræ; quóniam miſéricors eſt mater miſericórdiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecúndiæ illórum à quibus fúerat invitáta, multò magìs compatiétur nobis, ſi piè fúerit invocáta. Placent enim illi núptiæ noſtræ, & pértinent ad eam multò magìs illis; nimírùm de cujus útero tanquàm è thálamo ſuo cœleſtis Sponſus proceſſit.

℟. Vir caput eſt mulíeris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccléſiæ : * Sicut Eccléſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulíeres viris ſuis : ſicut Chriſtus diléxit Eccléſiam, ita & viri debent dilígere uxóres ſuas. ℣. Sunt probáta coram Deo & homínibus, concórdia fratrum, & vir & múlier benè ſibi conſentientes. * Sicut Eccléſia. Glória. * Sicut Eccléſia. *Epheſ.* 5. *Eccli.* 25.

Lectio ix.

ERant, ait Evangeliſta, hydriæ ſex póſitæ ſecundùm purificatiónem Judæórum. Vel ex hoc potes maniféſtiùs advértere præparatiónem nuptiárum eſſe, ubi nimírùm adhuc opus eſt purificatióne.... Nunc útique lavandi tempus eſt : nunc ablúitur ſponſa, nunc purificátur, ut in cœléſtibus illis núptiis ſponſo ſuo ſine omni mácula præſentétur. Ait ergo Dóminus ad miniſtros : Impléte hydrias aquâ. Nobis, fratres, qui miniſtri ſumus & ſervi veſtri, per Chriſtum præcípitur impléte hydrias aquâ, quóties deeſt vinum. Ac ſi dicátur : Illi devotiónem desíderant, vinum requírunt, fervórem flágitant : ſed nondùm venit hora mea : impléte hydrias aquâ. Quæ eſt enim aqua ſapiéntiæ ſalutáris, niſi fons vitæ, & inítium ſapiéntiæ, timor Dómini? Dícitur ergo miniſtris : Incútite metum, & ſpíritu timóris corda repléte; quia ut ad caritátem pervéniant, initiandi ſunt à timóre : ut dicant & ipſi : A timóre tuo concépimus, Dómine, & parturívimus ſpíritum ſalútis. Omnis timor Dómini, ſicut aqua extinguit ignem, ſic extinguit peccáti concupiſcéntiam... Proptéreà ne fortè ſubintret peccátum, dum vinum deeſt, jubémur impléte hydrias aquâ, ut obſerventur mandáta Dómini in timóre, quæ tunc mutántur in vinum, cùm timor expéllitur à caritáte, & implentur ómnia fervóre ſpíritûs & jucunda devotióne.

Te Deum, *pag.* 9.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Núptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Jeſu ibi : vocátus eſt autem & Jeſus, & diſcípuli ejus ad núptias. *Joann.* 2.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui cœléſtia ſimul & terréna moderáris : ſupplicatiónes pópuli tui cleménter exaudi; & pacem tuam noſtris concéde tempóribus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. de Ordine, c. 2.

CUm divína res ſit ſancti Sacerdótii miniſtérium, conſentáneum fuit, quò digniùs & majóri cum veneratióne exercéri poſſet, ut, in Eccléſiæ ordinatíſſimâ diſpoſitióne, plures & diverſi eſſent Miniſtrórum órdines qui ſacerdótio ex officio deſervírent; ita diſtribúti, ut qui jam Clericáli Tonsúrâ inſigníti eſſent, per minóres ad majóres aſcénderent.

Ad Magníf. Ant. 1. D. Fecit inítium ſignórum Jeſus in Cana Galilææ, & maniſeſtávit glóriam ſuam: & credidérunt in eum diſcípuli ejus. *Joann.* 2.

Oratio ſuprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

Omnia ut in Feriis à Circumciſione ad Præſentationem, p. 308. & ſic in Feriis ſeq.

De Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 2.

DEo grátias qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odórem notítiæ ſuæ maniſeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui péreunt: áliis quidem odor mortis in mortem; áliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idóneus? Non enim ſumus ſicut plúrimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritáte, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto lóquimur.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 4.

IDeò habentes adminiſtratiónem, juxta quod miſericórdiam conſecúti ſumus, non deficimus; ſed abdicámus occulta dedécoris, non ambulantes in aſtútia, neque adulterantes verbum Dei: ſed in maniſeſtatióne veritátis commendantes noſmetipſos ad omnem conſciéntiam hóminum coram Deo. Quòd ſi étiam opertum eſt Evangélium noſtrum; in iis qui péreunt, eſt opertum: in quibus Deus hujus séculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti qui eſt imágo Dei. Non enim noſmetipſos prædicámus, ſed Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum; nos autem ſervos veſtros per Jeſum: quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illuxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei in fácie Chriſti Jeſu.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

HAbentes autem eumdem ſpíritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Crédidi; propter quod locútus ſum; & nos crédimus, propter quod & lóquimur: ſciéntes quóniam qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitábit & conſtítuet vobiſcum. Omnia enim propter vos: ut grátia, abundans per multos in gratiárum actióne, abundet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: ſed licèt is qui foris eſt, noſter homo corrumpátur; tamen is qui intùs eſt, renovátur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis: non contemplántibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália ſunt; quæ autem non videntur, ætérna ſunt.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

C A N O N.

Ex Concílio Carthaginenſi quarto.

Ann. 398. *cap.* 9.

OStiárius cùm ordinátur, poſtquàm ab Archidiácono inſtructus fúerit, quáliter in domo Dei débeat conversári; ad ſuggeſtiónem Archidiáconi tradat ei Epíſcopus claves Eccléſiæ de altário, dicens: Sic age, quaſi redditúrus Deo ratiónem pro his rebus quæ his clávibus recluduntur.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5.

SCimus quóniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupientes: ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti; eò quòd nólumus exſpoliári, ſed ſuperveſtíri, ut abſorbeátur quod mortále eſt, à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs. Audentes igitur ſemper, ſcientes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino: per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem: audémus autem, & bonam voluntátem ha-

ſémus magìs peregrinári à córpore, & præſentes eſſe ad Dóminum. Et ídeò contédimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placére illi.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

OMnes enim nos manifeſtári oportet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquiſque própria córporis, proût geſſit, ſive bonum, ſive malum. Scientes ergo timórem Dómini, homínibus ſuadémus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſciéntiis veſtris manifeſtos nos eſſe. Non íterùm commendámus nos vobis, ſed occaſiónem damus vobis gloriandi pro nobis; ut habeátis ad eos qui in fácie gloriantur, & non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo; ſive sóbrii ſumus, vobis. Cáritas enim Chriſti urget nos; æſtimantes hoc, quóniam ſi unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt: & pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus; ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt & reſurrexit.

℟. Quómodò, *pag.* 375.

Lectio iij.

SI qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt: ecce facta ſunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliávit ſibi per Chriſtum; & dedit nobis miniſtérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcílians ſibi, non réputans illis delícta ipsórum, & póſuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos: obſecrámus pro Chriſto, reconciliámini Deo. Eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit; ut nos efficerémur juſtítia Dei in ipſo.

℟. Fidélis ſérmo, *pag.* 376.

CÁNON.

Ex Concílio Carthaginenſi quarto.

Ann. 368. *cap.* 8.

LEctor cùm ordinátur, fáciat de illo verbum Epíſcopus ad plebem, índicans ejus fidem ac vitam atque ingénium. Poſt hæc, ſpectante plebe, tradat ei códicem de quo lectúrus eſt, dicens ad eum: Accipe, & eſto Lector verbi Dei, habitúrus, ſi fidéliter & utíliter impléveris officium, partem cum eis qui verbum Dei miniſtráverint.

FERIA QUARTA.
De Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6.

OS noſtrum patet ad vos, ô Corínthii: cor noſtrum dilatátum eſt. Non anguſtiámini in nobis: anguſtiámini autem in viſcéribus veſtris. Eamdem autem habentes remuneratiónem, tanquàm filiis dico, dilatámini & vos. Nolíte jugum dúcere cum infidélibus: quæ enim participátio juſtítiæ cum iniquitáte? aut quæ ſocíetas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Chriſti ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idólis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos: & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 7.

QUi conſolátur húmiles, conſolátus eſt nos Deus in adventu Titi. Non ſolùm autem in adventu ejus, ſed étiam in conſolatióne quâ conſolátus eſt in vobis, réferens nobis veſtrum deſidérium, veſtrum fletum, veſtram æmulatiónem pro me, ita ut magis gaudérem. Quóniam etſi contriſtávi vos in Epíſtola, non me pœnitet: etſi pœnitéret, videns quòd Epíſtola illa, etſi ad horam, vos contriſtávit: nunc gáudeo; non quia contriſtáti eſtis, ſed quia contriſtáti eſtis ad pœniténtiam. Contriſtáti enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiámini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum triſtítia eſt, pœniténtiam in ſalútem ſtábilem operátur: ſéculi autem triſtítia mortem operátur.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 10.

IPſe autem ego Paulus óbſecro vos per manſuetúdinem & modéſtiam Chriſti, qui in fácie quidem húmilis ſum inter vos, abſens autem confído in vobis; rogo autem vos ne præſens áudeam, per eam confidéntiam quâ exíſtimor audére in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquàm ſecundùm carnem ambulémus. In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militámus; nam arma milítiæ noſtræ non carnália ſunt, ſed poténtia Deo ad deſtructiónem munitiónum, conſília deſtruentes, & omnem altitúdinem extollentem ſe advérsùs ſciéntiam Dei, &

in captivitátem redigentes omnem intellectum in obséquium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobediéntiam, cùm impléta fuerit veſtra obediéntia.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Carthaginenſi quarto.

Ann. 398. *cap.* 7.

EXorciſta cùm ordinátur, accípiat de manu Epíſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epíſcopo: Accipe & commenda memóriæ, & habéto poteſtátem imponendi manus ſuper energúmenum, ſive baptizátum, ſive catechúmenum.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 10.

QUæ ſecundùm fáciem ſunt, vidéte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cógitet íterùm apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nam, & ſi ámpliùs áliquid gloriátus fúero de poteſtáte noſtra quam dedit nobis Dóminus in ædificatiónem, & non in deſtructiónem veſtram, non erubéſcam. Ut autem non exíſtimer tanquàm terrére vos per Epíſtolas: Quóniam quidem Epíſtolæ, ínquiunt, graves ſunt & fortes; præséntia autem córporis infirma, & ſermo contemptíbilis; hoc cógitet qui ejúſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per Epíſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

NOn enim audémus inſérere aut comparáre nos quibuſdam qui ſeipſos commendant; ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriábimur, ſed ſecundùm menſúram régulæ quâ menſus eſt nobis Deus, menſúram pertingendi uſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperexténdimus nos: uſque ad vos enim pervénimus in Evangélio Chriſti.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij. Cap. 11.

TImeo autem ne, ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtútiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & éxcidant à ſimplicitáte quæ eſt in Chriſto. Nam ſi is qui venit, álium Chriſtum prædicat quem non prædicávimus, aut álium Spíritum

accípitis quem non accépiſtis, aut áliud Evangélium quod non recepiſtis; rectè paterémini. Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apóſtolis. Nam etſi imperítus ſermóne, ſed non ſciéntiâ: in ómnibus autem manifeſtáti ſumus vobis. Aut numquid peccátum feci, meipſum humílians, ut vos exaltémini; quóniam gratìs Evangélium Dei evangelizávi vobis? Alias Eccléſias expoliávi, accípiens ſtipéndium ad miniſtérium veſtrum. Et, cùm eſſem apud vos & egérem, nulli onerófus fui: nam quod mihi déerat, ſupplevérunt fratres qui venérunt à Macedónia: & in ómnibus ſine ónere me vobis ſervávi & ſervábo.

℟. Fidélis ſermó, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Carthaginenſi quarto.

Ann. 398. cap. 6.

Acólythus cùm ordinátur, ab Epíſcopo quidem doceátur, quáliter in offício ſuo ágere débeat; ſed ab Archidiácono accípiat ceroferárium cum céreo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccléſiæ luminária mancipári. Accípiat & urcéolum vácuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſánguinis Chriſti.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 11.

Quóniam multi gloriantur ſecundùm carnem, & ego gloriábor: libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinétis enim ſi quis vos in ſervitútem rédigit, ſi quis dévorat, ſi quis áccipit, ſi quis extóllitur, ſi quis in fáciem vos cædit: ſecundùm ignobilitátem dico; quaſi nos infirmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet, in inſipiéntia dico, áudeo & ego. Hebræi ſunt? & ego. Iſraelítæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? ut minùs ſápiens dico, plus ego. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſupra modum, in mórtibus frequenter.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

A Judæis quínquies, quadragénas unâ minùs accépi: ter virgis cæſus ſum: ſemel lapidátus ſum: ter naufrágium feci: nocte & die in profundo maris fui: in itinéribus ſæpè, perículis,

riculis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex géntibus, perículis in civitáte, perículis in ſolitúdine, perículis in mari, perículis in falſis frátribus: in labóre & ærumna, in vigíliis multis, in fame & ſiti, in jejúniis multis, in frígore & nuditáte: præter illa quæ extrínſecùs ſunt, inſtántia mea quotidiána, ſollicitúdo ómnium Eccleſiárum.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

QUis infirmátur, & ego non infirmor? quis ſcandalizátur, & ego non uror? Si gloriári oportet, quæ infirmitátis meæ ſunt, gloriábor. Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedíctus in sécula, ſcit quòd non méntior. Damaſci præpóſitus gentis Arétæ regis, cuſtodiébat civitátem Damaſcenórum, ut me comprehénderet; & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effúgi manus ejus.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ref. cap.* 11.

ITa de gradu in gradum aſcendant Clérici minóres, ut in eis cum ætáte, vitæ méritum & doctrína major accreſcat: quod & bonórum morum exemplum, & aſsíduum in Eccléſia miniſtérium, atque major erga Presbyteros & ſuperióres Ordines reveréntia, & crébrior quam ánteà, Córporis Chriſti commúnio, máximè comprobábunt.

SABBATO.

Si fiat de B. M. Virg. tres Lectiones ſequentes (in unam contractæ) erunt Lect. j. & ſic in aliis Sabbatis uſque ad Quadrageſimam.

De Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 12.

SI gloriári oportet, non éxpedit quidem, véniam autem ad viſiónes & revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Chriſto ante annos quatuórdecim, ſive in córpore, néſcio, ſive extra corpus, néſcio, Deus ſcit, raptum hujúſmodi uſque ad tértium cœlum. Et ſcio hujúſmodi hóminem, ſive in córpore, ſive extra corpus, néſcio, Deus ſcit, quóniam raptus eſt in paradíſum; & audívit arcána verba quæ non licet hómini loqui. Pro hujúſmodi gloriábor; pro me autem nihil gloriábor niſi in

infirmitátibus meis. Nam, & ſi volúero gloriári, non ero inſípiens; veritátem enim dicam: parco autem, ne quis me exíſtimet ſupra id quod videt in me, aut áliquid audit ex me.

Lectio ij.

ET, ne magnitúdo revelatiónum extollat me, datus eſt mihi ſtímulus carnis meæ, ángelus ſátanæ qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut diſcéderet à me: & dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea: nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libenter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Chriſti. Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in neceſſitátibus, in perſecutiónibus, in angúſtiis pro Chriſto: cùm enim infirmor, tunc potens ſum. Factus ſum inſípiens, vos me coegiſtis: ego enim à vobis débui commendári; nihil enim minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apóſtoli, tametſi nihil ſum. Signa tamen Apoſtolátûs mei facta ſunt ſuper vos in omni patiéntia, in ſignis & prodígiis & virtútibus.

Lectio iij. Cap. 13.

ECce tértiò hoc vénio ad vos: in ore duórum vel trium téſtium ſtabit omne verbum. Prædixi & prædíco, ut præſens & nunc abſens, iis qui antè peccavérunt, & céteris ómnibus, quóniam ſi vénero íterùm, non parcam. An experimentum quæritis ejus qui in me lóquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmátur, ſed potens eſt in vobis? Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitáte; ſed vivit ex virtúte Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo; ſed vivémus cum eo ex virtúte Dei in vobis. Voſmetipſos tentáte ſi eſtis in fide; ipſi vos probáte. An non cognóſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? niſi fortè réprobi eſtis.

C A N O N.

Ex Concílio Rotomagenſi.

Ann. 1445. *can.* 16.

PRomovendi ad ſacros Ordines hábeant beneficium ſeu patrimónium, vel títulum verum & non fictum, à ſuis paréntibus & propinquis, ſine fraude: in quo ſi qui ſuos datóres aut promotóres circumvénerint, ſuórum ſint órdinum executióne ſuſpenſi.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Non juſtificátur homo ex opéribus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu crédimus, ut juſtificémur ex fide Chriſti. *Galat.* 2.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA III. poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóſtolus non ab homínibus, neque per hóminem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem qui ſuſcitávit eum à mórtuis; & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccléſiis Galátiæ. Grátia vobis, & pax à Deo Patre, & Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccátis noſtris; ut erípe-ret nos de præſenti ſéculo nequam, ſecundùm voluntátem Dei & Patris noſtri, cui eſt glória in ſécula ſeculórum. Amen. Tu autem, &c.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

MIror quòd ſic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Chriſti, in áliud Evangélium, quod non eſt áliud: niſi ſunt áliqui qui vos conturbant, & volunt convértere Evangélium Chriſti. Sed, licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis prætérquàm quod evangelizávimus vobis, anáthema ſit. Sicut prædíximus & nunc íterùm dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepiſtis, anáthema ſit. Modò enim homínibus ſuádeo, an Deo? an quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Chriſti ſervus non eſſem.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, ſed per revelatiónem Jeſu Chriſti. Audiſtis enim converſatiónem meam aliquandò in Judaïſmo; quóniam ſupra modum perſequébar Eccléſiam Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Judaïſmo ſupra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exiſtens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei qui me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuam ut revelároret Fílium ſuum in me, ut evangelizárem illum in géntibus; contínuò non acquiévi carni & sánguini: neque veni Jeroſólymam ad anteceſſóres meos Apóſtolos: ſed ábii in Arábiam, & iterùm reverſus

ſum Damaſcum. Deindè poſt annos tres veni Jerosólymam vidére Petrum, & manſi apud eum diébus quíndecim: álium autem Apoſtolórum vidi néminem, niſi Jacóbum fratrem Dómini.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

IN II. NOCTURNO.

De expoſitióne ſancti Auguſtíni Epíſcopi in Epíſtolam ad Gálatas.

Lectio iv. Præfat. initio.

CAuſa propter quam ſcribit Apóſtolus ad Gálatas hæc eſt, ut intélligant grátiam Dei id ſecum ágere ut ſub lege jam non ſint. Cùm enim prædicáta eis eſſet Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumciſióne, quamvis Chriſtiáni nómine, nondùm tamen tenentes ipſum grátiæ benefícium, & adhuc volentes eſſe ſub onéribus legis quæ Dóminus Deus impoſúerat, non juſtítiæ ſerviéntibus, ſed peccáto; juſtam ſcílicet legem injuſtis homínibus dando ad demonſtranda peccáta eórum, non auferenda. Non enim aufert peccáta niſi grátia fídei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas conſtitútos illi volébant conſtitúere ſub onéribus legis: aſſeverantes nihil eis prodeſſe Evangélium, niſi circumciderentur, & céteras carnáles Judáici ritûs obſervatiónes ſubírent. Et ideò Paulum Apóſtolum ſuſpectum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tanquàm non tenentem diſciplínam ceterórum Apoſtolórum qui gentes cogébant judaïzáre.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio vj.

TAlis quidem quæſtio eſt & in Epíſtola ad Romános: verúmtamen vidétur áliquid intereſſe; quòd ibi contentiónem ipſam dírimit, litémque compónit quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex géntibus credíderant, orta erat: cùm illi tanquàm ex méritis óperum legis ſibi rédditum Evangélii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumciſis tanquàm immériitis nolébant dari: illi contrà Judæis ſe præferre geſtírent, tanquàm interfectóribus Dómini. In hac verò epíſtola ad eos ſcribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum qui ex Judæis erant,

& ad obſervatiónes legis cogébant.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecútæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, ſi vis, potes me mundáre. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Libr. 1. Expoſ. ſuper Marc. cap. 1.

QUia Dóminus ait: Non veni ſólvere legem, ſed adimplére; ille qui excludebátur à lege, purgári ſe Dómini poteſtáte præſúmens, non ex lege, ſed ſupra legem eſſe grátiam judicábat, quæ leprósi máculam poſſet ablúere. Verùm ut in Dómino poteſtátis auctóritas, ita in illo fidei conſtántia declarátur. Ille in fáciem prócidit, quod humilitátis eſt, & pudóris, ut unuſquiſque de ſuæ vitæ máculis erubeſcat. Sed confeſſiónem verecúndia non repreſſit. Oſtendit vulnus, remédium poſtulávit: & ipſa religiónis & fídei plena confeſſio eſt; Si vis, inquit, potes me mundáre.

℟. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & ſpíritûs; * Perficientes ſanctificatiónem in timóre Dei. ℣. Mundi eſtóte, auferte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis: quiéſcite ágere perversè, díſcite benefácere, dicit Dóminus. * Perficientes ſanctificatiónem. *II. Cor. 7. Iſ. 1.*

Lectio viij.

IN voluntáte Dómini tríbuit poteſtátem. De voluntáte autem Dómini non quaſi pietátis incrédulus dubitávit, ſed quaſi colluviónis ſuæ cónſcius non præſumpſit. Jeſus autem miſertus ejus extendit manum ſuam, & tangens eum ait illi: Volo; mundáre. Et, cùm dixiſſet, ſtatìm diſceſſit ab eo lepra, & mundátus eſt. Nihil médium eſt inter opus Dei, atque præceptum, quia in præcepto eſt opus.

℟. Ait Jeſus leprόſo: Vide, némini díxeris: ſed * Vade, oſtende te Sacerdóti, & † Offer munus quod præcépit Móyſes in teſtimónium illis. ℣. Hic eſt ritus leprósi quandò mundandus eſt; adducétur ad Sacerdótem. * Vade. Glória. † Offer munus. *Matth. 8. Levit. 14.*

Lectio ix.

QUia typicè vir iſte peccátis lánguidum genus deſignat humánum, rectè non ſolùm leprófus, verùm étiam, juxta Evangélium Lucæ, plenus leprâ fuiſſe deſcríbitur. Omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei; illâ ſcílicet ut externâ manu Salvatóris, hoc eſt, incarnáto Dei Verbo, humanámque contingente natúram, ab erróris priſci varietáte mundéntur; poſsíntque cum Apóſtolis audíre: Jam vos mundi eſtis propter ſermónem quem locútus ſum vobis: & qui diútiùs abominábiles à pópulo Dei erant, à caſtris ſecréti, jam aliquandò templo reddi, & ſacerdóti queant offerri, illi útique cui dícitur: Tu es ſacerdos in ætérnum: audiéntes ab Apóſtolo, Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos; offerántque prò emundatióne ſuî ſicut præcépit Móyſes, id eſt exhíbeant córpora ſua hóſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jeſus: Ego véniam, & curábo eum. *Matth.* 8.

Orátio.

OMnípotens ſempitérne Deus, infirmitátem noſtram propítius réſpice; atque, ad protegendum nos, déxteram tuæ majeſtátis extende; Per.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 6.

SUbdiáconi oblatiónes in templo Dómini ſuſcípiunt à pópulis. Iſti obédiunt offíciis Levitárum: iſti quoque vaſa córporis & sánguinis Chriſti diacónibus ad altária Dómini ófferunt. De quibus quidem plácuit Pátribus, ut quia ſacra myſtéria contractant, caſti & continentes ſint ab uxóribus, & ab omni carnáli immundítia líberi, juxta quod illis, Prophétâ dicente, jubétur: Mundámini, qui fertis vaſa Dómini.

Ad Magníf. *Ant.* 8. g. Dixit Jeſus Centurióni: Vade; &, ſicut credidiſti, fiat tibi: & ſanátus eſt puer in illa hora. *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 2.

SCientes quòd non juſtificátur homo ex opéribus legis, niſi per fidem

Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu crédimus, ut juſtificémur ex fide Chriſti, & non ex opéribus legis: propter quod ex opéribus legis non juſtificábitur omnis caro. Quòd ſi quærentes juſtificári in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatóres, numquid Chriſtus peccáti miniſter eſt? Abſit. Si enim quæ deſtruxi, iterùm hæc ædífico: prævaricatórem me conſtítuo. Ego enim per legem legi mórtuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci: vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me, & trádidit ſemetipſum pro me. Non abjício grátiam Dei: ſi enim per legem juſtítia, ergo gratìs Chriſtus mórtuus eſt.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 3.

O Inſenſáti Gálatæ! quis vos faſcinávit non obedíre veritáti? ante quorum óculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt in vobis crucifixus? Hoc ſolùm à vobis volo díſcere: Ex opéribus legis Spíritum accepiſtis? an ex audítu fidei? Sic ſtulti eſtis, ut, cùm ſpíritu cœpéritis, nunc carne conſummémini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis: ex opéribus legis, an ex audítu fídei? Sicut ſcriptum eſt: Abraham crédidit Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam; cognóſcite ergo quia qui ex fide ſunt, ii ſunt fílii Abrahæ.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

PRóvidens autem Scriptúra, quia ex fide juſtíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fidéli Abraham: quicumque enim ex opéribus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permánſerit in ómnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo juſtificátur apud Deum, manifeſtum eſt quia juſtus ex fide vivit. Lex autem non eſt ex fide; ſed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Chriſtus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Chriſto

Jeſu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 7.

DIaconórum ordo à tribu Levi accépit exórdium.... In Evangélio autem primórdia eórum, & in Actibus Apoſtolórum leguntur.... Sicut in Sacerdóte conſecrátio, ita & in Miniſtro diſpensátio Sacramenti eſt. Ille oráre; hic psállere mandat: ille obláta ſanctíficat; hic ſanctificáta diſpenſat.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 3.

PRiuſquàm veníret fides, ſub lege cuſtodiebámur conclúſi, in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagógus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificémur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagógo. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quicumque enim in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt máſculus, neque fémina: omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu: ſi autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſiónem hærédes.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij. Cap. 4.

SCitis quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis jamprídem; & tentatiónem veſtram in carne mea non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum. Ubi eſt ergo beatitúdo veſtra? Teſtimónium enim perhíbeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, óculos veſtros eruiſsétis, & dediſsétis mihi. Ergo inimícus vobis factus ſum verum dicens vobis? Æmulantur vos non benè; ſed exclúdere vos volunt, ut illos æmulémini. Bonum autem æmulámini in bono ſemper, & non tantùm cùm præſens ſum apud vos. Filíoli mei, quos íterùm partúrio, donec formétur Chriſtus in vobis, vellem autem eſſe apud vos modò, & mutáre vocem meam, quóniam confundor in vobis.

℟. Quómodò, *pag.* 375.

Lectio iij. Cap. 5.

STate, & nolíte íterùm jugo ſervitútis continé-

℞. Ecce ego Paulus dico vobis: Quóniam ſi circumcidámini, Chriſtus vobis nihil próderit. Teſtíficor autem rurſus omni hómini circumcidenti ſe, quóniam débitor eſt univerſæ legis faciendæ. Evacuáti eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificámini: à grátia excidiſtis: nos enim ſpíritu ex fide, ſpem juſtítiæ expectámus. Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio áliquid valet, neque præpútium; ſed fides quæ per caritátem operátur. Currebátis bene: quis vos impedivit veritáti non obedíre? Perſuáſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos. Módicum ferméntum totam maſſam corrumpit.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Reform.* *cap.* 13.

SUbdiáconi & Diáconi ordinentur, habentes bonum teſtimónium, & in minóribus Ordínibus jam probáti, ac litteris, & iis quæ ad órdinem exercéndum pértinent, inſtructi. Qui ſperant, Deo auctóre, ſe continére poſſe, Eccléſiis quibus adſcribentur, inſérviant.

FERIA QUARTA.

Incipit Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ómnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidélibus in Chriſto Jeſu. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto, ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem: ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpectu ejus in caritáte.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

QUi prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum in ipſum; ſecundùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in dilecto Fílio ſuo. In quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecundùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis, in omni ſapiéntia & prudéntia: ut notum fáceret nobis ſacraméntum voluntátis ſuæ, ſecundùm beneplácitum ejus quod

propóſuit in eo, in diſpenſatióne plenitúdinis témporum inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

IN quo étiam & nos ſorte vocáti ſumus, prædeſtináti ſecundùm propóſitum ejus qui operátur ómnia ſecundùm consílium voluntátis ſuæ: ut ſimus in laudem glóriæ ejus nos qui antè ſperávimus in Chriſto: in quo & vos, cùm audiſsétis verbum veritátis (Evangélium ſalútis veſtræ) in quo & credentes ſignáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſáncto, qui eſt pignus hæreditátis noſtræ, in redemptiónem acquiſitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ordine, cap.* 1.

NOvum visíbile & externum ſacerdótium, in quod vetus tranſlátum eſt, à Dómino ſalvatóre noſtro inſtitûtum eſſe, atque Apóſtolis eorúmque ſucceſſóribus in ſacerdótio, poteſtátem tráditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus & Sánguinem ejus, nec non & peccáta dimittendi & retinendi, ſacræ Litteræ oſtendunt, & Cathólicæ Eccléſiæ tradítio ſemper dócuit.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 2.

CUm eſsétis mórtui delíctis, & peccátis veſtris, in quibus aliquandò ambulaſtis ſecundùm ſéculum mundi hujus, ſecundùm príncipem poteſtátis áeris hujus, ſpíritûs qui nunc operátur in filios diffidéntiæ: in quibus & nos omnes aliquandò converſáti ſumus in deſidériis carnis noſtræ, faciéntes voluntátem carnis & cogitatiónum, & erámus natúrâ fílii iræ, ſicut & céteri. Deus autem, qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam caritátem ſuam quâ diléxit nos, & cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto (cujus grátiâ eſtis ſalváti) & conreſuſcitávit, & conſedére fecit in cœléſtibus in Chriſto Jeſu: ut oſténderet in ſéculis ſuperveniéntibus abundántes divítias grátiæ ſuæ in bonitáte ſuper nos in Chriſto Jeſu.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

GRátiâ enim eſtis ſalváti per fidem : & hoc non ex vobis ; Dei enim donum eſt : non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. Propter quod mémores eſtóte quòd aliquandò vos gentes in carne, qui dicímini præpútium ab ea quæ dícitur circumcíſio in carne, manu facta ; quia erátis illo in témpore ſine Chriſto, alienáti à converſatióne Iſrael, & hóſpites teſtamentórum, promiſſiónis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos qui aliquandò erátis longè, facti eſtis propè in ſánguine Chriſti.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij.

IPſe enim eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ ſolvens inimicítias in carne ſua : legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hóminem, fáciens pacem ; & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in ſemetipſo. Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem iis qui propè. Quóniam per ipſum habémus acceſſum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 23. *de Ordine, can.* 4.

SI quis díxerit, per ſacram ordinatiónem non dari Spíritum ſanctum ; ac proindè fruſtrà Epíſcopos dícere : Accipe Spíritum ſanctum ; aut per eam non ímprimi charactérem, vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, láicum rursùs fíeri poſſe ; anáthema ſit.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 3.

MIhi ómnium ſanctórum mínimo data eſt grátia hæc, in géntibus evangelizáre inveſtigábiles divítias Chriſti, & illumináre omnes, quæ ſit diſpensátio ſacramenti abſcónditi à sǽculis in Deo qui ómnia creávit : ut innoteſcat principátibus & poteſtátibus in cœléſtibus per Eccléſiam multifórmis ſapiéntia Dei, ſecundùm præfinitiónem ſæculórum quam fecit in Chriſto Jeſu Dómino noſtro : in quo ha-

bémus fidúciam . & acceſſum in confidéntia per fidem ejus. Propter quod peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis, quæ eſt glória veſtra.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 4.

OBſecro itaque vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quá vocáti eſtis, cum omni humilitáte & manſuetúdine, cum patiéntia ſupportantes invicem in caritáte, ſollíciti ſerváre unitátem ſpíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus ſpíritus, ſicut vocáti eſtis in una ſpe vocatiónis veſtræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater ómnium, qui eſt ſuper omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Tempus breve eſt, *pag* 374.

Lectio iij.

UNicuíque autem noſtrûm data eſt grátia ſecundùm menſúram donatiónis Chriſti.... Et ipſe dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſdam autem Prophétas alios verò Evangeliſtas, álios autem Paſtóres & Doctóres ad conſummatiónem ſanctórum in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti; donec occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in menſúram ætátis plenitúdinis Chriſti; ut jàm non ſimus párvuli fluctuantes, & circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in aſtútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem facientes in caritáte, creſcámus in illo per ómnia qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctúram ſubminiſtratiónis, ſecundùm operatiónem in menſúram uniuſcujuſque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem ſuî in caritáte.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Carthaginenſi quarto

Ann. 398. *cap.* 1.

QUi Epíſcopus ordinandus eſt, ánteà examinétur, ſi natúrâ ſit prudens, ſi docíbilis, ſi móribus temperátus, ſi vitâ caſtus, ſi sóbrius, ſi ſemper ſuis negótiis cavens, ſi húmilis, ſi affábilis, ſi miſéricors, ſi litterátus, ſi in lege Dómini inſtructus, ſi in Scripturárum ſénſibus cautus, ſi in dogmátibus Eccleſiáſticis exercitátus.

SABBATO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 5.

EStóte imitatóres Dei, ſicut filii caríſſimi: & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & trádidit ſemetipſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo in odórem ſuavitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitúdo, aut ſtultilóquium, aut ſcurrílitas quæ ad rem non pértinet; ſed magìs gratiárum áctio. Hoc enim ſcitóte intelligentes, quòd omnis fornicátor, aut immundus, aut avárus, quod eſt idolórum ſérvitus, non habet hæreditátem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino: ut filii lucis, ambuláte. Fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítia, & veritáte: probantes quid ſit beneplácitum Deo. Et nolíte communicáre opéribus infructuóſis tenebrárum; magìs autem argúite. Vidéte itaque, fratres, quómodo cautè ambulétis.

Lectio ij. Cap. 6.

FIlii, obedíte paréntibus veſtris in Dómino: hoc enim juſtum eſt. Honóra patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandátum primum in promiſſióne: ut benè ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram. Et vos, patres, nolíte ad iracúndiam provocáre filios veſtros: ſed educáte illos in diſciplína & correptióne Dómini. Servi, obedíte dóminis carnálibus cum timóre & tremóre, in ſimplicitáte cordis veſtri ſicut Chriſto: non ad óculum ſervientes, quaſi homínibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntátem Dei ex ánimo: cum bona voluntáte ſervientes, ſicut Dómino, & non homínibus: ſcientes quóniam unuſquiſque, quodcumque fécerit bonum, hoc recípiet à Dómino, ſive ſervus, ſive liber. Et vos, dómini, éadem fácite illis, remittentes minas: ſcientes quia & illórum, & veſter Dóminus eſt in cœlis, & perſonárum accéptio non eſt apud eum.

Lectio iij.

STate ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritáte, & indúti lorícam juſtítiæ, & calceáti pedes in præpa-

ratióne Evangélii pacis: in ómnibus ſumentes ſcutum fídei, in quo poſsítis ómnia tela nequíſſimi ígnea extínguere. Et gáleam ſalútis aſsúmite, & gládium ſpíritûs, quod eſt verbum Dei: per omnem oratiónem, & obſecratiónem orantes omni témpore in ſpíritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtántia & obſecratióne pro ómnibus ſanctis, & pro me; ut detur mihi ſermo in apertióne oris mei cum fidúcia, notum fácere myſtérium Evangélii: pro quo legatióne fungor in caténa; ita ut in ipſo áudeam, pro-ut oportet me loqui.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. de Ordine, cap. 4.

SAcroſancta Synodus declárat, præter céteros Eccleſiáſticos gradus, Epíſcopos qui in Apoſtolórum locum ſucceſsérunt, ad hierárchicum Ordinem præcípuè pertinére; & pófitos, ſicut Apóſtolus ait, à Spíritu ſancto, régere Eccléſiam Dei; eóſque Presbyteris ſuperióres eſſe; ac Sacramentum Confirmatiónis conferre, Miniſtros Eccléſiæ ordináre, atque ália pléraque perágere ipſos poſſe: quarum functiónum poteſtátem réliqui inferióris órdinis nullam habent.

Ad Magníf. *Ant.* 4. D. Cáritas veſtra magìs ac magìs abundet in ſciéntia, & in omni ſenſu; ut probétis potióra, repléti fructu juſtítiæ per Jeſum Chriſtum. *Philipp.* 1.

Oratio infrà ad Laudes.

DOMINICA IV. poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philippenſes.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Timótheus, ſervi Jeſu Chriſti, ómnibus ſanctis in Chriſto Jeſu qui ſunt Philippis, cum Epíſcopis & Diacónibus. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo in omni memória veſtrî, ſemper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens, ſuper communicatióne veſtra in Evangélio Chriſti à prima die uſque nunc. Confídens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet uſque in diem Chriſti Jeſu. Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentíre pro ómnibus vobis: eò quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defenſióne &

confirmatióne Evangélii, ſócios gáudii mei omnes vos eſſe.

℞. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

QUidam autem ex contentióne Chriſtum annúntiant non ſincérè, exiſtimantes preſſúram ſe ſuſcitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſiónem, ſive per veritátem Chriſtus annuntiétur; & in hoc gáudeo, ſed & gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad ſalútem, per veſtram oratiónem, & ſubminiſtratiónem Spíritûs Jeſu Chriſti, ſecundùm expectatiónem, & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fidúcia, ſicut ſemper, & nunc magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Mihi enim vívere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd ſi vívere in carne, hic mihi fructus óperis eſt, & quid éligam ignóro. Coarctor autem è duóbus, deſidérium habens diſſolvi; & eſſe cum Chriſto multò magis mélius: permanére autem in carne, neceſſárium propter vos.

℞. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 1. & 2.

VObis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini: idem certámen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me. Si qua ergo conſolátio in Chriſto, ſi quod ſolátium caritátis, ſi qua ſocíetas ſpíritûs, ſi qua víſcera miſeratiónis: impléte gáudium meum; ut idem ſapiátis, eamdem caritátem habentes, unánimes, idipſum ſentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: ſed in humilitáte ſuperióres ſibi ínvicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſínguli conſiderantes, ſed ea quæ aliórum.

℞. Qui gloriátur, *p.* 375.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris Morálium ſancti Gregórii Papæ.

Libr. 4. *cap.* 34.

Lectio iv.

REplémus refectiónibus corpus, ne extenuátum defíciat: extenuámus abſtinéntiâ, ne nos replétum premat. Vegetámus hoc mótibus, ne ſitu immobilitátis intéreat: ſed cítiùs hoc collocando ſíſtimus, ne ipsâ ſuâ vegetatióne ſuccumbat. Adjumentis hoc véſtium tégi-

mus, ne frigus intérimat: & quæsíta adjumenta projícimus, ne calor exúrat. Tot ígitur diverſitátibus occurrentes, quid ágimus? niſi corruptibilitáti ſervímus; ut ſaltem multiplícitas impenſi obséquii corpus ſuſtíneat; quod anxíetas infirmæ mutabilitátis gravat?

℟. Recordátus eſt, pag. 375.

Lectio v.

Undè benè per Paulum dícitur: Vanitáti enim creatúra ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjécit eam in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei. Vanitáti quippè creatúra non volens súbditur: quia homo qui ingénitæ conſtántiæ ſtatum volens deséruit, preſſus juſtæ mortalitátis póndere, nolens mutabilitátis ſuæ corruptióni ſervit. Sed creatúra hæc tunc à ſervitúte corruptiónis erípitur, cùm ad filiórum Dei glóriam incorrupta reſurgendo ſublevátur.

℟. Quómodò miſerétur, pag. 375.

Lectio vj.

Hic ítaque electi moléſtiâ vincti ſunt: quia adhuc corruptiónis ſuæ pœnâ deprimuntur. Sed, cùm corruptíbili carne exúimur, quaſi ab his quibus nunc aſtríngimur, moléſtiæ vínculis relaxámur. Præſentári namque jam Deo cúpimus: ſed adhuc mortális córporis obligatióne præpedímur. Jure ergo vincti dícimur: quia adhuc inceſſum noſtri deſidérii ad Deum líberum non habémus. Undè benè Paulus ætérna desíderans, ſed tamen adhuc corruptiónis ſuæ ſárcinam portans, vinctus clamat: Cúpio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Diſſolvi enim non quæreret, niſi ſe procul dúbio vinctum vidéret.

℟. Fidélis ſermo, pag. 376.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

In illo témpore: Aſcendente Jeſu in navículam, ſecúti ſunt eum diſcípuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; ipſe verò dormiébat. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Enarr. in Pſ 93 §. 24. & 25.

Si Deus non miſcéret amaritúdines felicitátibus ſeculi; oblivíſcerémur eum. Sed ubi angóres moleſtiárum fáciunt fluctus

Animæ, fides illa quæ ibi dormiébat, excitétur. Tranquillum enim erat, quando dormívit Chriſtus in mari: illo dormiente, tempeſtas orta eſt, & cœpérunt periclitári. Ergo in corde Chriſtiáno & tranquíllitas erit & pax, ſed quándiù vígilat fides noſtra; ſi autem dormit fides noſtra, periclitámur. Hoc enim ſignificat dórmiens Chriſtus, quia quidam obliviſcuntur fidem ſuam, & periclitantur.

℟. Exurgens Jeſus ait diſcípulis: * Quid tímidi eſtis? necdùm habétis fidem? ℣. Qui timet Dóminum, non pavébit; quóniam ipſe eſt ſpes ejus. * Quid tímidi. *Marc.* 4. *Eccli.* 34.

Lectio viij.

SEd quómodò, illa navis cùm fluctuáret, excitátus eſt Chriſtus à fluctuántibus & dicéntibus: Dómine, perímus. Surrexit ille, imperávit tempeſtátibus, imperávit flúctibus, ceſsávit perículum, facta eſt tranquíllitas: ſic & te cùm turbant concupiſcéntiæ malæ, perſuaſiónes malæ; fluctus ſunt: tranquillabuntur. Jam deſpéras, putas te non pertinére ad Dóminum: evígilet fides tua, éxcita Chriſtum in corde tuo; ſurgente fide, jam agnoſcis ubi ſis: &, ſi fortè tentant fluctus concupiſcéntiæ, intuéris quid promíſit Deus; & dulcédo promiſsórum fáciet te contemptórem dulcédinum ſéculi.

℟. Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne: ſperent in te qui novérunt nomen tuum; * Quóniam non dereliquiſti quærentes te, Dómine. ℣. Habentes talem ſpem, multâ fidúciâ útimur. * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Pſ.* 9. *II. Cor.* 3.

Lectio ix.

Enarr. in Pſ. 45. §. 3.

MUltæ ſunt tribulatiónes, & in omni tribulatióne ad Deum confugiendum eſt: ſive ſit tribulátio in re familiári, ſive ſit in ſalúte córporis, ſive de perículo cariſſimórum, ſive de áliqua re ad hujus vitæ ſuſtentáculum neceſſáriâ, omnínò áliud refúgium non debet eſſe hómini chriſtiáno, quàm Salvátor ejus, quàm Deus ejus, quò cùm confúgerit, fortis ſit. Non enim ipſe in ſe fortis erit, aut ſibi ipſe fortitúdo erit: ſed ille illi fortitúdo erit, qui refúgium ejus factus eſt.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Surgens Jeſus imperávit ventis & mari, & fa-

ēta eſt tranquíllitas magna. *Matth.* 8.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis conſtitútos pro humána ſcis fragilitáte non poſſe ſubsíſtere: da nobis ſalútem mentis & córporis, ut ea quæ pro peccátis noſtris pátimur, te adjuvante, vincámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 22. *de Reform. cap.* 1.

NIhil eſt quod álios magìs ad pietátem & Dei cultum aſsíduè inſtruat, quàm eórum vita & exemplum, qui ſe divíno miniſtério dedicârunt: cùm enim à rebus séculi in altiórem ſubláti locum conſpiciantur; in eos tanquàm in ſpéculum, réliqui óculos conjíciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Hómines miráti ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philippenſes.

Lectio j. Cap. 2.

CAríſſimi mei, (ſicut ſemper obediſtis,) non ut in præséntia meî tantùm, ſed multò magìs nunc in abséntia mea cum metu & tremóre veſtram ſalútem operámini. Deus eſt enim, qui operátur in vobis & velle & perfícere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite ſine murmuratiónibus & hæſitatiónibus: ut ſitis ſine queréla & símplices fílii Dei ſine reprehenſióne, in médio natiónis pravæ & perverſæ, inter quos lucétis ſicut luminária in mundo, verbum vitæ continentes ad glóriam meam in die Chriſti, quia non in vácuum cucurri, neque in vácuum laborávi. Sed & ſi ímmolor ſupra ſacrifícium, & obséquium fídei veſtræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. Idipſum autem & vos gaudéte, & congratulámini mihi.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 3.

DE cétero, fratres mei, gaudéte in Dómino. Eadem vobis ſcríbere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſsárium. Vidéte canes, vidéte malos operários, vidéte conciſiónem. Nos enim ſumus circumcíſio, qui ſpíritu ſervímus Deo, & gloriámur in Chriſto Jeſu, & non in carne fidúciam habentes: quanquàm ego hábeam confidéntiam & in carne.

Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magìs, circumcíſus octávo die, ex génere Iſrael, de Tribu Bénjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus, ſecundùm æmulatiónem pérſequens Ecclésiam Dei, ſecundùm juſtítiam quæ in lege eſt, conversátus ſine queréla. Sed, quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus ſum propter Chriſtum detrimenta.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 4.

DE cétero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobiſcum. Gavíſus ſum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquandò refloruiſtis pro me ſentíre, ſicut & ſentiebátis: occupáti autem erátis. Non quaſi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliári, ſcio & abundáre: ubíque & in ômnibus inſtitútus ſum: & ſatiári, & eſuríre, & abundáre, & penúriam pati. Omnia poſſum in eo qui me confortat.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

C A N O N.

Ex Concílio Toletáno quarto.

Ann. 633. *Cap.* 22.

QUamvis conſciéntiam puram apud Deum nos habére opórteat, tamen apud hómines famam óptimam cuſtodíre cónvenit: ut, juxta præceptum Apoſtólicum, non tantùm coram Deo, ſed étiam coram homínibus, vitæ ſanctæ teſtimónium habeámus.

FERIA TERTIA.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Coloſſenſes.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, & Timótheus frater: eis qui ſunt Coloſſis, ſanctis & fidélibus frátribus in Chriſto Jeſu. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ágimus Deo, & Patri Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes: audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectiónem quam habétis in ſanctos omnes, propter ſpem quæ repóſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritátis

Evangélii quod pervénit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructíficat, & creſcit, ſicut in vobis ex ea die quâ audiſtis, & cognoviſtis grátiam Dei in veritáte.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

NOn ceſsámus pro vobis orantes, & poſtulantes ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni ſapiéntia & intellectu ſpiritáli: ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, & creſcentes in ſciéntia Dei: in omni virtúte confortáti ſecúndùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia, & longanimitáte cum gáudio, grátias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine: qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum Filii dilectiónis ſuæ; in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum: qui eſt imágo Dei inviſíbilis, primogénitus omnis creatúræ; quóniam in ipſo cóndita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibília & inviſibília, ſive throni, ſive dominatiónes, ſive principátus, ſive poteſtátes: ómnia per ipſum, & in ipſo creáta ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & ómnia in ipſo conſtant.

℟. Quómodò, *pag.* 375.

Lectio iij.

ET ipſe eſt caput córporis Eccléſiæ, qui eſt princípium, primogénitus ex mórtuis: ut ſit in ómnibus ipſe primátum tenens, quia in ipſo complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipſum: pacíficans per sánguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Et vos, cùm eſsétis aliquandò alienáti, & inimíci ſenſu in opéribus malis, nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos ſanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipſo: ſi tamen permanétis in fide fundáti, & ſtábiles & immóbiles à ſpe Evangélii quod audiſtis, quod prædicátum eſt in univerſa creatúra quæ ſub cœlo eſt.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

C A N O N.

Ex Concílio Moguntíno.

Ann. 813. *can.* 10.

CLérici non vagis óculis, non infréni linguâ

aut petulanti, tumidóque géſtu incédant; ſed pudórem ac verecúndiam mentis símplici hábitu incesſúque oſtendant.... Caſtimóniam quoque inviolári córporis perpétuò conſerváre ſtúdeant.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Coloſſenſes.

Lectio j. Cap. 3.

MOrtificáte ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiſcéntiam malam, & avarítiam quæ eſt ſimulacrórum ſérvitus; propter quæ venit ira Dei ſuper fílios incredulitátis; in quibus & vos ambulaſtis aliquandò, cùm vivérétis in illis. Nunc autem depónite & vos ómnia; iram, indignatiónem, malítiam, blaſphémiam, turpem ſermónem de ore veſtro. Nolíte mentíri ínvicem: expoliantes vos véterem hóminem cum áctibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovátur in agnitiónem ſecundùm imáginem ejus qui creávit illum: ubi non eſt Gentílis & Judæus, circumcíſio & præpútium, Bárbarus & Scytha, ſervus & liber; ſed ómnia & in ómnibus Chriſtus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

OMne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agentes Deo & Patri per ipſum. Mulíeres, súbditæ eſtóte viris, ſicut oportet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres veſtras, & nolíte amári eſſe ad illas. Filii, obedíte paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum eſt in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios veſtros, ut non puſillo ánimo fiant. Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum ſervientes quaſi homínibus placentes, ſed in ſimplicitáte cordis timentes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini, ſicut Dómino, & non homínibus: ſcientes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Chriſto ſervíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè geſſit: & non eſt perſonárum accéptio apud Deum.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 4.

DOmini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtáte; ſcientes quòd &

vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni inſtáte, vigilantes in ea in gratiárum actióne: orantes ſimul & pro nobis, ut Deus apériat nobis óſtium ſermónis ad loquendum myſtérium Chriſti, (propter quod étiam vinctus ſum) ut manifeſtem illud ita ut opórtet me loqui. In ſapiéntia ambuláte ad eos qui foris ſunt, tempus rediméntes. Sermo veſter ſemper in grátia ſale ſit condítus, ut ſciátis quómodò opórteat vos unicuíque reſpondére.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Remenſi.

Ann. 1564. *ſtat.* 6.

NE cuíquam moleſti ſimus, hortámur in Dómino Párochos noſtros, ut in ómnibus ſe præbeant exemplum bonórum óperum, in caſtitáte, ſobrietáte, morum gravitáte, atque omni honeſtáte; ut erubeſcant qui nobis inſidiantur adverſárii, non habentes undè Eccléſiæ Chriſti inſultent.

FERIA QUINTA.

Incipit Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Eccléſiæ Theſſalonicénſium in Deo Patre, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátia vobis, & pax. Grátias ágimus Deo ſemper pro ómnibus vobis, memóriam veſtrî faciéntes in oratiónibus noſtris, ſine intermiſſióne, mémores óperis fídei veſtræ, & labóris, & caritátis, & ſuſtinéntiæ ſpei Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum: ſciéntes, fratres dilecti à Deo, electiónem veſtram. Quia Evangélium noſtrum non fuit ad vos in ſermóne tantùm; ſed & in virtúte, & in Spíritu ſancto, & in plenitúdine multa: ſicut ſcitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij. Cap. 2.

EXhortátio enim noſtra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo; ſed ſicut probáti ſumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur: non quaſi homínibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra. Neque enim aliquandò fúimus in ſermóne adulatiónis, ſicut ſcitis; neque in occaſióne avarítiæ, Deus teſtis eſt; nec quærentes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis; cùm poſſémus vobis óneri

eſſe ut Chriſti Apóſtoli: ſed facti ſumus párvuli in médio veſtrûm, tanquàm ſi nutrix fóveat fílios ſuos. Ita deſiderantes vos cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras; quóniam caríſſimi nobis facti eſtis. Mémores enim eſtis, fratres, labóris noſtri, & fatigatiónis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij.

VOs teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè, & ſine queréla, vobis, qui credidiſtis, fúimus: ſicut ſcitis, quáliter unumquemque veſtrûm, ſicut pater fílios ſuos, deprecantes vos, & conſolantes, teſtificáti ſumus ut ambularétis dignè Deo qui vocávit vos in ſuum regnum & glóriam. Ideò & nos grátias ágimus Deo ſine intermiſſióne; quóniam, cùm accepiſsétis à nobis verbum audítûs Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hóminum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei qui operátur in vobis qui credidiſtis. Vos enim imitatóres facti eſtis, fratres, Eccleſiárum Dei quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: quia éadem paſſi eſtis & vos à contribúlibus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis: qui & Dóminum occidérunt Jeſum & Prophétas, & nos perſecúti ſunt, & Deo non placent, & ómnibus homínibus adverſantur, prohibentes nos géntibus loqui, ut ſalvæ fiant, ut ímpleant peccáta ſua ſemper: pervénit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Valentíno.

Ann. 855. *Can.* 15.

SAcerdos maturitáte morum & repudiatióne ómnium levitátum ac vanitátum, ómnibus ſibi adhæréntibus, ſéque intuéntibus, formam diſciplínæ & verecúndiæ ac modéſtiæ infundat.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio j. Cap. 5.

IPſi diligenter ſcitis quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint: Pax & ſecúritas: tunc repentínus eis ſupervéniet intéritus, ſicut dolor in útero habentis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non eſtis in ténebris, ut vos dies illa tan-

quàm fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diéi; non ſumus noctis neque tenebrárum: ígitur non dormiámus ſicut & céteri; ſed vigilémus, & sóbrii ſimus. Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt: & qui ébrii ſunt, nocte ébrii ſunt. Nos autem qui diéi ſumus, sóbrii ſimus, indúti lorícam fídei, & caritátis, & gáleam ſpem ſalútis: quóniam non póſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitiónem ſalútis per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mórtuus eſt pro nobis: ut ſive vigilémus, ſive dormiámus, ſimul cum illo vivámus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

PRopter quod conſolámini ínvicem, & ædificáte altérutrum, ſicut & fácitis. Rogámus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos, & præſunt vobis in Dómino, & monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in caritáte propter opus illórum. Pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, conſolámini puſillánimes, ſuſcípite infirmos, patientes eſtóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt, ſectámini in ínvicem & in omnes.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

SEmper gaudéte: ſine intermiſſióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu, in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere: prophetías nolíte ſpérnere. Omnia autem probáte: quod bonum eſt tenéte. Ab omni ſpécie mala abſtinéte vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctíficet vos per ómnia; ut íntegerſpíritus veſter, & ánima, & corpus, ſine queréla in adventu Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſervétur. Fidélis eſt qui vocávit vos: qui étiam fáciet. Fratres, oráte pro nobis. Salutáte fratres omnes in óſculo ſancto. Adjúro vos per Dóminum, ut legátur epiſtola hæc ómnibus ſanctis frátribus. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen. Tu autem, &c.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

Ann. 633. *Cap.* 21.

QUicumque in ſacerdótio Dei póſiti ſunt, irreprehensíbiles

irreprehensíbiles eſſe debent, Paulo Apóſtolo atteſtante: Oportet Epíſcopum irreprehensíbilem eſſe. Inoffenſos ígitur & immaculátos decet Dei exíſtere ſacerdótes; nec ullo eos fornicatiónis contágio póllui: ſed, caſtè viventes, mundos ſemetipſos celebrandis exhíbeant Sacramentis.

SABBATO.

Incipit Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Eccléſiæ Theſſalonicénſium in Deo Patre noſtro & Dómino Jeſu Chriſto. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ágere debémus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quóniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat cáritas uniuſcujuſque veſtrûm in ínvicem: ita ut & nos ipſi in vobis gloriémur in Eccléſiis Dei, pro patiéntia veſtra, & fide, in ómnibus perſecutiónibus veſtris, & tribulatiónibus, quas ſuſtinétis in exemplum juſti judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo & patímini. Si tamen juſtum eſt apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant: & vobis qui tribulámini, réquiem nobiſcum in revelatióne Dómini Jeſu de cœlo cum Angelis virtútis ejus, in flamma ignis dantis vindíctam iis qui non novérunt Deum, & qui non obédiunt Evangélio Dómini noſtri Jeſu Chriſti; qui pœnas dabunt in intéritu æternas, à fácie Dómini & à glória virtútis ejus; cùm vénerit glorificári in ſanctis ſuis, & admirábilis fieri in ómnibus qui credidérunt.

Lectio ij. Cap. 3.

DEnuntiámus autem vobis, fratres, in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahátis vos ab omni fratre ambulante inordinátè, & non ſecundùm traditiónem quam accepérunt à nobis. Ipſi enim ſcitis quemádmodùm opórteat imitári nos: quóniam non inquiéti fúimus inter vos, neque gratìs panem manducávimus ab áliquo; ſed in labóre & in fatigatióne, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravarémus. Non quaſi non habuérimus poteſtátem, ſed ut noſmetipſos formam darémus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm eſſémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis, quóniam,

ſi quis non vult operári, nec mandúcet.

Lectio iij.

AUdívimus enim inter vos quoſdam ambuláre inquiétè, nihil operantes, ſed curióſè agentes. Iis autem qui ejúſmodi ſunt, denuntiámus, & obſecrámus in Dómino Jeſu Chriſto, ut, cum ſiléntio operantes, ſuum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benefacientes. Quòd ſi quis non obédit verbo noſtro per Epíſtolam, hunc notáte, & ne commiſceámini cum illo, ut confundátur. Et nolíte quaſi inimícum exiſtimáre, ſed corrípite ut fratrem. Ipſe autem Dóminus pacis det vobis pacem ſempitérnam in omni loco. Dóminus ſit cum ómnibus vobis.

CANON.

Ex Concílio Senonenſi. *Ann.* 1528.

CUm in ſanctórum número ſint Clérici, neceſſitátem benè vivendi ſe aſſecútos eſſe ſciant, non licéntiam peccandi.

AD VESPERAS.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus: Quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere. *I. Tim.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA V. poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti ſecundùm impérium Dei Salvatóris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ, Timótheo dilecto fílio in fide. Grátia, miſericórdia & pax à Deo Patre & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Sicut rogávi te ut remanéres Epheſi cùm irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibuſdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, & genealógiis intermინátis: quæ quæſtiónes præſtant magìs quàm ædificatiónem Dei quæ eſt in fide. Finis autem præcepti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ, & fide non fictâ.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

GRátias ago ei qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit ponens in miniſtério: qui priùs blaſphémus fui, & perſecútor, & contumelióſus: ſed miſericórdiam Dei conſecútus ſum, quia ignórans feci in incredulitáte. Super-

abundávit autem grátia Dómini noſtri cum fide & dilectióne quæ eſt in Chriſto Jeſu. Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus: Quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum primus ego ſum. Sed ídeò miſericórdiam conſecútus ſum, ut in me primo oſténderet Chriſtus Jeſus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri ſunt illi in vitam ætérnam.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 2.

OBſecro ígitur primùm ómnium fíeri obſecratiónes, oratiónes, poſtulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus: pro Régibus & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt, ut quiétam & tranquillam vitam agámus, in omni pietáte & caſtitáte. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatóre noſtro Deo, qui omnes hómines vult ſalvos fíeri, & ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus: unus & Mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetipſum pro ómnibus, teſtimónium tempóribus ſuis.

℟. Qui gloriátur, *p.* 375.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 175. *aliàs* 9. *de Verb. Apoſt. cap.* 1.

Lectio iv.

FIdélis ſermo, & omni acceptióne dignus: Quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum prímus ego ſum. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Dómino, niſi peccatóres ſalvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, & nulla cauſa eſt medicínæ. Si venit de cœlo magnus Médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus: ipſe ægrótus genus humánum eſt.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Serm. 176. *aliàs* 10. *de Verb. Apoſt. cap.* 4.

Lectio v.

DIcit Paulus unicuíque ægróto, & de ſe volenti deſperáre: Qui curávit me, miſit me ad te, & dixit mihi: Illi deſperanti vade, & dic quid habuiſti, quid in te ſanávi, quàm citò ſanávi. De cœlo vocávi, unâ voce percuſſi & dejéci, áliâ eréxi & elégi, tértiâ implévi & miſi, quartâ liberávi & coronávi. Vade; dic ægrótis, clama deſperátis: Fidélis ſermo, &

omni acceptióne dignus: Quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatóres ſalvos fácere. Quid timétis? quid trepidátis? Quorum primus ego ſum. Ego, inquit, vobis loquor, ſanus ægrotántibus, ſtans jacéntibus, ſecúrus deſperántibus. Ideò enim miſericórdiam conſecútus ſum, ut in me oſténderet Chriſtus Jeſus omnem longanimitátem.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio vj. Cap. 5.

NOlíte ergo deſperáre. Ægróti eſtis; accédite ad eum, & ſanámini: cæci eſtis; accédite ad eum, & illumináমini. Et qui ſani eſtis, ei grátias ágite: & qui ægrotátis, ad eum ſanandi cúrrite. Dícite omnes: Veníte; adorémus, & proſternámur ei, & plorémus coram Dómino qui fecit nos, & hómines, & ſalvos. Nam ſi ille nos fecit hómines, nos autem ipſi nos fécimus ſalvos; áliquid illo mélius fécimus. Mélior eſt enim ſalvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, & tu te feciſti bonum hóminem, quod tu feciſti mélius eſt. Noli te extóllere ſuper Deum: ſubde te Deo, adóra, proſtérnere, confitére illi qui fecit te: quia nemo récreat, niſi qui creat; nemo réficit, niſi qui fecit.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Parábolam propóſuit turbis Jeſus, dicens: Símile factum eſt regnum cœlórum hómini qui ſeminávit bonum ſemen in agro ſuo: cùm autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, & ſuperſeminávit zizánia in médio trítici, & ábiit. Et réliqua.

Homília ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Homil. 46. in Matth. §. 1.

HÆc diáboli verſútia eſt, ut cum veritáte ſemper commíſceat errórem, cui veritátis colórem & ſimilitúdinem affingit, ita ut símplices fácilè circumveníre poſſit. Ideò non ália sémina quàm zizánia dixit, quod ſemen ſpécie quidem frumento símile eſt: deindè modum inſidiárum dicit: Cùm dormírent hómines, inquit. Non parvum hîc Præſúlibus propónitur præcipítium & perículum, quibus máximè arvi cura demandáta eſt; neque illis tantùm, ſed étiam súbditis. Oſtendit

autem errórem poſt veritátem veniſſe: id quod étiam rerum eventus teſtificátur; nam poſt Prophétas pſeudoprophétæ, poſt Apóſtolos pſeudoapóſtoli, & poſt ChriſtumAntichriſtus. Niſi enim diábolus víderit quid imitári poſſit, aut quibus inſidiári, nihil inſidiárum ponit.

℟. Vigiláte, quia adverſárius veſter diábolus, tanquàm leo rúgiens, círcuit, quærens quem dévoret: * Cui resíſtite fortes in fide. ℣. Dentes leónis dentes ejus, interficientes ánimas hóminum. * Cui resíſtite. *I. Petr. 5. Eccli. 21.*

Lectio viij.

SIcut álibì per viam, per petram, & per ſpinas, ſic & hîc per ſomnum perníecies áccidit. Quapropter aſsíduâ opus eſt cuſtódiâ. Ideò Chriſtus dicébat: Qui perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit.... Et quómodò fíeri poteſt, ínquies, ut non dórmiant hómines? Naturáli quidem ſomno fíeri nequit; voluntátis ſomno, ſecùs. Quapropter Paulus dicébat: Vigiláte, ſtáte in fide. Inimícum hóminem vocat illum, ob damna quæ infert homínibus: damnum enim nos ímpetit: damni verò inítium non ódio noſtrî, ſed ódio Dei factum eſt. Undè palàm eſt, Deum nos magìs dilígere, quàm nos à nobis ipſis diligámur. Sed aliundè vidére eſt diáboli verſútiam: non enim ántehàc ſeminávit, quia nihil quod pérderet hábuit; ſed cùm ómnia plena eſſent, ut totum agrícolæ ſtúdium labefactáret: ſic inimíco erga illum ánimo cuncta faciébat.

℟. Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucernæ ardentes in mánibus veſtris. * Beáti ſervi illi quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilantes! ℣. Qui vigiláverint ad Dóminum, invénient benedictiónem. * Beáti ſervi. Glória. * Beáti. *Luc. 12. Eccli. 32.*

Lectio ix.

VIde autem ſervórum diligéntiam. Nam zizánia citò evéllere cúpiunt, etiamſi id non conſideráte fáciant: quod illórum circa ſémina ſollicitúdinem declárat, arguítque ipſos ad unum tantùm reſpícere, non quo pacto ille pœnas det, neque enim illud ita urget; ſed ne jacta ſémina péreant. Ideò id cógitant, ut morbum celériter avellant. Illud verò non ſtatìm effícere conantur, neque enim id ſibi árrogant; ſed Dómini ſenténtiam expectant dicentes: Vis? Quid ígitur Dóminus? id vetat

dicens : Non : ne fortè eradicétis ſimul & tríticum.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Dómine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? undè ergo habet zizánia? Et ait illis : Inimícus homo hoc fecit. *Matth.* 13.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæſumus, Dómine, contínuâ pietáte cuſtódi; ut quæ in ſola ſpe grátiæ cœleſtis innítitur, tuâ ſemper protectióne muniátur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Turonenſi primo.

Ann. 461. *can.* 1.

SI univerſis fidélibus, ſecundùm Apoſtólicam doctrinam, cáſtitas cuſtodiénda indícitur; ut qui habent uxóres, ita ſint quaſi non habentes : quantò magìs Sacerdótes Dei ac Levítæ divíno mancipáti altário cuſtodíre debent; ut non ſolùm cordis, verùm étiam córporis puritátem ſervántes, pro plebe ſupplicatúri, preces ſuas ad divínum introíre mereantur audítum?

Ad Magníf. *Ant.* 1. G. Collígite primùm zizánia, & alligáte ea in faſcículos ad comburendum; tríticum autem congregáte in hórreum meum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIdélis ſermo : Si quis Epiſcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíſcopum irreprehensíbilem eſſe, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hoſpitálem, doctórem : non vinoléntum, non percuſsórem; ſed modeſtum : non litigióſum, non cúpidum; ſed ſuæ dómui benè præpóſitum, filios habentem súbditos cum omni caſtitáte. Si quis autem dómui ſuæ præeſſe neſcit, quómodò Eccléſiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum; ne, in ſupérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum & teſtimónium habére bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in oppróbrium íncidat, & in láqueum diáboli.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

DIáconos ſimíliter pudícos, non bilingues, non multo vino déditos, non turpe lucrum ſectantes : habentes myſtérium fidei in conſciéntia pura. Et hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent,

nullum crimen habentes. Mulíeres ſimíliter pudicas, non detrahentes, sóbrias, fidéles in ómnibus. Diáconi ſint uníus uxóris viri, qui fíliis ſuis benè præſint, & ſuis dómibus: qui enim benè miniſtráverint, gradum bonum ſibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu. Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te veníre citò: ſi autem tardávero, ut ſcias quómodò opórteat te in domo Dei converſári, quæ eſt Eccléſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritátis.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 4.

INeptas autem, & aníles fábulas devíta: exerce autem teipſum ad pietátem. Nam corporális exercitátio ad módicum útilis eſt: píetas autem ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futúræ. Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus: in hoc enim laborámus, & maledícimur, quia ſperámus in Deum vivum, qui eſt Salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adoleſcéntiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte. Dum vénio, attende lectióni, exhortatióni & doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetíam, cum impoſitióne mánuum Presbytérii. Hæc meditáre; in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit ómnibus. Attende tibi & doctrínæ; inſta in illis. Hoc enim fáciens, & teipſum ſalvum fácies, & eos qui te áudiunt.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

Ann. 633. *Cap.* 21.

ABſtineámus nos ab omni ópere malo, & ab omni inquinamento carnis líberi maneámus; ut, mundi córpore, purgáti mente, poſſímus ad ſacrifícium Chriſti digni accédere, & Deum pro delictis ómnium deprecári.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 5.

QUi benè præſunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur; máximè qui labórant in verbo & doctrínâ. Dicit enim Scriptúra: Non alligábis

os bovi trituranti; &: Dignus eſt operárius mercéde ſuâ. Adversùs Presbyterum accuſatiónem noli recípere, niſi ſub duóbus aut tribus téſtibus. Peccantes coram ómnibus árgue, ut & céteri timórem hábeant. Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtódias ſine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinando. Manus citò némini impoſúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teipſum caſtum cuſtódi. Noli adhuc aquam bíbere, ſed módico vino útere propter ſtómachum tuum, & frequentes tuas infirmitátes.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij. Cap. 6.

SI quis áliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermónibus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietátem eſt, doctrínæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiónes & pugnas verbórum: ex quibus oriuntur invídiæ, contentiónes, blaſphémiæ, ſuſpiciónes malæ, conflictatiónes hóminum mente corruptórum, & qui veritáte priváti ſunt, exiſtimántium quæſtum eſſe pietátem. Eſt autem quæſtus magnus píetas cum ſufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auferre quid póſſumus. Habentes autem alimenta & quibus tegámur, his contenti ſimus. Nam qui volunt dívites fieri, íncidunt in tentatiónem, & in láqueum diáboli, & deſidéria multa inutília, & nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, & perditiónem: radix enim ómnium malórum eſt cupíditas.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij.

DIvítibus hujus ſéculi præcipe non ſublímè ſápere, neque ſperáre in incerto divitiárum, ſed in Deo vivo qui præſtat nobis ómnia abundè ad fruendum, benè ágere, dívites fieri in bonis opéribus, fácilè tribúere, communicáre, theſaurizáre ſibi fundamentum bonum in futúrum, ut apprehendant veram vitam. O Timóthee, depóſitum cuſtódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falſi nóminis ſciéntiæ, quam quidam promittentes circa fidem excidérunt. Grátia tecum. Amen. Tu autem, Dómine.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi tértio.

Ann. 1573. part. 1. tit. de iis quæ ad honeſt. clerical. pertinent.

QUi in Sacerdótio ſancto conſtitúti ſunt, ad offerendum illud Deo acceptábile córporis Dómini ſacrifícium, ſicut eam functiónem gerunt, quâ nulla major excogitári poteſt; ita in omni ſacerdotális vitæ officio ſic ſe gerant, ut morum etiam præſtántiâ & ſplendóre álios allíciant, atque éxcitent ad débitum ſacerdótio honórem, illis præſtandum.

FERIA QUARTA.

Incipit Epíſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ſecundùm promiſſiónem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Timótheo caríſſimo fílio, grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Grátias ago Deo cui sérvio à progenitóribus in conſciéntia pura, quòd ſine intermiſſióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die: desíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímpleat; recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitávit primùm in ávia tua Lóide, & matre tua Eunice; certus ſum autem quòd & in te. Propter quam cauſam admóneo te, ut reſúſcites grátiam Dei, quæ eſt in te per impoſitiónem mánuum meárum. Non enim dedit nobis Deus ſpíritum timóris; ſed virtútis, & dilectiónis, & ſobrietátis.

℟. Nihil, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 1. & 2.

NOli itaque erubéſcere teſtimónium Dómini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabóra Evangélio ſecundùm virtútem Dei: qui nos liberávit, & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ; non ſecundùm ópera noſtra, ſed ſecundùm propóſitum ſuum, & grátiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante témpora ſeculária: manifeſtáta eſt autem nunc per illuminatiónem Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti: qui deſtruxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem per Evangélium; in quo póſitus ſum ego prædicátor, & Apóſtolus, & Magiſter Géntium. Ob quam cauſam étiam hæc pátior, ſed non confundor: ſcio enim cui crédidi; & certus ſum quia po-

tens eſt depóſitum meum ſervâre in illum diem. Formam habe ſanórum verbórum, quæ à me audiſti in fide, & in dilectióne in Chriſto Jeſu.... Labóra ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. Nemo mílitans Deo ímplicat ſe negótiis ſeculáribus, ut ei pláceat cui ſe probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur, niſi legitimè certáverit. Laborantem agrícolam oportet primùm de frúctibus percípere.

℟. Tempus, *pag.* 374.

Lectio iij.

INtéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum. Memor eſto Dóminum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mórtuis ex sémine David ſecúndum Evangélium meum, in quo labóro uſque ad víncula quaſi malè óperans; ſed verbum Dei non eſt alligátum. Ideò ómnia ſuſtíneo propter electos, ut & ipſi ſalútem conſequántur quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum glória cœleſti. Fidélis ſermo: Nam ſi commórtui ſumus, & convivémus; ſi ſuſtinébimus, & conregnábimus; ſi negavérimus, & ille negábit nos: ſi non crédimus, ille fidélis pérmanet, negáre ſeipſum non poteſt. Hæc cómmone, teſtíficans coram Dómino.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

C A N O N.

Ex Concílio Turonenſi primo.

Ann. 461. *can.* 1.

CUm láico abſtinéntia imperétur, ut poſſit oratióni vacans & Deum déprecans exaudíri: quantò magis Sacerdótibus vel Levítis? qui omni momento paráti Deo eſſe debent, in omni mundítia & puritáte ſecúri, ne aut ſacrifícium offerre, aut baptizáre, ſi id témporis neceſſitas popóſcerit, cogántur.

FERIA QUINTA.

De Epiſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 2.

NOli conténdere verbis: ad nihil enim útile eſt, niſi ad ſubverſiónem audiéntium. Sollícitè cura teipſum probábilem exhibére Deo, operárium inconfuſíbilem, rectè tractántem verbum veritátis. Profána autem, & vaníloquia devíta: multùm enim profíciunt ad impietátem; & ſermo eórum ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicentes reſurrectiónem eſſe jam factam, & ſubvertérunt quorumdam fidem.

Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui ſunt ejus; &, Diſcédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

JUvenília autem deſidéria fuge: ſectáre verò juſtítiam, fidem, caritátem & pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem & ſine diſciplína quæſtiónes devíta: ſciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre: ſed manſuétum eſſe ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéſtiâ corripientem eos qui reſiſtunt veritáti; nequandò Deus det illis pœniténtiam ad cognoſcendam veritátem, & reſipiſcant à diáboli láqueis, à quo captívi tenéntur ad ipſius voluntátem.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij. Cap. 3.

TU autem aſſecútus es meam doctrínam, inſtitutiónem, propóſitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, perſecutiónes, paſſiónes; quália mihi facta ſunt Antiochíæ, Icónii, & Lyſtris; quales perſecutiónes ſuſtínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Chriſto Jeſu, perſecutiónem patiéntur: mali autem hómines, & ſeductóres profícient in pejus; errantes, & in errórem mittentes. Tu verò pérmane in iis quæ didiciſti, & crédita ſunt tibi, ſciens à quo didíceris: & quia ab infántia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtrúere ad ſalútem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptúra divínitùs inſpiráta útilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtítia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Cameracenſi. *Ann.* 1565. *de vita Cler.*

HOmini Eccleſiáſtico, quâcumque dignitáte fulgeat, plus laudis affert frugálitas in menſa quàm ſumptus; plus dedécoris exquiſítus apparátus quàm ſimplex; plus moléſtiæ longus accúbitus quàm brevis & natúræ ſufficiens. Sit ergo cultus in menſa & convíviis pótiùs in gravitáte, ſobrietáte, & ſale condítis ſermónibus, quàm in pompa & delíciis.

FERIA SEXTA.
Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Titum.
Lectio j. Cap. 1.

PAulus ſervus Dei, Apóſtolus autem Jeſu Chriſti ſecundùm fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis quæ ſecundùm pietátem eſt, in ſpem vitæ ætérnæ, quam promíſit qui non mentítur Deus, ante témpora ſeculária; maniſeſtávit autem tempóribus ſuis verbum ſuum in prædicatióne, quæ crédita eſt mihi ſecundùm præceptum Salvatóris noſtri Dei; Tito dilecto filio ſecundùm commúnem fidem, grátia & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatóre noſtro. Hujus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, córrigas, & conſtítuas per civitátes Presbyteros, ſicut & ego diſpóſui tibi.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent ſanam doctrínam: ſenes ut sóbrii ſint, pudíci, prudentes, ſani in fide, in dilectióne, in patiéntia: anus ſimíliter in hábitu ſancto, non criminatríces, non multo vino ſervientes; benè docentes, ut prudéntiam dóceant adoleſcéntulas, ut viros ſuos ament, fílios ſuos díligant, prudentes, caſtas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris ſuis, ut non blaſphemétur verbum Dei. Júvenes ſimíliter hortáre ut sóbrii ſint. In ómnibus teipſum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte: verbum ſánum, irreprehensíbile: ut is qui ex adverſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 3.

ADmone illos princípibus, & poteſtátibus súbditos eſſe, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos eſſe: néminem blaſphemáre: non litigióſos eſſe; ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetúdinem ad omnes hómines.... Fidélis ſermo eſt; & de his volo te confirmáre: ut curent bonis opéribus præeſſe, qui credunt Deo. Hæc ſunt bona, & utília homínibus. Stultas autem quæſtiónes, & genealógias, & contentiónes, & pugnas legis devíta; ſunt enim inútiles, & vanæ. Hæréticum hóminem, poſt unam & ſecundam correptiónem, devíta: ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejúſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit próprio judício condemnátus.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 12.

UNdè vívitur, neceſſitátis eſt accípere, caritátis eſt præbére: non tanquàm venále ſit Evangélium, ut iſtud ſit prétium ejus, quod ſumunt qui annúntiant, undè vivant: ſi enim ſic vendunt, magnam rem vili prétio vendunt. Accípiant ſuſtentatiónem neceſſitátis à pópulo, mercédem diſpenſatiónis à Dómino.

SABBATO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philémonem.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timótheus frater, Philémoni dilecto, & adjutóri noſtro, & Appiæ ſorórí caríſſimæ, & Archippo commilitóni noſtro, & Eccléſiæ quæ in domo tua eſt. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo, ſemper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens caritátem tuam, & fidem quam habes in Dómino Jeſu, & in omnes ſanctos: ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu. Gáudium enim magnum hábui, & conſolatiónem in caritáte tua: quia víſcera ſanctórum requievérunt per te, Frater.

Lectio ij.

PRopter quod multam fidúciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi quod ad rem pértinet: propter caritátem magìs óbſecro, cùm ſis talis, ut Paulus ſenex; nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti: óbſecro te pro meo filio, quem génui in vínculis, Onéſimo, qui tibi aliquandò inútilis fuit, nunc autem & mihi & tibi útilis, quem remíſi tibi. Tu autem illum ut mea víſcera súſcipe: quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi miniſtráret in vínculis Evangélii: ſine consílio autem tuo nihil vólui fácere, utì ne velut ex neceſſitáte bonum tuum eſſet, ſed voluntárium.

Lectio iij.

FOrſitàn enim ídeò diſceſſit ad horam à te, ut ætemùm illum recíperes; jam non ut ſervum, ſed pro ſervo caríſſimum fratrem, máximè mihi: quantò autem magìs tibi, & in carne, & in Dómino? Si ergo habes me ſócium, súſcipe illum ſicut me: ſi autem áliquid nócuit tibi, aut de-

bet; hoc mihi ímputa. Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quòd & teipſum mihi débes. Ita, frater, ego te fruar in Dómino: réfice víſcera mea in Dómino. Confídens in obediéntia tua, ſcripſi tibi; ſciens quóniam & ſuper id quod dico, fácies. Simul autem & para mihi hoſpítium; nam ſpero per oratiónes veſtras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Chriſto Jeſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas & Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpíritu veſtro. Amen. Tu autem.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi quarto.

Ann. 1575. *p.* 3. *tit. Monit.*

NOn séculi vos mercatóres, non Mammónæ miniſtri eſtis, ſed Chriſti mercatóres: nolíte theſaurizáre vobis theſauros in terra; ſed bonórum óperum abundántiâ cum caritáte conjunctâ fácite theſauros in cœlis: ſtudéte vos lucrári ánimas Deo, cœleſte hórreum augére.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Pacem ſequímini cum ómnibus, & ſanctimóniam, ſine qua nemo vidébit Deum. *Hebr.* 12.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA VI.

poſt Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 1.

MUltifáriàm multíſque modis olìm Deus loquens pátribus in Prophétis, noviſſimè diébus iſtis locútus eſt nobis in Fílio quem conſtítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula. Qui, cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens, ſedet ad déxteram Majeſtátis in excelſis: tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 2.

NOn enim Angelis ſubjécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur. Teſtátus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo, quòd memor es ejus: aut fílius hóminis, quóniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper ópera mánuum tuárum: ómnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus. In eo enim quòd ómnia ei ſubjécit, nihil

dimíſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdùm vidémus ómnia ſubjecta ei. Eum autem qui módico quàm Angeli minorátus eſt, vidémus Jeſum, propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum, ut, grátiâ Dei, pro ómnibus guſtáret mortem. Decébat enim eum propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem ſalútis eórum per paſſiónem conſummáre.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

QUi enim ſanctíficat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio eccléſiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum; & íterùm: Ecce ego, & púeri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipſe ſimíliter participávit eíſdem: ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium, id eſt, diábolum; & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti. Nuſquàm enim Angelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit: undè débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miséricors fíeret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentátus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliári.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne ſancti Athanáſii Epíſcopi.

Orat. 1. *contra Arianos, Edit. Bened.* §. 55.

Lectio iv.

SI perſónam, rem & tempus verbórum Apóſtoli cognoviſſent hærétici, non ea quæ ad humánam pértinent natúram, tranſtuliſſent in divinitátem, nec eò impietátis insáni deveniſſent. Id autem is fácilè perſpíciet, qui inítium hujus loci rectè intelléxerit. Hæc enim ſunt Apóſtoli verba: Multifáriàm multíſque modis olìm Deus locútus pátribus per Prophétas, hiſce últimis diébus locútus eſt nobis in Filio: deindè paulò pòſt ait: Per ſeipſum, purgatióne peccatórum noſtrórum factâ, ſedet ad déxteram Majeſtátis in excelſis, tantò præſtántior factus Angelis, quantò excelléntius præ illis nomen hæreditávit. Itaque Apóſtoli dictum témporis mé-

minit quo nobis Deus in Fílio locútus eſt, & peccatórum facta purgátio eſt.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio v.

DEindè cùm ſermo ſit de diſpenſatióne quæ noſtrî causâ ſuſcepta eſt; de últimis tempóribus verba fáciens, convenienter ádmonet, neque prióribus tempóribus Deum tacuiſſe: síquidem per Prophétas locútus eſt. Quóniam ígitur Prophétæ miniſtravére, & lex promulgáta eſt per Angelos, deindéque advénit Fílius ut ipſe miniſtráret; neceſſáriò hæc verba íntulit: Tantò præſtántior factus Angelis; ut ſcílicet oſténderet quantò ſervo major eſt Fílius, tantò étiam Fílii adminiſtratiónem ſervórum adminiſtratióne præſtantiórem fuiſſe.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio vj.

VEterem ítaque & novam adminiſtratiónem diſtinguens Apóſtolus, fidenter hæc ad Judæos ſcribit: Tantò præſtántior factus Angelis. Quapropter nullâ hìc uſus eſt comparatióne; nec dixit: Major, vel honorátior, ne quis illum ejuſdem atque illos eſſe géneris ſuſpicarétur; ſed Præſtántior dixit, ut natúræ Fílii & rerum creatárum differéntiam demonſtráret.

℟. Fidélis ſermo, *p.* 376.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Parábolam propóſuit turbis Jeſus, dicens: Símile eſt regnum cœlórum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comm. in Matth. l. 2. *c.* 13.

REgnum cœlórum prædicátio Evangélii eſt, & notítia Scripturárum quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus ejus. Símile eſt ergo hujuſcémodi regnum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Homo qui séminat in agro ſuo, à pleriſque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium sémineт: ab áliis ipſe homo séminans in agro ſuo, hoc eſt, in ſemetipſo & in corde ſuo. Quis eſt iſte qui séminat, niſi ſenſus noſter & ánimus; qui ſuſcípiens granum prædicatiónis, & fovens ſementem humóre fídei, facit in agro ſui péctoris pulluláre?

℟. Locútus eſt Jeſus in parábolis ad turbas, ut impleréтur quod dictum eſt per Prophétam : * Eructábo abſcóndita à conſtitutióne mundi. ℣. Apériam in parábolis os meum ; loquar propoſitiónes ab inítio. * Eructábo. *Matth.* 13. *Pſ.* 77.

Lectio viij.

PRædicátio Evangélii mínima eſt ómnibus diſciplínis. Ad primam quippè doctrínam fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Deum mórtuum, & ſcándalum Crucis prædicans. Confer hujuſcémodi doctrínam dogmátibus philoſophórum & libris eórum, & ſplendóri eloquéntiæ, & compoſitióni ſermónum ; & vidébis quantò minor ſit céteris ſemínibus ſementis Evangélii. Sed illa cùm créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demonſtrant ; ſed totum flaccidum marcidúmque, & mollítum ebullit in ólera, & in herbas quæ citò areſcunt, & córruunt.

℟. Vobis datum eſt noſſe myſtéria regni cœlórum : * Veſtri beáti óculi quia vident, & aures veſtræ quia áudiunt. ℣. Beátus qui in iſtis versátur bonis ! qui ponit illa in corde ſuo, ſápiens erit ſemper. * Veſtri. Glória. * Veſtri óculi. *Matth.* 13. *Eccli.* 50.

Lectio ix.

HÆc autem prædicátio quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credentis, vel in toto mundo ſata fúerit, non exurgit in ólera, ſed creſcit in árborem : ita ut vólucres cœli, quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei ſervítio mancipátas, ſentíre debémus, véniant & hábitent in ramis ejus.... Aſſumámus & nos pennas columbæ, ut, volitantes ad altióra, poſsímus habitáre in ramis hujus árboris, & nídulos nobis fácere doctrinárum, terrénaque fugientes ad cœléſtia feſtináre.

Ad Bened. *Ant.* 7. *d.* Símile eſt regnum cœlórum grano ſinápis, quod mínimum quidem eſt ómnibus ſemínibus ; cùm autem créverit, majus eſt ómnibus oléribus. *Matth.* 13.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut, ſemper rationabília meditantes, quæ tibi ſunt plácita, & dictis exequámur & factis ; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanenſi quarto.

Ann. 1576. *part.* 3. *Monit.*

PAupertátem veſtram ne moleſtè ferte ; pauper-

tátem diléxit & dócuit cœléſtis Magiſter Chriſtus, qui naſcens in præſépio pónitur, & nudus in cruce móritur. Scitóte paupertáti ſócias adjungi ſobrietátem, abſtinéntiam & réliquas virtútes quibus prælucére oportet miniſtros Dei.

Ad Magníf. *Ant.* 1. 2. Símile eſt regnum cœlórum fermento quod acceptum múlier abſcondit in farínæ ſatis tribus, donec fermentátum eſt totum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 3.

UNdè, fratres ſancti, vocatiónis cœléſtis partícipes, conſideráte Apóſtolum & Pontíficem confeſſiónis noſtræ Jeſum: qui fidélis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Móyſes in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iſte præ Móyſe dignus eſt hábitus, quantò ampliórem honórem habet domûs qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo: qui autem ómnia creávit, Deus eſt. Et Móyſes quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquàm fámulus, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant; Chriſtus verò tanquàm fílius in domo ſua; quæ domus ſumus nos, ſi fidúciam & glóriam ſpei, uſque ad finem, firmam retineámus.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

VIdéte, fratres, ne fortè ſit in áliquo veſtrûm cor malum incredulitátis diſcedendi à Deo vivo; ſed adhortámini voſmetipſos per ſíngulos dies, donec Hódie cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis falláciâ peccáti. Partícipes enim Chriſti effecti ſumus; ſi tamen inítium ſubſtántiæ ejus uſque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur: Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, quemádmodùm in illa exacerbatióne. Quidam enim audientes exacerbavérunt; ſed non univerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Móyſen. Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis qui peccavérunt, quorum cadávera proſtráta ſunt in deſerto? Quibus autem jurávit non introíre in réquiem ipsíus, niſi illis qui incréduli fuérunt? Et vidémus, quia non potuérunt introíre propter incredulitátem.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 4.

FEſtinémus ergo íngredi in illam réquiem, ut ne in idipſum quis íncidat incredulitátis exemplum. Vivus eſt enim ſermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertingens uſque ad diviſiónem ánimæ ac ſpíritûs, compágum quoque ac medullárum, & diſcrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non eſt ulla creatúra invisíbilis in conſpectu ejus: ómnia autem nuda & aperta ſunt óculis ejus, ad quem nobis ſermo. Habentes ergo Pontíficem magnum qui penetrávit cœlos, Jeſum Fílium Dei, teneámus confeſſiónem.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 22.

QUi præfícitur ad régimen, táliter erga diſciplínam ſubditórum præſtáre ſe debet; ut non ſolùm auctoritáte, verùm étiam humilitáte clareſcat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitátis, ne diſſolvátur vita ſubditórum in vítiis: atque ita auctóritas áderit poteſtátis, ne per tumórem cordis ſevéritas exiſtat immoderatiónis. Hæc eſt in Sacerdótibus vera diſcrétio, quâ nec per l[...] bertátem ſuperbi, nec p[...] humilitátem fiunt remiſſ[...]

FERIA TERTIA

De Epíſtola beáti Pau[...] Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6.

QUapropter interm[...] tentes inchoatió[...] Chriſti ſermónem, ad p[...] fectióra ferámur, non r[...] sùm jacientes fundame[...] tum pœniténtiæ ab opé[...] bus mórtuis, & fidei [...] Deum, baptíſmatum d[...] ctrínæ, impoſitiónis qu[...] que mánuum, ac reſur[...] ctiónis mortuórum, & j[...] dícii æterni. Et hoc fac[...] mus, ſiquidem permíſe[...] Deus. Impoſsíbile eſt en[...] eos qui ſemel ſunt illum[...] náti, guſtavérunt étia[...] donum cœleſte, & par[...] cipes facti ſunt Spíri[...] ſancti, guſtavérunt nihi[...] minùs bonum Dei ve[...] bum, virtutéſque séc[...] ventúri, & prolapſi ſun[...] rursùs renovári ad pœ[...] téntiam, rursùm cruci[...] gentes ſibimetipſis Fíli[...] Dei, & oſténtui habent[...] Terra enim ſæpè venie[...] tem ſuper ſe bibens i[...] brem, & génerans herba[...] opportúnam illis à quib[...] cólitur, áccipit benedict[...] nem à Deo: próferens a[...] tem ſpinas ac tríbulos, [...] proba eſt, & maledic[...]

próxima; cujus conſummátio in combuſtiónem.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

CОnfídimus autem de vobis, dilectíſſimi, melióra & viciniόra ſalúti, tametſi ita lóquimur. Non enim injuſtus Deus, ut oblivíſcátur óperis veſtri, & dilectiónis quam oſtendiſtis in nómine ipſíus, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtrátis. Cúpimus autem unumquemque veſtrûm eamdem oſtentáre ſollicitúdinem ad expletiónem ſpei uſque in finem: ut non ſegnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promiſſiónes. Abrahæ namque promittens Deus, quóniam néminem hábuit, per quem juráret, majórem, jurávit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedícens benedícam te, & multíplicans multiplicábo te: & ſic longanímiter ferens, adeptus eſt repromiſſiónem.

℟. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij. Cap. 10.

HAbentes ítaque, fratres, fidúciam in intróitu ſanctórum in sánguine Chriſti, quam initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id eſt, carnem ſuam, & Sacerdótem magnum ſuper domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aſperſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem; fidélis enim eſt qui repromíſit: & conſiderémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum: non deſerentes collectiónem noſtram, ſicut conſuetúdinis eſt quibuſdam; ſed conſolantes, & tantò magìs quantò vidéritis appropinquantem diem.

℟. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

CANON.

Ex Concílio Pariſienſi ſexto.

Ann. 829. *libr.* 1. *c.* 9.

IPſi ſunt Ecclésiæ decus.... qui non ambiendo, ſed ſpirituáliter vivendo, ſacerdótium meruérunt; quíque non favóris humáni ſuffrágio, ſed divíno múnere ſublimáti, nihil ſibi de præſtántia ſui principátûs applaudunt. Quos non inflat honor acceptus, ſed exercet labor impóſitus: quia non excelléntiam ſuam cógitant provecti, ſed ſárcinam; nec gloriantur de officii dignitáte, ſed ſudant pótiùs conſtitúti ſub ónere.

FERIA QUARTA.
De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.
Lectio j. Cap. 10.

VOluntáriè peccántibus nobis poſt acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóſtia, terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio quæ conſumptúra eſt adversários. Irritam quis fáciens legem Móyſi, ſine ulla miſeratióne duóbus vel tribus téſtibus móritur: quantò magìs putátis deterióra meréri ſupplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem teſtamenti pollútum dúxerit in quo ſanctificátus eſt, & Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam: & íterùm: Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum. Horrendum eſt incídere in manus Dei viventis.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij.

REmemorámini autem príſtinos dies, in quibus illumináti magnum certámen ſuſtinuiſtis paſſiónum: & in áltero quidem, oppróbriis & tribulatiónibus ſpectáculum facti; in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapínam bonórum veſtrórum cum gaúdio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habére meliórem & manentem ſubſtántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam veſtram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis neceſsária eſt, ut voluntátem Dei facientes reportétis promiſſiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus eſt, véniet & non tardábit. Juſtus autem meus ex fide vivit; quòd ſi ſubtráxerit ſe, non placébit ánimæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractiónis fílii in perditiónem, ſed fídei in acquiſitiónem ánimæ.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 11.

EST autem fides ſperandárum ſubſtántia rerum, argumentum non apparéntium: in hac enim teſtimónium conſecúti ſunt ſenes. Fide intellígimus aptáta eſſe sécula verbo Dei, ut ex inviſibílibus viſibília fierent. Fide plúrimam hóſtiam Abel quàm Caïn, óbtulit Deo, per quam teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimónium perhibente munéribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc lóquitur. Fide Enoch tranſlátus eſt ne vi-

déret mortem, & non inveniebátur, quia tránſtulit illum Deus: ante tranſlatiónem enim teſtimónium hábuit placuiſſe Deo: ſine fide autem impoſsíbile eſt placére Deo; crédere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquiréntibus ſe remunerátor ſit.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

C A N O N.

Ex Concílio Colonienſi primo.

Ann. 1563. *tit.* 2. *cap.* 23.

UT omnem ambitiónis radícem Chriſtus diſcipulórum córdibus exímeret, párvulum in médio illórum ſtátuit, déque primátu certáre prohíbuit.... Quare meminérimus pótiùs offícii noſtri, quàm dignitátis; neque enim ad dominatiónem vocáti ſumus, ſed ad opus.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 11.

FIde Noe, reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in ſalútem domûs ſuæ, per quam damnávit mundum; & juſtítiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitútus. Fide, qui vocátur Abraham, obedívit in locum exíre, quem accepturus erat in hæreditátem; & éxiit, néſciens quò iret. Fide demorátus eſt in terra repromiſſiónis, tanquàm in aliéna, in caſulis habitando cum Iſaac & Jacob cohærédibus repromiſſiónis ejuſdem. Expectábat enim fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. Fide & ipſa Sara ſtérilis virtútem in conceptiónem séminis accépit, étiam præter tempus ætátis: quóniam fidélem crédidit eſſe eum qui repromíſerat. Propter quod & ab uno orti ſunt, & hoc emórtuo, tanquàm sídera cœli in multitúdinem, & ſicut aréna quæ eſt ad oram maris, innumerábilis. Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſiónibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregríni & hóſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe pátriam inquírere. Et ſi quidem ipsíus meminiſſent de qua exiérunt, habébant útique tempus revertendi. Nunc autem meliórem áppetunt, id eſt, cœleſtem: ídeò non confúnditur Deus vocári Deus eórum: parávit enim illis civitátem.

℟. Recordátus eſt, *pag.* 375.

Lectio ij.

FIde óbtulit Abraham Iſaac, cùm tentarétur, & unigénitum offerébat qui ſuſcéperat repromiſſiónes; ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocábitur tibi ſemen: árbitrans quia & à mórtuis ſuſcitáre potens eſt Deus; undè eum & in parábolam accépit. Fide & de futúris benedíxit Iſaac, Jacob & Eſaü. Fide Jacob móriens ſíngulos filiórum Joſeph benedixit, & adorávit faſtígium virgæ ejus. Fide Joſeph, móriens, de profectióne filiórum Iſrael memorátus eſt, & de óſſibus ſuis mandávit.

℞. Quómodò miſerétur, *pag.* 375.

Lectio iij.

FIde Móyſes natus, occultátus eſt ménſibus tribus à paréntibus ſuis, eò quòd vidiſſent elegantem infantem, & non timuérunt regis edíctum. Fide Móyſes grandis factus negávit ſe eſſe filium fíliæ Pharaónis, magìs éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, majóres divítias æſtimans theſauro Ægyptiórum impropérium Chriſti; aſpiciébat enim in remuneratiónem. Fide relíquit Ægyptum, non véritus animoſitátem regis; inviſíbilem enim tanquàm videns ſuſtínuit. Fide celebrávit Paſcha, & ſánguinis effuſiónem; ne qui vaſtábat primitíva, tángeret eos. Fide tranſiérunt mare rubrum tanquàm per áridam terram; quod experti Ægyptii devoráti ſunt.

℞. Fidélis ſermo, *pag.* 376.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 34.

NUllum omnipotenti Deo tale eſt ſacrifícium, quale eſt zelus animárum, ſicut Pſalmiſta ait: Zelus domûs tuæ comédit me. Paulus Apóſtolus zelo animárum cruciátus dicébat: Quis infirmátur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizátur, & ego non uror?

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 11.

FIde muri Jéricho corruérunt, circúitu diérum ſeptem. Fide Rahab meretrix non périit cum incrédulis, excípiens exploratóres cum pace. Et quid adhuc dicam? defíciet enim me tempus enarrantem de Gédeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Sámuel & Prophétis: qui

per fidem vicérunt regna, operáti ſunt juſtítiam, adepti ſunt repromiſſiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti ſunt in bello, caſtra vertérunt exterórum; accepérunt mulíeres de reſurrectióne mórtuos ſuos. Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptiónem, ut melIórem invenírent reſurrectiónem: álii verò ludíbria, & vérbera experti, ínſuper & víncula, & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egentes, anguſtiáti, afflicti; quibus dignus non erat mundus, in ſolitudínibus errantes, in móntibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes teſtimónio fídei probáti, non accepérunt repromiſſiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.

℟. Nihil intúlimus, *pag.* 374.

Lectio ij. Cap. 12.

IDeóque & nos tantam habentes impóſitam nubem téſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen: aſpicientes in auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum qui, propóſito ſibi gaúdio, ſuſtínuit crucem, confuſióne contemptâ, atque in déxtera ſedis Dei ſedet. Recogitáte enim eum qui talem ſuſtínuit à peccatóribus adversùm ſemetipſum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis veſtris deficientes. Nondùm enim uſque ad sánguinem reſtitiſtis, adversùs peccátum repugnantes; & oblíti eſtis conſolatiónis quæ vobis tanquàm fíliis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere diſciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus caſtígat: flagellat autem omnem fílium quem récipit.

℟. Tempus breve eſt, *pag.* 374.

Lectio iij.

IN diſciplína perſeveráte. Tanquàm fíliis vobis offert ſe Deus: quis enim fílius quem non córripit pater? Quòd ſi extra diſciplínam eſtis, cujus partícipes facti ſunt omnes; ergo adúlteri, & non fílii eſtis. Deindè patres quidem carnis noſtræ eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri ſpirítuum,

tuum, & vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum, ſecundùm voluntátem ſuam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile eſt, in recipiendo ſanctificatiónem ejus. Omnis autem diſciplína, in præſenti quidem vidétur non eſſe gaúdii, ſed mœróris; póſteà autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſolúta génua erígite, & greſſus rectos fácite pédibus veſtris; ut non cláudicans quis erret, magìs autem ſanétur. Pacem ſequímini cum ómnibus, & ſanctimóniam, ſine qua nemo vidébit Deum.

℟. Qui gloriátur, *pag.* 375.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 13. *de Reform. cap.* 1.

DIligentis & pii ſimul Paſtóris offícium eſt, morbis óvium lénia primùm adhibére fomenta; pòſt ubi morbi grávitas ita póſtulat, ad acrióra & gravióra remédia deſcéndere; ſin autem nec ea quidem profíciant, illis ſubmovendis, céteras ſaltem oves à contagiónis perículo liberáre.

SABBATO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13.

CAritas fraternitátis máneat in vobis: & hoſpitalitátem nolíte oblivíſci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hoſpítio receptis. Mementóte vinctórum, tanquàm ſimul vincti; & laborántium, tanquàm & ipſi in córpore morantes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus: fornicatóres enim, & adúlteros judicábit Deus. Sint mores ſine avarítia, contenti præséntibus: ipſe enim dixit: Non te déſeram, neque derelinquam: ita ut confidenter dicámus: Dóminus mihi adjútor, non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte Præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum converſatiónis, imitámini fidem.

Lectio ij.

JEſus Chriſtus herì, & hódiè, ipſe & in sécula. Doctrínis váriis, & peregrínis nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátiâ ſtabilíre cor, non eſcis quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo de-

ſérviunt. Quorum enim animálium infertur ſanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Jeſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum, extra portam paſſus eſt. Exeámus igitur ad eum extra caſtra, impropérium ejus portantes: non enim habémus hîc manentem civitátem, ſed futúram inquírimus.

Lectio iij.

PEr ipſum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, & communiónis nolíte oblivíſci: tálibus enim hóſtiis promerétur Deus. Obedíte Præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis: ipſi enim pervígilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant, & non gementes: hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis: confídimus enim quia bonam conſciéntiam habémus, in ómnibus benè volentes conversári. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quò celériùs reſtítuar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mórtuis Paſtórem magnum óvium, in ſánguine teſtamenti ætérni, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe per Jeſum Chriſtum cui eſt glória in sécula ſeculórum. Amen. Tu autem.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

Ann. 816. *libr.* 1. *cap.* 9.

TEnébit Sacerdos illam ſupereminentem donis ómnibus caritátem, ſine qua omnis virtus nihil eſt. Cuſtos enim ſanctitátis cáritas eſt: locus autem hujus cuſtódis humílitas eſt.

SABBATO

Ante Dominicam Septuageſimæ.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Pſalt. pag. 150. *exceptis quæ ſequuntur.*

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Dóminus Deus noſter fecit terram in fortitúdine ſua: præparávit orbem in ſapiéntia ſua, & prudéntiâ ſuâ extendit cœlos; allelúia. *Jerem.* 51.

[*Et deinceps uſque ad Sabbatum ſanctum non dicitur*, Allelúia; *ſed ejus loco dicitur*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, *initio ómnium Horarum.*]

Oratio, infrà ad Laudes.

AD COMPLET. *Pſal. & Ant. de Sabb. cetera ut in Dominicis.*

DOMINICA Septuageſimæ.

Omnia ut in Pſalterio, exceptis quæ ſequuntur. Et ſic in omni Officio de Tempore uſque ad Feriam IV. Cinerum.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Géneſis.

Lectio j. Cap. 1.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inánis & vácua, & ténebræ erant ſuper fáciem abyſſi, & Spíritus Dei ferebátur ſuper aquas. Dixítque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona; & diviſit lucem à ténebris, appellavítque lucem Diem; & ténebras Noctem: factúmque eſt véſpere & mane dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in médio aquárum, & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisítque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita: vocavítque Deus firmamentum Cœlum: & factum eſt véſpere & mane dies ſecundus. Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ ſub Cœlo ſunt, in locum unum, & appáreat árida. Et factum eſt ita: & vocávit Deus áridam Terram, congregationéſque aquárum appellávit Mária. Et ait: Gérminet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et vidit Deus quòd eſſet bonum: & factum eſt véſpere & mane dies tértius.

℟. In princípio creávit Deus cœlum & terram: * Et vidit cuncta quæ fécerat, & erant valdè bona. ℣. Fide intellígimus aptáta eſſe ſécula verbo Dei, ut ex inviſibílibus viſibília fierent. * Et vidit. *Gen.* 1. *Hebr.* 11.

Lectio ij.

DIxit autem Deus: Fiant luminária in firmamento cœli, & dívidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & témpora, & dies & annos; ut lúceant in firmamento cœli, & illúminent terram. Et factum eſt ita. Fecítque Deus duo luminária magna: luminárc majus, ut præeſſet diéi; & luminárе minus, ut præeſſet nocti; & ſtellas. Et póſuit èas in firmamento cœli, ut lucérent ſuper terram: & præeſſent diéi ac nocti, & divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum: & factum eſt véſpere & mane dies quartus. Dixit étiam Deus: Pro-

dúcant aquæ réptile ánimæ viventis, & volátile ſuper terram ſub firmamento cœli. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Benedixítque eis, dicens: Créſcite & multiplicámini, & repléte aquas maris; avéſque multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt véſpere & mane dies quintus.

℟. Ait Deus: Faciámus hóminem ad imáginem noſtram, & præſit univerſæ terræ; & *Creávit Deus hóminem ad imáginem ſuam. ℣. Omnis viri caput Chriſtus eſt, vir imágo & glória Dei eſt. * Creávit Deus. *Gen.* 1. *I. Cor.* 11.

Lectio iij. Cap. 1. 2.

DIxit quoque Deus: Prodúcat terra ánimam viventem in génere ſuo, juménta & reptília, & béſtias terræ ſecundùm ſpécies ſuas. Factúmque eſt ita. Et vidit Deus quòd eſſet bonum: & ait: Faciámus hóminem ad imáginem & ſimilitúdinem noſtram; & præſit píſcibus maris & volatílibus cœli, & béſtiis, univerſæque terræ, omníque réptili quòd movétur in terra. Et creávit Deus hóminem ad imáginem ſuam: ad imáginem Dei creávit illum; máſculum & féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, & ait: Créſcite & multiplicámini, & repléte terram, & ſubjícite eam: & dominámini píſcibus maris & volatílibus cœli, & univerſis animántibus quæ moventur ſuper terram. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat; & erant valdè bona. Et factum eſt véſpere & mane dies ſextus. Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornátus eórum: complevítque Deus die ſéptimo opus ſuum quod fécerat: & requiévit die ſéptimo ab univerſo ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi ſéptimo, & ſanctificávit illum; quia in ipſo ceſſáverat ab omni ópere ſuo quod creávit Deus ut fáceret.

℟. Deus de terra hóminem fecit: creávit ex ipſo adjutórium símile ſibi, & * Diſciplínâ intellectûs replévit illos; & mala & bona oſtendit illis. ℣. Non legiſtis: quia qui fecit hóminem ab inítio, máſculum & féminam fecit eos? * Diſciplínâ. Glória Patri. * Diſciplínâ. *Eccli.* 17. *Matth.* 19.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi de Civitáte Dei. *Libr.* 14. *cap.* 15. §. 1.

Lectio iv.

QUia contemptus eſt Deus jubens qui creáverat, qui ad ſuam imáginem fécerat, qui céteris animálibus præpoſúerat, qui

in paradíſo conſtitúerat, qui rerum ómnium cópiam ſalutíſque præſtíterat, qui præceptis nec plúribus, nec grándibus, nec difficílibus oneráverat; ſed uno breviſſimo atque leviſſimo ad obediéntiæ ſalubritátem adminiculáverat, quo eam creatúram, cui líbera sérvitus expedíret, ſe eſſe Dóminum commonébat; juſta damnátio ſúbſecúta eſt: talíſque damnátio; ut homo qui cuſtodiendo mandátum futúrus fúerat étiam carne ſpiritális, fíeret étiam mente carnális: & qui ſuâ ſupérbiâ ſibi placúerat, Dei juſtítiâ ſibi donarétur; nec ſic ut in ſua eſſet omnímodâ poteſtáte, ſed à ſe ipſe quoque diſséntiens, ſub illo cui peccando conſenſit, pro libertáte quam concupívit, duram miſerámque ágeret ſervitútem; mórtuus ſpíritu volens, & córpore moritúrus invítus: deſertor ætérnæ vitæ, étiam ætérnâ, niſi grátia liberáret, morte damnátus.

℟. Præcépit Deus hómini dicens: Ex omni ligno paradíſi cómede: de ligno autem ſciéntiæ boni & mali ne cómedas; * In quocumque enim die comédcris ex eo, morte moriéris. ℣. Stipéndia peccáti mors. * In quocumque enim die. *Gen.* 2. *Rom.* 6.

Lectio v.

QUiſquis hujúſmodi damnatiónem, vel nímiam, vel injuſtam putat, metíri profectò neſcit, quanta fúerit iníquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facílitas. Sicut enim Abrahæ non immérito magna obediéntia prædicátur, quia ut occíderet filium, res difficíllima eſt imperáta; ita in paradíſo tantò major inobediéntia fuit, quantò id quod præceptum eſt, nullíus difficultátis fuit. Et ſicut obediéntia ſecundi hóminis eò prædicabílior, quò factus eſt obédiens uſque ad mortem; ita inobediéntia primi hóminis eò deteſtabílior, quò factus eſt inobédiens uſque ad mortem. Ubi enim magna eſt inobediéntiæ pœna propóſita, & res à Creatóre fácilis imperáta, quiſnam ſatis éxplicet, quantum malum ſit non obedíre in re fácili, & tantæ poteſtátis império, & tanto terrenti ſupplício?

℟. Dixit ſerpens ad mulíerem: Nequáquàm morte moriémini: ſcit enim Deus quòd in quocumque die comedéritis ex ligno, éritis ſicut dii. * Comédit múlier, dedítque viro ſuo qui comédit. ℣. Adam non eſt ſeductus; múlier autem

ſeducta in prævaricatióne fuit. * Comédit. *Gen.* 3. *I. Tim.* 2.

Lectio vj. §. 2.

DEnique ut bréviter dicátur: in illíus peccáti pœna, quid inobediéntiæ niſi inobediéntia retribúta eſt? Nam quæ hóminis eſt ália miséria, niſi adversùs eum ipſum inobediéntia ejus ipsíus, ut quóniam nóluit quod pótuit, quod non poteſt velit? In paradíſo enim etiámſi non ómnia póterat ante peccátum, quidquid tamen non póterat, non volébat: & ídeò póterat ómnia quæ volébat. Nunc verò, ſicut in ejus ſtirpe cognóſcimus, & divína Scriptúra teſtátur: Homo vanitáti símilis factus eſt. Quis enim enúmeret, quàm multa quæ non poteſt velit, dùm ſibi ipſe, id eſt, voluntáti ejus ipſe ánimus ejus, eóque inférior caro ejus, non obtémperat?

℟. Sicut per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres conſtitúti ſunt multi, ita * Et † Per uníus obeditiónem juſti conſtituentur multi. ℣. Ait Dóminus ad ſerpentem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum, & ſemen illíus: ipſa cónteret caput tuum. * Et. Glória. † Per. *Rom.* 5. *Gen.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile eſt regnum cœlórum hómini patriſamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam ſuam. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 87. *de Verb. Evang.*

TAnquàm primâ horâ vocantur, qui recentes ab útero matris incípiunt eſſe chriſtiáni: quaſi tértiâ púeri, quaſi ſextâ júvenes, quaſi nonâ vergentes in sénium, quaſi undécimâ omnínò decrépiti: unum tamen vitæ ætérnæ denárium omnes acceptúri. Sed atténdite, & intellígite, fratres mei, ne ídeò quiſque díſferat veníre ad víneam, quia ſecúrus eſt, quóniam quandocúmque vénerit, ipſum denárium acceptúrus eſt. Secúrus eſt quidem, quòd ipſe denárius illi promíttitur, ſed differre non jubétur.

℟. Paterfamílias éxiit primo mane condúcere operários in víneam ſuam, & circa horam tértiam vidit álios in foro otióſos, & dixit: * Ite in víneam meam, & quod juſtum fúerit, da-

bo vobis. ℣. Quid adhuc retardátis? Operámini opus veſtrum, & Dóminus dabit vobis mercédem veſtram in témpore ſuo. * Ite in víneam. *Matth.* 20. *Eccli.* 51.

Lectio viij. Pauló poſt.

QUid ille datúrus ſit, & quid factúrus ſit, penès ipſum consilium eſt: tu, quando vocáris, veni. Merces enim cunctis æquális promíttitur: ſed de ipſâ horâ operandi magna quæſtio eſt. Si enim illi, verbi grátiâ, qui vocáti ſunt horâ ſextâ, in hac ætáte córporis conſtitúti, ubi juveníles anni fervent, ſicut ipſa hora ſexta fervet; ſi dícerent illi júvenes vocáti: Expecta: audívimus enim in Evangélio, quia omnes unam mercédem acceptúri ſunt: cùm ſenes facti fuérimus, horâ undécimâ veniémus: tantumdem accéptùri, quare ámpliùs laboratúri? Reſponderetur eis, & dicerétur: Laboráre non vis, qui utrùm vivas uſque ad ſenectam, neſcis? Sextâ horâ vocáris, ſextâ horâ veni.

℟. Circa undécimam invénit álios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis totâ die otióſi: * Ite & vos in víneam meam. ℣. Non diſſolvantur manus veſtræ; erit enim merces óperi veſtro. * Ite. *Matth.* 20. *II. Paral.* 15.

Lectio ix.

PAterfamílias tibi quídem étiam undécimâ venienti denárium promíſit; ſed utrùm vivas uſque ad ſéptimam, nemo tibi promíſit. Non dico, uſque ad undécimam, ſed uſque ad ſéptimam. Quare ergo differs vocantem te? certus de mercéde, incertus de die. Vide ne fortè quod tibi ille datúrus eſt promittendo, tu tibi auferas differendo. Si hoc rectè dícitur de infántibus, tanquàm ad horam primam pertinéntibus; ſi rectè dícitur de púeris, tanquàm ad horam tértiam pertinéntibus; ſi rectè dícitur de juvénibus, tanquàm in horæ ſextæ flagrántia conſtitútis; quantò magìs rectè de decrépitis dícitur: Ecce jam hora undécima eſt, & adhuc ſtas? veníre piger es?

℟. Dicit Dóminus víneæ procuratóri ſuo: Redde operáriis mercédem, incípiens à noviſſimis. Primi murmurábant: at ille uni eórum dixit: * Non fácio tibi injúriam: volo huic noviſſimo dare ſicut & tibi. ℣. Ego miſerébor cui volúero, & clemens ero in quem mihi placúerit. * Non fácio. Glória. * Non fácio. *Matth.* 20. *Exod.* 33.

Ab hac die uſque ad Paſcha non dicitur Te Deum. *niſi in Feſtis.*

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Nonne ex denário conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. An óculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? *Matth.* 20.

Orátio.

PReces pópuli tui, quæſumus, Dómine, clementer exaudi: ut qui juſtè pro peccátis noſtris afflígimur, pro tui nóminis glória miſericórditer liberémur; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranenſi. *Ann.* 816. *libr.* 1. *cap.* 13.

SOlerter ſe quiſque meciátur, ne locum regíminis aſſúmere aúdeat, ſi adhuc in ſe vítium damnabíliter regnat: ne is quem crimen deprávat próprium, interceſſor fieri áppetat pro culpis aliórum.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Erunt novíſſimi primi, & primi novíſſimi; multi enim ſunt vocáti, pauci verò electi. *Matth.* 20.

FERIA SECUNDA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 2.

NOn plúerat Dóminus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operarétur terram: ſed fons aſcendébat è terra írrigans univerſam ſuperfíciem terræ. Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, & inſpirávit in fáciem ejus ſpiráculum vitæ, & factus eſt homo in ánimam viventem. Plantáverat autem Dóminus Deus paradíſum voluptátis à princípio, in quo póſuit hóminem quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuáve; lignum étiam vitæ, in médio paradíſi, lignúmque ſciéntiæ boni & mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigandum paradíſum, qui indè divíditur in quátuor cápita.

℟. In princípio. *p.* 435.

Lectio ij.

TUlit ergo Dóminus Deus hóminem, & póſuit eum in paradíſo voluptátis, ut operarétur & cuſtodíret illum: præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradíſi cómede: de ligno autem ſciéntiæ boni & mali ne cómedas. In quocumque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus: Non eſt bonum eſſe hóminem ſolum: faciámus ei adjutórium ſímile ſibi. Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terræ, & univerſis volatílibus cœli,

adduxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea; omne enim quod vocávit Adam ánimæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavítque Adam nomínibus ſuis cuncta animántia, & univerſa volatília cœli & omnes béſtias terræ.

℟. Ait Deus. *pag.* 436.

Lectio iij.

ADæ verò non inveniebátur adjútor símilis ejus. Immíſit ergo Dóminus Deus ſopórem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus coſtam quam túlerat de Adam, in mulíerem; & adduxit eam ad Adam. Dixítque Adam: Hoc nunc os ex óſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocábitur virágo, quóniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærébit uxóri ſuæ: & erunt duo in carne una. Erat autem utérque nudus, Adam ſcílicet & uxor ejus; & non erubeſcébant.

℟. Deus de terra. *pag.* 436.

CANON.

Ex Concílio Nicæno ſecundo Œcuménico.

Ann. 787. *Act.* 8. *Can.* 16.

OMnis jactántia & ornatúra corporális aliéna eſt à ſacráto Ordine.... Omne quippe quod non propter neceſſitátem ſuam, ſed propter venuſtátem accípitur, elatiónis habet calúmniam.

FERIA TERTIA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 3.

SEd & ſerpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradíſi? Cui reſpondit múlier: De fructu lignórum quæ ſunt in paradíſo, véſcimur; de fructu verò ligni quod eſt in médio paradíſi, præcépit nobis Deus ne comederémus, & ne tangerémus illud, ne fortè moriámur. Dixit autem ſerpens ad mulíerem: Nequáquàm morte moriémini; ſcit enim Deus quòd in quocumque die comedéritis ex eo, aperientur óculi veſtri, & éritis ſicut dii ſcientes bonum & malum. Vidit ígitur múlier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum óculis, aſpectúque delectábile: & tulit de fructu illíus, & comédit, dedítque viro ſuo qui comédit. Et aperti ſunt óculi ambórum.

℟. Præcépit Deus. *pag.* 437.

Lectio ij.

CUmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuérunt fólia ficûs, & fecérunt ſibi perizómata. Et cùm audiſſent vocem Dómini Dei deambulantis in paradíſo ad auram poſt merídiem, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Dómini Dei in médio ligni paradíſi. Vocavítque Dóminus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíſo, & tímui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quòd nudus eſſes niſi quòd ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comediſti? Dixítque Adam: Múlier quam dediſti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, & comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit: Serpens decépit me, & comédi.

℟. Dixit ſerpens. p. 437.

Lectio iij.

ET ait Dóminus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter ómnia animántia & béſtias terræ: ſuper pectus tuum gradiéris, & terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus; ipſa cónteret caput tuum, & tu inſidiáberis calcáneo ejus. Mulíeri quoque dixit: Multiplicábo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolóre páries fílios, & ſub viri poteſtáte eris; & ipſe dominábitur tuî. Adæ verò dixit: Quia audiſti vocem uxóris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præcéperam tibi ne coméderes, maledicta terra in ópere tuo: in labóribus cómedes ex ea cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas & tríbulos germinábit tibi, & cómedes herbam terræ. In ſudóre vultûs tui veſcéris pane, donec revertáris in terram de qua ſumptus es; quia pulvis es, & in púlverem reverteris. Et vocávit Adam nomen uxóris ſuæ Eva; eo quòd mater eſſet cunctórum vivéntium.

℟. Sicut. pag. 438.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno primo.

Ann. 813. *Can.* 10.

CLérici uſúris nequáquàm incumbant, neque túrpium occupatiónes lucrórum fraudíſque cujuſquam ſtúdium áppetant, amórem pecúniæ, quaſi matériam cunctórum críminum, fúgiant; ſeculária officia negotiáque abjíciant.

FERIA QUARTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. cap. 3.

FEcit Dóminus Deus Adæ & uxóri ejus túnicas pelliceas, & índuit eos, & ait: Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum; nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat étiam de ligno vitæ, & cómedat & vivat in æternum. Et emíſit eum Dóminus Deus de paradíſo voluptátis, ut operarétur terram, de qua ſumptus eſt. Ejecítque Adam, & collocávit ante paradíſum voluptátis Chérubim, & flámmeum gládium atque versátilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.

℞. In princípio. *p.* 435.

Lectio ij. cap. 4.

ADam verò cognóvit uxórem ſuam Evam; quæ concépit & péperit Cain dicens: Poſsédi hóminem per Deum. Rursúmque péperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel paſtor óvium, & Cain agrícola. Factum eſt autem poſt multos dies ut offerret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis ſui, & de adípibus eórum: & reſpexit Dóminus ad Abel, & ad múnera ejus; ad Cain verò & ad múnera illíus non reſpexit. Iratúſque eſt Cain vehementer, & cóncidit vultus ejus. Dixítque Dóminus ad eum: Quare irátus es? & cur cóncidit fácies tua? Nonne ſi benè égeris, recípies; ſin autem malè, ſtatim in fóribus peccátum áderit? Sed ſub te erit appetítus ejus, & tu domináberis illíus.

℞. Ait Deus. *pag.* 436.

Lectio iij.

DIxítque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediámur foràs. Cúmque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfécit eum. Et ait Dóminus ad Cain: Ubi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Néſcio: Num cuſtos fratris mei ſum ego? Dixítque ad eum: Quid feciſti? Vox ſánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ígitur maledictus eris ſuper terram, quæ apéruit os ſuum, & ſuſcépit ſánguinem fratris tui de manu tua. Cùm operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus & prófugus eris ſuper terram.

℞. Deus de terra. *p.* 436.

CANON.

Ex Concílio Pariſienſi ſexto.

Ann. 829. *libr.* 1. *cap.* 13.

CUm nullus Chriſtiánus theſauros in terra, ſed

pótiùs, ſecundùm Dómini ſenténtiam, in cœlo recóndere débeat: cavendum ſummóperè Sacerdótibus eſt, ut ab avarítiæ peſte quæ eſt idolórum ſérvitus, & cupiditáte quæ radix ómnium malórum eſt, ſuóſque ſectatóres à regno Chriſti exclúdunt, ſe compeſcant.

FERIA QUINTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 4.

DIxit Cain ad Dóminum: Major eſt iníquitas meà, quàm ut véniam mérear. Ecce éjicis me hódie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & prófugus in terra; omnis ígitur qui invénerit me, occídet me. Dixítque ei Dóminus: Nequáquàm ita fiet: ſed omnis qui occíderit Cain, ſéptuplum puniétur. Poſuítque Dóminus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum. Egreſſúſque Cain à fácie Dómini, habitávit prófugus in terra ad orientálem plagam Eden.

℟. Præcépit. *pag.* 437.

Lectio ij.

COgnóvit autem Cain uxórem ſuam, quæ concépit & péperit Enoch: & ædificávit civitátem, vocavítque nomen ejus ex nomine filii ſui Enoch. Porrò Enoch génuit Irad, & Irad génuit Mavíael, & Maviael génuit Mathúſael, & Mathúſael génuit Lamech qui accépit duas úxores, nomen uni Ada, & nomen álteri Sella; genuítque Ada Jabel qui fuit pater habitántium in tentóriis atque paſtórum. Et nomen fratris ejus Jubal: ipſe fuit pater canéntium cítharâ & órgano. Sella quoque génuit Tubálcain qui fuit malleátor & faber in cuncta ópera æris & ferri.

℟. Dixit ſerpens. *p.* 437.

Lectio iij.

DIxítque Lamech uxóribus ſuis Adæ & Sellæ: Audíte vocem meam, uxóres Lamech: auſcultáte ſermónem meum: Quóniam occídi virum in vulnus meum, & adoleſcéntulum in livórem meum: ſéptuplum últio dábitur de Cain, de Lamech verò ſeptuágies ſépties. Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem ſuam, & péperit fílium, vocavítque nomen ejus Seth, dicens: Póſuit mihi Deus ſemen áliud pro Abel quem occídit Cain. Sed & Seth natus eſt filius, quem vocávit Enos: iſte cœpit invocáre nomen Dómini.

℟. Sicut. *pag.* 438.

CANON.

Ex Synodo Ebroïcenſi. *Ann.* 1576. *apud Laur. Bochel. Decr. Eccl. Gall.*

IMprímis cáveant omnes Eccleſiáſtici ab illis vítiis, propter quæ præcípuè irritátur Deus, & nomen ejus blaſphemátur inter gentes, atque Ecclésia Dei afflígitur. Sint mores eórum ſine avarítia; pro quocumque officio contenti his quæ ſibi vel jus ipſum, vel laudábilis conſuetúdo conſtítuit: ac ne quidem avídiùs ſive inhumániùs, quod ſibi debétur, éxigant; atque in ómnibus pauperiórum ratiónem hábeant.

FERIA SEXTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 5.

HIc eſt liber generatiónis Adam. Vixit autem Adam centum triginta annis; & génuit ad imáginem & ſimilitúdinem ſuam, vocavítque nomen ejus Seth. Et facti ſunt dies Adam, poſtquàm génuit Seth, octingenti anni; genuítque fílios & fílias. Et factum eſt omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mórtuus eſt. Vixit quoque Seth centum quinque annis, & génuit Enos. Vixítque Seth, poſtquàm génuit Enos, octingentis ſeptem annis, genuítque fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Seth nongentórum duódecim annorum, & mórtuus eſt. Vixit verò Enos nonaginta annis, & génuit Caïnan: poſt cujus ortum vixit octingentis quíndecim annis, & génuit fílios & fílias. Factíque ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mórtuus eſt.

℟. In princípio. *p.* 435.

Lectio ij.

VIxit quoque Cáïnan ſeptuaginta annis, & génuit Maláleel. Et vixit Cáïnan, poſtquàm génuit Maláleel, octingentis quadraginta annis; genuítque fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Cáïnan nongenti decem anni, & mórtuus eſt. Vixit autem Maláleel ſexaginta quinque annis, & génuit Jared. Et vixit Maláleel, poſtquàm génuit Jared, octingentis triginta annis: & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Maláleel octingenti nonaginta quinque anni, & mórtuus eſt. Vixítque Jared centum ſexaginta duóbus annis, & génuit Enoch. Et vixit Jared, poſtquàm génuit Enoch, octingentis annis, & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Jared, nongenti ſexaginta duo anni, & mórtuus eſt. Porrò Enoch vixit ſexaginta quinque an-

nis, & génuit Mathúſalam. Et ambulávit Henoch cum Deo : & vixit poſtquàm génuit Mathúſalam, trecentis annis, & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Enoch trecenti ſexaginta quinque anni. Ambulavítque cum Deo; & non appáruit, quia tulit eum Deus.

℟. Ait Deus. *pag.* 436.

Lectio iij.

VIxit quoque Mathúſala centum octoginta ſeptem annis, & génuit Lamech. Et vixit Mathúſala, poſtquàm génuit Lamech, ſeptingentis octoginta duóbus annis, & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Mathúſala nongenti ſexaginta novem anni, & mórtuus eſt. Vixit autem Lamech centum octoginta duóbus annis, & génuit fílium, vocavítque nomen ejus Noë, dicens: Iſte conſolábitur nos ab opéribus & labóribus mánuum noſtrárum, in terra cui maledixit Dóminus. Vixítque Lamech, poſtquàm génuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis; & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Lamech, ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem anni, & mórtuus eſt.

℟. Deus de terra. *p.* 436.

C A N O N.

Ex Concílio Moguntíno. *Ann.* 1549. *cap.* 92.

EXecrábilis quorumdam Sacerdótum avarítia uſque ad Sacramentórum ipſórum contemptum & injúriam nonnunquàm irrumpit; dum ſine numeráto prétio conferre Sacramenta detrectant.

S A B B A T O.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 5. *&* 6.

NOë cùm quingentórum eſſet annórum, génuit Sem, Cham & Japheth. Cúmque cœpiſſent hómines multiplicári ſuper terram, & fílias procreaſſent, videntes fílii Dei fílias hóminum quòd eſſent pulchræ, accepérunt ſibi uxóres ex ómnibus quas elégerant. Dixítque Deus: Non permanébit ſpíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro eſt: erúntque dies illíus centum vigínti annórum. Gigantes autem erant ſuper terram in diébus illis. Poſtquàm enim ingreſſi ſunt fílii Dei ad fílias hóminum, illæque genuérunt: iſti ſunt potentes à ſǽculo viri famóſi.

Lectio ij.

VIdens autem Deus quòd multa malítia hóminum eſſet in terra, & cuncta cogitátio cordis in-

tenta eſſet ad malum omni témpore, pœnítuit eum quòd hóminem feciſſet in terra. Et tactus dolóre cordis intrínſecùs: Delébo, inquit, hóminem quem creávi, à fácie terræ, ab hómine uſque ad animántia, à réptili uſque ad vólucres cœli: pœnitet enim me feciſſe eos. Noë verò invénit grátiam coram Dómino. Hæ ſunt generatiónes Noë. Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generatiónibus ſuis: cum Deo ambulávit. Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repléta eſt iniquitáte.

Lectio iij.

CUmque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, dixit Deus ad Noë: Finis univerſæ carnis venit coram me: repléta eſt terra iniquitáte à fácie eórum, & ego diſperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigátis: manſiúnculas in arca fácies, & bitúmine línies intrínſecùs & extrínſecùs. Ecce ego addúcam aquas dilúvii ſuper terram, ut interficiam omnem carnem in qua ſpíritus vitæ eſt ſubter cœlum: univerſa quæ in terra ſunt, conſumentur: ponámque fœdus meum tecum; & ingrediéris arcam tu & fílii tui, uxor tua & uxóres filiórum tuórum tecum. Et ex cunctis animántibus univerſæ carnis bina indúces in arcam, ut vivant tecum; maſculíni ſexûs & feminíni.

CANON.

Ex Concílio Arelatenſi ſecundo.

Ann. 452. Can. 14.

SI quis Cléricus pécuniam déderit ad uſúram, aut conductor aliénæ rei voluerit eſſe, aut turpis lucri grátiâ áliquod negotiatiónis exercúerit, depóſitus à communióne aliénus fiat.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Pſalt. pag. 150.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generatiónibus ſuis; cum Deo ambulávit. *Gen. 6.*

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA Sexageſimæ.

IN I. NOCTURNO.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 6. & 7.

FEcit Noë ómnia quæ præcéperat illi Deus. Dixítque Dóminus ad eum: Ingrédere tu & omnis domus tua in arcam; te enim vidi juſtum coram me in generatióne hâc. Ex ómnibus animántibus mundis tolle ſepténa & ſepténa, máſculum & féminam: de animántibus verò immundis duo & duo, máſculum

& féminam. Sed & de volatílibus cœli ſepténa & ſepténa, máſculum & féminam; ut ſalvétur ſemen ſuper fáciem univerſæ terræ. Adhuc enim & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diébus & quadraginta nóctibus; & delébo omnem ſubſtántiam quam feci, de ſuperfície terræ. Fecit ergo Noë ómnia quæ mandáverat ei Dóminus.

℟. Dixit Deus ad Noë: Finis univerſæ carnis venit coram me; repléta eſt terra iniquitáte à fácie eórum, * Et ego diſperdam eos cum terra. ℣. Non eſt intélligens, non eſt requírens Deum: omnes declinavérunt. * Et ego. *Gen.* 6. *Rom.* 3.

Lectio ij.

CUmque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ dilúvii inundavérunt ſuper terram. Anno ſexcentéſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſéptimo décimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt: & facta eſt plúvia ſuper terram quadraginta diébus & quadraginta nóctibus. In artículo diéi illíus ingreſſus eſt Noe, & Sem & Cham & Japheth, fílii ejus, uxor illíus, & tres uxóres filiórum ejus cum eis, in arcam: ipſi & omne ánimal ſecundùm genus ſuum, univérſaque jumenta in génere ſuo, & omne quod movétur ſuper terram in génere ſuo, cunctúmque volátile ſecundùm genus ſuum: univerſæ aves, omnéſque vólucres ingreſſæ ſunt ad Noë in arcam: bina & bina ex omni carne in qua erat ſpíritus vitæ. Et quæ ingreſſa ſunt, máſculus & fémina ex omni carne introiérunt, ſicut præcéperat ei Deus, & inclúſit eum Dóminus déforìs.

℟. Noë inventus eſt perfectus, juſtus, &, in témpore iracúndiæ, factus eſt reconciliátio. * Teſtamenta ſéculi póſita ſunt apud illum, ne deléri poſſit dilúvio omnis caro. ℣. Fide Noë, reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in ſalútem domûs ſuæ. * Teſtamenta. *Eccli.* 44. *Hebr.* 11.

Lectio iij.

FActúmque eſt dilúvium quadraginta diébus ſuper terram: & multiplicatæ ſunt aquæ, & elevavérunt arcam in ſublíme à terra. Vehementer enim inundavérunt, & ómnia replevérunt in ſuperfície terræ: porrò arca ferebátur ſuper aquas. Et aquæ prævaluérunt nimìs ſuper terram:

opertíque ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo. Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua ſuper montes quos operúerat: consúmptaque eſt omnis caro quæ movebátur ſuper terram, vólucrum, animántium, beſtiárum, omniúmque reptílium qui reptant ſuper terram, univerſi hómines, & cuncta in quibus ſpiráculum vitæ eſt in terra, mórtua ſunt.

℟. Factum eſt dilúvium quadraginta diébus ſuper terram & aquæ prævaluérunt, opertíque ſunt omnes montes; & * Delévit Deus omnem ſubſtántiam quæ erat ſuper terram. † Remanſit ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca. ℣. Deus octávum Noë juſtítiæ præcónem cuſtodívit, dilúvium mundo impiórum indúcens. * Delévit. Glória. † Remanſit ſolus. *Gen.* 7. *II. Petr.* 2.

IN II. NOCTURNO.

De libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi de catechizandis rúdibus.

Lectio iv. Cap. 18.

QUidquid homo fécerit, laudábilem in ſuis factis ínvenit Deum: ſi rectè égerit, laudábilem ínvenit per juſtítiam præmiórum: ſi peccáverit, laudábilem ínvenit per juſtítiam ſuppliciórum: ſi peccáta confeſſus ad rectè vivendum redíerit, laudábilem ínvenit per miſericórdiam indulgentiárum. Cur ergo non fáceret Deus hóminem, quamvis eum peccatúrum prænóſceret, cùm & ſtantem coronáret, & cadentem ordináret, & ſurgentem adjuváret; ſemper & ubíque ipſe glorióſus bonitáte, juſtítiâ, cleméntiâ: máximè quia & illud præſciébat, de propágine mortalitátis ejus futúros ſanctos?

℟. Recordátus Dóminus Noë cunctorúmque animántium quæ erant cum eo in arca, * Adduxit ſpíritum ſuper terram, & imminútæ ſunt aquæ, & clauſi ſunt fontes abyſſi & cataractæ cœli. ℣. Quóniam miséricors Dóminus eſt & miſerátor. * Adduxit. *Gen.* 8, *Jac.* 5.

Lectio v. Cap. 19.

PRænuntiabátur dilúvii ſacramento quo per lignum juſti liberáti ſunt, futúra Eccléſia quam Rex ejus & Deus Chriſtus myſtério ſuæ Crucis, ab hujus séculi ſubmerſióne ſuſpendit. Neque enim Deus ignorábat quòd étiam ex illis qui fúerant in arca ſerváti, naſcitúri erant mali: ſed tamen & exemplum futúri judícii dedit, & Sanctórum liberatiónem ligni myſté-

rio prænuntiávit. Nam & poſt hæc non ceſſávit repullulâre malítia per ſupérbiam, & libídines, & illícitas impietátes... Neque tunc ſanè defuérunt juſti quos Chriſti ventúra humílitas per Spíritum reveláta ſanávit. Horum Sanctórum qui præceſsérunt témpore nativitátem Dómini, non ſolùm ſermo, ſed étiam vita & conjúgia, & fílii & facta, prophetía fuit hujus témporis, quo per fidem Paſſiónis Chriſti ex géntibus congregátur Eccléſia.

℟. Egreſſus Noë de arca ædificávit altáre Dómino, & óbtulit holocauſta: * Benedixítque Deus Noë & fíliis ejus. ℣. Juſtítiæ quæ per fidem eſt, Noë hæres eſt inſtitútus. * Benedixítque. *Gen.* 8. *&* 9. *Hebr.* 11.

Lectio vj.

PEr illos ſanctos Patriarchas & Prophétas carnáli pópulo Iſrael & viſibília benefícia miniſtrabantur, quæ carnáliter à Dómino deſiderábant; & coercitiónes pœnárum corporálium, quibus pro témpore terrerentur, ſicut eórum duritiéi congruébat. Et in his tamen ómnibus myſtéria ſpiritália ſignificabantur, quæ ad Chriſtum & Eccléſiam pertinérent: cujus Eccléſiæ membra erant étiam illi Sancti, quamvis in hac vita fúerint ántequàm ſecundùm carnem Chriſtus Dóminus naſcerétur. Ipſe enim unigénitus Dei Fílius, Verbum Patris, æquále & coætérnum Patri, per quod facta ſunt ómnia, homo propter nos factus eſt, ut totíus Eccléſiæ, tanquàm totíus córporis caput eſſet. Sed velut totus homo dum náſcitur, etiamſi manum in naſcendo præmittat, tamen univerſo córpori ſub cápite conjuncta atque compacta eſt; quemádmodùm étiam nonnulli in ipſis Patriarchis, ad hujus ipsíus rei ſignum manu præmiſsâ nati ſunt: ita omnes ſancti qui ante Dómini noſtri Jeſu Chriſti nativitátem in terris fuérunt, quamvis antè nati ſunt, tamen univerſo córpori cujus ille caput eſt, ſub cápite cohæſérunt.

℟. Dixit Deus: Arcum meum ponam in nûbibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram: * Et † Non erunt ultrà aquæ dilúvii ad delendum univerſam carnem. ℣. Cœli & terra eódem verbo repóſiti ſunt, igni reſervâti in diem judícii & perditiónis impiórum hóminum. * Et non. Glória. † Non. *Geneſ.* 9. *II. Petr.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm turba plúrima convenírent, & de civitátibus properárent ad Jeſum, dixit per ſimilitúdinem: Exiit qui séminat, ſemináre ſemen ſuum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 15. in Evang. §. 1.

LEctio ſancti Evangélii quam modò, fratres caríſſimi, audiſtis, expoſitióne non índiget, ſed admonitióne. Quam enim per ſemetipſam Véritas expóſuit, hanc diſcútere humána fragílitas non præsúmit. Sed eſt quod ſollícitè in hac ipſâ expoſitióne Domínicâ penſáre debeátis: quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, vólucres dæmónia, ſpinas divítias ſignificáre dicerémus; ad credendum nobis mens fórſitàn veſtra dubitáret. Undè & idem Dóminus per ſemetipſum dignátus eſt expónere quod dicébat; ut ſciátis rerum ſignificatiónes quærere in iis étiam quæ per ſemetipſum nóluit explanáre.

℟. Dixit Jeſus per ſimilitúdinem: Exiit qui séminat ſemináre ſemen ſuum: & áliud * Semen cécidit in terram bonam, & ortum fecit fructum céntuplum. ℣. Sic erit verbum quod egrediétur de ore meo, proſperábitur in his ad quæ miſi illud. * Semen. *Luc. 8. Iſaï. 55.*

Lectio viij.

QUis enim mihi unquàm créderet, ſi ſpinas divítias interpretári voluiſſem, máximè cùm illæ pungant, iſtæ delectent? Et tamen ſpinæ ſunt: quia cogitatiónum ſuárum punctiónibus mentem lácerant, & cùm uſque ad peccátum pértrahunt, quaſi inflicto vúlnere cruentant. Quas benè hoc in loco, álio Evangeliſtâ atteſtante, nequáquàm Dóminus divítias, ſed falláces divítias appellat.

℟. Semen eſt verbum Dei: qui autem ſecùs viam, hi ſunt qui aúdiunt: * Deindè venit diábolus, & tollit verbum de corde eórum, ne credentes ſalvi fiant. ℣. Honórem vocis audiérunt aures illórum. * Deindè. *Luc. 8. Eccli. 17.*

Lectio ix. §. 1. & 2.

FAllácesenim ſunt, quæ nobiſcum diù permanére non poſſunt: fallácesſunt, quæ mentis noſtræ inópiam non expellunt. Solæ autem divítiæ veræ ſunt,

quæ nos dívites virtútibus fáciunt. Si ergo, fratres cariſſimi, dívites eſſe cúpitis, veras divítias amáte. Si culmen veri honóris quæritis, ad cœleſte regnum téndite. Si glóriam dignitátum dilígitis, in illâ ſupernâ Angelórum cúriâ aſcríbi feſtináte. Verba Dómini, quæ aure percípitis, mente retinéte. Cibus enim mentis eſt ſermo Dei: & quaſi acceptus cibus ſtómacho languente rejícitur; ſic ſermo, quando audítus in ventre memóriæ non tenétur. Sed quiſquis alimenta non rétinet, hujus profectò vita deſperátur.

℟. Qui cuſtódit legem, beátus eſt.* Verbum cuſtódiens filius, extra perditiónem erit. ℣. Beáti qui aúdiunt verbum Dei, & cuſtódiunt illud. * Verbum. Glória. * Verbum. *Prov.* 29. *Luc.* 11.

Ad Bened. *Ant.* 1. G. Qui ſupra petram, hi ſunt qui cùm audíerint, cum gaúdio ſuſcípiunt verbum: & hi radíces non habent, quia ad tempus credunt, & in témpore tentatiónis recédunt. *Luc.* 8.

Oratio.

DEus, qui cónſpicis quia ex nulla noſtra actióne confídimus, concéde propítius, ut contra adverſa ómnia, grátiæ tuæ protectióne muniámur; Per.

CANON.

Ex Concílio Carthaginenſi tértio.

Ann. 397. *cap.* 15.

PLácuit ut Epíſcopi, & Presbyteri, & Diáconi, vel Clérici non ſint conductóres, neque procuratóres, neque ullo turpi vel inhoneſto negótio victum quærant; quia reſpícere debent ſcriptum eſſe: Nemo mílitans Deo, ímplicat ſe negótiis ſeculáribus.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Semen quod in bonam terram cécidit, hi ſunt qui in corde bono & óptimo audientes verbum rétinent, & fructum ácferunt in patiéntia. *Luc.* 8.

FERIA SECUNDA.

De libro Géneſis.

Lectio j. *Cap.* 8.

REcordátus Deus Noë, cunctorúmque animántium, & ómnium jumentórum quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpíritum ſuper terram; & imminútæ ſunt aquæ. Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli: & prohíbitæ ſunt plúviæ de cœlo. Reverſæque ſunt aquæ de terra, euntes & redeuntes; & cœpérunt mínui poſt cen-

tum quinquaginta dies. Requievítque arca menſe séptimo, vigéſimo séptimo die menſis ſuper montes Arméniæ. At verò aquæ ibant & decreſcébant uſque ad décimum menſem : décimo enim menſe, primâ die menſis, apparuérunt cacúmina móntium.

℟. Dixit Deus ad Noë. *pag.* 448.

Lectio ij.

CUmque tranſiſſent quadraginta dies, apériens Noë feneſtram arcæ quam fécerat, dimíſit corvum qui egrediebátur, & non revertebátur donec ſiccarentur aquæ ſuper terram. Emíſit quoque columbam poſt eum, ut vidéret ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper fáciem terræ. Quæ cùm non inveniſſet ubi requiéſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam; aquæ enim erant ſuper univerſam terram. Extendítque manum, & apprehenſam íntulit in arcam. Expectátis autem ultrà ſeptem diébus áliis, rursùm dimíſit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad véſperam, portans ramum olívæ viréntibus fóliis in ore ſuo. Intellexit ergo Noë quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram : expectavítque nihilóminùs ſeptem álios dies, & emíſit columbam, quæ non eſt reverſa ultrà ad eum.

℟. Noë inventus eſt. *p.* 448.

Lectio iij.

MEnſe ſecundo, séptimo & vigéſimo die menſis areſacta eſt terra. Locútus eſt autem Deus ad Noë dicens : Egrédere de arca, tu & uxor tua, filii tui & uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia quæ ſunt apud te, ex omni carne, tàm in volatílibus quàm in béſtiis & univerſis reptílibus, quæ reptant ſuper terram, educ tecum, & ingredímini ſuper terram : créſcite & multiplicámini ſuper eam. Egreſſus eſt ergo Noë & filii ejus, uxor illíus & uxóres filiórum ejus cum eo. Sed & ómnia animántia, jumenta & reptília quæ reptant ſuper terram, ſecundùm genus ſuum, egreſſa ſunt de arca. Ædificávit autem Noë altáre Dómino; & tollens de cunctis pecóribus, & volúcribus mundis, óbtulit holocauſta ſuper altáre; odoratúſque eſt Dóminus odórem ſuavitátis, & ait : Nequáquàm ultrà maledícam terræ propter hómines : ſenſus enim & cogitátio humáni cordis in malum prona ſunt ab adoleſcéntia ſua.

℟. Factum eſt. *pag.* 449.

CANON.

Ex Concílio Venetenſi.

Ann. 465. *can.* 13.

ANte ómnia à Cléricis vitétur ebríetas quæ ómnium vitiórum fomes ac nutrix eſt: nec quis poteſt líberum córporis ſui ac mentis habére judícium, cùm captus vino à ſenſu probétur aliénus, & proclívis ad vítium mente labefactátâ ducátur, ac plerumque poſſit peccátum aut crimen, dum neſcit, incúrrere.

FERIA TERTIA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 9.

BEnedixit Deus Noe & fíliis ejus: & dixit ad eos: Créſcite & multiplicámini, & repléte terram. Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animália terræ, & ſuper omnes vólucres cœli, cum univerſis quæ moventur ſuper terram. Omnes piſces maris mánui veſtræ tráditi ſunt; & omne quod movétur & vivit, erit vobis in cibum: quaſi ólera viréntia trádidi vobis ómnia; excepto quòd carnem cum ſánguine non comedétis: ſánguinem enim animárum veſtrárum requíram de manu cunctárum beſtiárum, & de manu hóminis, de manu viri & fratris ejus requíram ánimam hóminis. Quicumque effúderit humánum ſánguinem, fundétur ſanguis illíus; ad imáginem quippe Dei factus eſt homo.

℟. Recordátus. *p.* 449.

Lectio ij.

HÆc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios ejus cum eo: Ecce ego ſtátuam pactum meum vobiſcum, & cum sémine veſtro poſt vos: & ad omnem ánimam viventem quæ eſt vobiſcum, tam in volúcribus quàm in jumentis & pecúdibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de arca, & univerſis béſtiis terræ. Státuam pactum meum vobiſcum, & nequáquàm ultrà interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deinceps dilúvium díſſipans terram. Dixítque Deus: Hoc ſignum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem ánimam viventem quæ eſt vobiſcum in generatiónes ſempiternas. Arcum meum ponam in núbibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram. Cúmque obdúxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus: & recordábor fœderis mei vobiſcum, & cum omni ánima vivente quæ carnem végetat: & non erunt ultrà aquæ dilúvii ad delendum univerſam carnem.

℟. Egreſſus. *pag.* 450.

Lectio iij.

ERant ergo filii Noe qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham & Japheth: porrò Cham ipſe eſt pater Chánaan. Tres iſti filii ſunt Noe, & ab his diſſeminátum eſt omne genus hóminum ſuper univerſam terram. Cœpítque Noe vir agrícola exercére terram, & plantávit víneam: bibénſque vinum inebriátus eſt, & nudátus in tabernáculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chánaan, verenda ſcílicet patris ſui eſſe nudáta, nuntiávit duóbus frátribus ſuis foràs. At verò Sem & Japheth pállium impoſuérunt húmeris ſuis, & incedentes retrorsùm, operuérunt verenda patris ſui; faciéſque córum averſæ erant, & patris virília non vidérunt. Evígilans autem Noe ex vino, cùm didiciſſet quæ fécerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chánaan: ſervus ſervórum erit frátribus ſuis. Dixítque: Benedictus Dóminus Deus Sem: ſit Chánaan ſervus ejus. Dilátet Deus Japheth & hábitet in tabernáculis Sem, ſítque Chánaan ſervus ejus. Vixit autem Noe poſt dilúvium trecentis quinquaginta annis: & impléti ſunt omnes dies ejus nongentórum quinquaginta annórum; & mórtuus eſt.

℟. Dixit Deus. *pag.* 450.

CANON.

Ex Concílio Cloveshoviensi ſecundo.

Ann. 747. *can.* 21.

COnſtituitur ut Eccleſiáſtici álios non cogant intemperanter bíbere; ſed pura ac sóbria ſint córum convívia, non luxurióſa, neque delíciis vel ſcurrilitátibus mixta, ne hábitûs ſui reveréntia contemptíbilis apud ſeculáres habeátur, & inter eos meritò valdè infamétur.

FERIA QUARTA,

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 11.

ERat terra lábii unius, & ſermónum eorumdem. Cúmque proficiſcerentur de Oriente, invenérunt campum in terra Sénnaar, & habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum ſuum: Veníte: faciámus láteres, & coquámus eos igni. Habuerúntque láteres pro ſaxis, & bitúmen pro cæmento, & dixérunt: Veníte: faciámus nobis civitátem, & turrim cujus culmen pertingat ad cœlum; & celebrémus nomen noſtrum ántequàm dividámur in univerſas terras. Deſcendit autem Dóminus ut vidéret civitátem & turrim quam ædificábant filii A-

dam, & dixit: Ecce unus eſt pópulus, & unum lábium ómnibus: cœpéruntque hoc fácere, nec deſiſtent à cogitatiónibus ſuis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur: deſcendámus & confundámus ibi linguam eórum, ut non aúdiat unuſquiſque vocem próximi ſui. Atque ita divíſit eos Dóminus ex illo loco in univerſas terras, & ceſſavérunt ædificáre civitátem. Et idcircò vocátum eſt nomen ejus Babel.

℟. Dixit Deus. *p.* 448.

Lectio ij.

HÆ ſunt generatiónes Sem. Sem erat centum annórum quando génuit Arphaxad biénnio poſt dilúvium... Arphaxad génuit Sale... Sale génuit Heber... Heber génuit Phaleg... Phaleg génuit Reü... Reü génuit Sarug... Sarug génuit Nachor... Nachor génuit Thare... Thare génuit Abram, Nachor & Aran. Porrò Aran génuit Lot: mortuúſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum, in terra nativitátis ſuæ in Ur Chaldæórum. Duxérunt autem Abram & Nachor uxóres: nomen uxóris Abram Sáraï, & nomen uxóris Nachor Melcha, fília Aran. Erat autem Sáraï ſtérilis, nec habébat líberos. Tulit ítaque Thare Abram & Lot & Sáraï: & eduxit eos de Ur Chaldæórum, ut irent in terram Chánaan: venerúntque uſque Haran, & habitavérunt ibi. Et facti ſunt dies Thare ducentórum quinque annórum, & mórtuus eſt in Haran.

℟. Noë inventus eſt. *p.* 448.

Lectio iij. Cap. 12.

DIxit autem Dóminus ad Abram: Egrédere de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo patris tui: & veni in terram quam monſtrábo tibi: faciámque te in gentem magnam, & benedícam tibi, & magnificábo nomen tuum, eríſque benedictus. Benedícam benedicéntibus tibi, & maledícam maledicéntibus tibi: atque in te benedicentur univerſæ cognatiónes terræ. Egreſſus eſt ítaque Abram, ſicut præcéperat ei Dóminus, & ivit cum eo Lot. Septuaginta quinque annórum erat Abram cùm egrederétur de Haran: tulítque Sáraï uxórem ſuam, & Lot fílium fratris ſui, universámque ſubſtántiam quam poſſéderant, & ánimas quas fécerant in Haran: & egreſſi ſunt, ut irent in terram Chánaan.

℟. Factum eſt: *pag.* 449.

CANON,

CANON.
Ex Canónibus Apoſtolórum. *Can.* 53.

SI quis Cléricus in caupóna cómedens deprehenſus fúerit, ſegregétur; prætérquàm ſi, in público diversório, in via, propter neceſſitátem, divérterit.

FERIA QUINTA.
De libro Généſis.
Lectio j. Cap. 13.

FActa eſt rixa inter paſtóres gregum Abram & Lot. Eo autem témpore Chananæus & Pherezæus habitábant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæſo, ſit júrgium inter paſtóres meos & paſtóres tuos: fratres enim ſumus. Ecce univérſa terra coram te eſt: recéde à me, óbſecro. Si ad ſiniſtram íeris, ego déxteram tenébo: ſi tu déxteram elégeris, ego ad ſiniſtram pergam. Elevátis itaque Lot óculis, vidit omnem circà regiónem Jordánis, quæ univérſa irrigabátur, ántequàm ſubvérteret Dóminus Sódomam & Gomorrham, ſicut paradíſus Dómini, & ſicut Ægyptus veniéntibus in Segor: elegítque ſibi Lot regiónem circa Jordánem, & receſſit ab Oriente.

℟. Recordátus. *p.* 449.

Lectio ij.

ABram habitávit in terra Chánaan: Lot verò morátus eſt in óppidis quæ erant circa Jordánem, & habitávit in Sódomis. Hómines autem Sodomítæ péſſimi erant, & peccatóres coram Dómino nimìs. Dixítque Dóminus ad Abram, poſtquàm divíſus eſt ab eo Lot: Leva óculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilónem & merídiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram quam cónſpicis, tibi dabo & sémini tuo uſque in ſempitérnum. Faciámque ſemen tuum ſicut púlverem terræ: ſi quis poteſt hóminum numeráre púlverem terræ, ſemen quoque tuum numeráre póterit. Surge, & perámbula terram in longitúdine, & in latitúdine ſua; quia tibi datúrus ſum eam.

℟. Egreſſus, *pag.* 450.

Lectio iij. Cap. 14.

CUm audiſſet Abram, captum.... Lot fratrem ſuum, numerávit expedítos vernáculos ſuos trecentos decem & octo; & perſecútus eſt uſque Dan. Et, divíſis sóciis, írruit ſuper (quátuor Reges) nocte: percuſsítque eos, & perſecútus eſt eos uſque Hoba, quæ eſt ad lævam Damaſci. Reduxítque omnem ſubſtántiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtántia illíus, mulíeres quoque & pópulum. Egreſſus eſt autem rex Sodomórum in oc-

curſum ejus, poſtquàm reverſus eſt à cæde Chodorláhomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ eſt vallis regis. At verò Melchíſedech rex Salem, próferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altíſſimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creávit cœlum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in mánibus tuis ſunt. Et dedit ei décimas ex ómnibus.

℟. Dixit Deus: Arcum. *pag.* 450.

CANON.

Ex Concílio Lateranenſi quarto, Œcuménico.

Ann. 1215. *cap.* 15. & 16.

A Crápulâ & ebrietáte omnes Clérici diligenter abſtíneant. Undè vinum ſibi témperent, & ſe vino: nec ad bibendum quíſpiam incitétur; cùm ebríetas & mentis indúcat exílium, & libídinis próvocet incentívum... Tabernas prorſùs evítent, niſi forte causâ neceſſitátis, in itínere conſtitúti.

FERIA SEXTA.

De libro Généſis.

Lectio j. Cap. 17.

POſtquam Abram nonaginta & novem annórum eſſe cœperat, appáruit ei Dóminus, dixítque ad eum: Ego Deus omnípotens: ámbula coram me, & eſto perfectus. Ponámque fœdus meum inter me & te, & multiplicábo te vehementer nimìs. Cécidit Abram pronus in fáciem; dixítque ei Deus: Ego ſum; & pactum meum tecum, erísque pater multárum géntium. Nec ultrà vocábitur nomen tuum Abram, ſed appelláberis Abraham; quia patrem multárum géntium conſtítui te; faciámque te créſcere vehementíſſimè, & ponam te in géntibus, Regéſque ex te egrediéntur.

℟. Dixit Deus ad Noë. *pag.* 448.

Lectio ij.

DIxit iterùm Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtódies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generatiónibus ſuis. Hoc eſt pactum meum quod obſervábitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidétur ex vobis omne maſculínum, & circumcidétis carnem præpútii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne maſculínum in generatiónibus veſtris: tam vernáculus quàm emptitius circumcidétur, & quicúmque fúerit de ſtirpe veſtra: erítque pactum meum in carne veſtra in fœdus æter-

num. Máſculus cujus præpútii caro circumcíſa non fúerit, delébitur ánima illa de pópulo ſuo : quia pactum meum írritum fecit.

℟. Noë inventus eſt. *pag.* 448.

Lectio iij.

DIxit quoque Deus ad Abraham : Sáraï uxórem tuam non vocábis Sáraï, ſed Saram : & benedícam ei, & ex illa dabo tibi fílium, cui benedictúrus ſum : eritque in natiónes, & reges populórum oriéntur ex eo. Cécidit Abraham in fáciem ſuam, & riſit dicens in corde ſuo : Putáſne centenário naſcétur filius ? & Sara nonagenária páriet ? Dixítque ad Deum : Utinam Iſmael vivat coram te. Et ait Deus ad Abraham : Sara uxor tua páriet tibi fílium, vocabíſque nomen ejus Iſaac ; & conſtítuam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & sémini ejus poſt eum : ſuper Iſmael quóque exaudívi te. Ecce benedícam ei, & augébo & multiplicábo eum valdè : duódecim duces generábit : & fáciam illum in gentem magnam. Pactum verò meum ſtátuam ad Iſaac, quem páriet tibi Sara témpore iſto, in anno áltero.

℟. Factum eſt dilúvium. *pag.* 449.

C A N O N.

Ex Concílio Nicæno primo Œcuménico.

Ann. 325. *can.* 3.

INterdixit per ómnia magna Synodus, non Epíſcopo, non Presbytero, non Diácono, nec alícui omnínò qui in Clero eſt, licére ſubintroductam habére mulíerem : niſi fortè aut matrem, aut ſorórem, aut ámitam, vel eas tantùm persónas quæ omnem ſuſpiciónem effúgiunt.

S A B B A T O.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 19.

VEnérunt duo Angeli Sódomam véſperè, & ſedente Lot in fóribus civitátis. Qui, cùm vidiſſet eos, ſurrexit & ivit óbviam eis, adoravítque pronus in terram, & dixit : Obſecro, Dómini, declináte in domum púeri veſtri, & manéte ibi : laváte pedes veſtros, & manè proficiſcémini in viam veſtram. Qui dixérunt : Mínimè, ſed in platéa manébimus. Cómpulit illos óppidò ut divérterent ad eum : ingreſſíſque domum illíus, fecit convívium & coxit ázyma, & comedérunt. Priùs autem quàm irent cúbitum ; viri civitátis vallavérunt domum à púero uſque ad ſenem, omnis pópulus ſimul. Vocavérunt-

que Lot, & dixérunt ei: Ubi ſunt viri qui introiérunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoſcámus eos.

Lectio ij.

VImque faciébant Lot vehementíſſimè: jámque propè erat ut effríngerent fores. Et ecce miſérunt manum viri, & introduxérunt ad ſe Lot; clauſerúntque óſtium: & eos qui foris erant, percuſſérunt cæcitáte à mínimo uſque ad máximum, ita ut óſtium inveníre non poſſent. Dixérunt autem ad Lot: Habes hîc quémpiam tuórum? génerum, aut filios aut fílias? omnes qui tui ſunt, educ de urbe hac: delébimus enim locum iſtum, eò quòd increvérit clamor eórum coram Dómino qui miſit nos, ut perdámus illos. Egreſſus itaque Lot, locútus eſt ad géneros ſuos qui acceptúri erant fílias ejus, & dixit: Súrgite, egredímini de loco iſto: quia delébit Dóminus civitátem hanc. Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui. Cúmque eſſet mane, cogébant eum Angeli dicentes: Surge, tolle uxórem tuam & duas filias quas habes: ne & tu páriter péreas in ſcélere civitátis. Diſſimulante illo, apprehendérunt manum ejus, & manum uxóris ac duárum filiárum ejus; eò quòd párceret Dóminus illi: eduxerúntque eum, & poſuérunt extra civitátem.

Lectio iij.

IGitur Dóminus pluit ſuper Sódomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Dómino de cœlo: & ſubvertit civitátes has, & omnem circà regiónem, univerſos habitatóres úrbium, & cuncta terræ viréntia. Reſpiciénſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtátuam ſalis. Abraham autem conſurgens manè, ubi ſtéterat priùs cum Dómino, intúitus eſt Sódomam & Gomorrham, & univerſam terram regiónis illíus: vidítque aſcendentem favillam de terra quaſi fornácis fumum. Cùm enim ſubvérteret Deus civitátes regiónis illíus, recordátus Abrahæ, liberávit Lot de ſubverſióne úrbium in quibus habitáverat.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. de Reform. cap. 1.

PRóhibet ſancta Synodus quibuſcúmque Cléricis, ne mulíeres de quibus poſſit habéri ſuſpício, in domo vel extrà detinére, aut cum iis ullam conſuetúdinem habére aúdeant: alióquin pœnis à ſacris Canónibus, vel ſtatútis Eccle-

ſtárum impóſitis, puniantur.

AD VESPERAS.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Abraham in tentatióne inventus eſt fidélis: ídeò jurejurando dedit illi Deus glóriam in gente ſua. *Eccli.* 44.

Oratio, infrà ad Laudes.

DOMINICA Quinquageſimæ.

IN I. NOCTURNO.

De líbro Géneſis.

Lectio j. Cap. 21.

VIſitávit Dóminus Saram ſicut promíſerat, & implévit quæ locútus eſt. Concepítque, & péperit fílium in ſenectúte ſua, témpore quo prædíxerat ei Deus. Vocavítque Abraham nomen fílii ſui quem génuit ei Sara, Iſaac; & circumcídit eum octávo die, ſicut præcéperat ei Deus, cùm centum eſſet annórum: hâc quippe ætáte patris, natus eſt Iſaac. Dixítque Sara: Riſum fecit mihi Deus; quicúmque audíerit, corridébit mihi. Rurſúmque ait: Quis auditúrum créderet Abraham quòd Sara lactáret fílium quem péperit ei jam ſeni?

℟. Sermo Dómini factus eſt ad Abram dicens: Qui egrediétur de útero tuo, ipſum habébis hærédem: númera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum. * Crédidit Abram Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam. ℣. Non conſiderávit corpus ſuum emórtuum, cùm jam ferè centum eſſet annórum; ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo. * Crédidit Abram Deo. *Gen.* 15. *Rom.* 4.

Lectio ij. Cap. 22.

TEntávit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit: Adſum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Iſaac, & vade in terram viſiónis; atque ibi ófferes eum in holocauſtum ſuper unum móntium quem monſtrávero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtravit áſinum ſuum, ducens ſecum duos júvenes, & Iſaac fílium ſuum. Cúmque concidiſſet ligna in holocauſtum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul, dixítque ad púeros ſuos: Expectáte hîc cum áſino: ego & puer illuc uſque properantes, poſtquàm adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocauſti, & impóſuit ſuper Iſaac fílium ſuum; ipſe verò portábat in mánibus ignem & gládium.

℟. Viſitávit Dóminus Saram ſicut promíſerat: &

implévit quæ locútus eſt. * Concépit Sara, & péperit fílium in ſenectúte ſua. ℣. Quóniam fidélem crédidit eſſe eum qui repromíſerat. * Concépit. *Gen.* 21. *Hebr.* 11.

Lectio iij.

PErgébant ergo páriter, & venérunt ad locum quem oſténderat ei Deus: in quo ædificávit altáre, & déſuper ligna compóſuit. Cúmque alligaſſet Iſaac fílium ſuum, póſuit eum in altáre ſuper ſtruem lignórum: extendítque manum, & arrípuit gládium ut immoláret fílium ſuum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixítque ei: Non extendas manum tuam ſuper púerum, neque fácias illi quidquam: nunc cognóvi quòd times Deum, & non pepercíſti unigénito fílio tuo propter me. Levávit Abraham óculos ſuos, vidítque poſt tergum aríetem inter vepres, hæréntem córnibus: quem aſſúmens óbtulit holocauſtum pro fílio.

℟. Fide óbtulit Abraham Iſaac, cùm tentarétur, * Et unigénitum offerébat qui ſuſcéperat repromiſſiónes, árbitrans quia & à mórtuis ſuſcitáre potens eſt Deus. ℣. Extendit manum, & arrípuit gládium ut immoláret fílium ſuum * Et. Glória. * Et. *Hebr.* 11. *Gen.* 22.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi de Civitáte Dei.

Libr. 16. Cap. 32. §. 1.

Lectio iv.

DIxerat Abrahæ Deus: In Iſaac vocábitur tibi ſemen. Hanc promiſſiónem pater pius fidéliter tenens, quia per hunc oportébat impléri, quem Deus jubébat occídi, non hæſitávit quòd ſibi reddi póterat immolátus, qui dari pótuit non ſperátus. Sic intellectum eſt & in Epíſtola ad Hebræos, & ſic expóſitum. Fide, inquit, præceſſit Abraham, in Iſaac tentátus; & únicum óbtulit qui promiſſiónes ſuſcépit, ad quem dictum eſt: In Iſaac vocábitur tibi ſemen: cógitans quia & ex mórtuis excitáre poteſt Deus.

℟. Vocávit Angelus Dómini Abraham de cœlo dicens: Quia non pepercíſti fílio tuo unigénito propter me, * Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiónes, & sémini ejus. * Benedicentur in ſemine tuo. *Gen.* 22. *Gal.* 3.

Lectio v.

PRoindè áddidit : Pro hoc étiam eum & in ſimilitúdinem adduxit. Cujus ſimilitúdinem; niſi illíus de quo dicit idem Apóſtolus : Qui próprio Fílio non pepercit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum. Proptéreà & Iſaac, ſicut Dóminus crucem ſuam, ita ſibi ligna ad víctimæ locúm, quibus fúerat imponendus, ipſe portávit. Poſtrémò quia Iſaac occídi non oportébat, poſtéaquàm eſt pater feríre prohíbitus, quis erat ille áries, quo immoláto, implétum eſt ſignificatívo ſánguine ſacrificium? Nempè, quando eum vidit Abraham, córnibus in frútice tenebátur. Quis ergo illo figurabátur? niſi Jeſus, antequàm immolarétur, ſpinis Judáicis coronátus?

℟. Appáruit Iſaac Dóminus, & ait : Benedícam tibi, complens juramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo : * Et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Non omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelítæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii : ſed in Iſaac vocábitur tibi ſemen. * Et benedicentur in sémine tuo. *Gen. 26. Rom. 9.*

Lectio vj. §. 2.

ET vocávit Angelus Dómini Abraham ſecundò de cœlo dicens : Per memetipſum jurávi, dicit Dóminus, propter quod feciſti verbum hoc, & non pepercíſti filio tuo dilecto propter me, niſi benedícens benedícam te; & multíplicans multiplicábo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & tanquàm arénam quæ eſt juxta lábium maris. Et hæreditáte poſſidébit ſemen tuum civitátes adverſariórum : & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ : quia obaudíſti vocem meam. Hoc modo eſt illa de vocatióne géntium in sémine Abrahæ, poſt holocauſtum quo ſignificátus eſt Chriſtus, étiam juratióne Dei firmáta promíſſio. Sæpè enim promíſerat, ſed nunquàm juráverat. Quid autem eſt Dei veri veracíſque jurátio, niſi promíſſi confirmátio, & infidélium quædam increpátio?

℟. Vidit Jacob Dóminum dicentem ſibi : Erit ſemen tuum quaſi pulvis terræ : & * Benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. ℣. Non dicit : Et ſemínibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, qui eſt Chriſtus : * Bene-

dicentur. Glória. * Benedicentur. *Gen.* 28. *Gal.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore: Aſſumpſit Jeſus duódecim, & ait illis: Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & conſummabuntur ómnia quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Fílio hóminis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 359. *Aliàs* 52.

MIſerére meî, Fili David; clamábat cæcus, Chriſto tranſeunte: metuébat enim ne transíret, & non ſanáret. Et quantùm clamábat, ut turbâ prohibente non tacéret? Vicit contradictórem, ténuit Salvatórem. Obſtrepéntibus turbis, & clamáre prohibéntibus, ſtetit Jeſus: vocávit eum, & dixit ei: Quid vis tibi fieri? Dómine, inquit, ut vídeam. Réſpice; fides tua te ſalvum fecit.

℞. Cæcus quidam ſedébat ſecùs viam, mendícans: dixérunt autem ei quòd Jeſus transíret, & clamávit dicens: * Jeſu fili David, miſerére meî. ℣. Dóminus firmamentum virtútis & adjutórium caſûs, exaltans ánimam, & illúminans óculos. * Jeſu. *Luc.* 18. *Eccli.* 34.

Lectio viij.

AMáte Chriſtum: deſideráte lumen quod eſt Chriſtus. Si deſiderávit ille lumen córporis: quantò plùs lumen cordis deſideráre debétis? Ad eum non vócibus, ſed móribus clamémus: vivámus benè, mundum contemnámus: nihil nobis ſit omne quod tranſit. Reprehensúri ſunt nos, quando ſic vixérimus, quaſi dilectóres noſtri, hómines ſeculáres, amantes terram, ſapientes púlverem, nihil de cœlo ducentes: reprehensúri ſunt nos procul dúbio, atque dictúri, ſi víderint nos iſta humána, iſta terréna contémnere: Quid páteris? quid insánis? Turba illa eſt contradícens, ne cæcus clamet.

℞. Stans Jeſus juſſit cæcum addúci ad ſe, & interrogávit eum dicens: Quid tibi vis fáciam? At ille dixit: * Dómine, ut vídeam. ℣. Deus meus, illúmina ténebras meas: * Dómine. *Luc.* 18. *Pſ.* 17.

Lectio ix. §. 5. *p.* 6.

ET aliquanti Chriſtiáni ſunt, qui próhibent vívere chriſtiánè: quia & illa turba cum Chriſto ambulábat, & vociferantem hó-

minem ad Chriſtum ac lucem deſiderantem, ab ipſius Chriſti beneficio prohibébat. Sunt tales Chriſtiáni; ſed vincámus illos: vivámus benè, & ipſa vita ſit vox noſtra ad Chriſtum. Stabit; quia ſtat. Nam & ibi myſtérium magnum eſt. Tránſiens erat ille, quando iſte clamábat: quando ſanávit, ſtetit. Tránſitus Chriſti intentos nos fáciat ad clamandum.

℟. Jeſus dixit illi: Réſpice: fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtìm vidit, * Et ſequebátur illum magníficans Deum. ℣. Statìm viſum recépit, dicebátque: Benedíco te, Dómine Deus Iſrael. * Et ſequebátur. Glória. * Et ſequebátur. *Luc.* 18. *Tob.* 11.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Aſſumpſit Jeſus duódecim, & ait illis: Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & conſummabuntur ómnia quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc.* 18.

Oratio.

PReces noſtras, quæſumus, Dómine, clementer exaudi: atque à peccatórum vínculis abſolútos ab omni nos adverſitáte cuſtódi; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui tecum.

CANON.

Ex Concílio Nannetenſi.

Ann. 1264. *cap.* 3.

QUia nullum venatórem invenímus ſanctum, præcípimus ut Prælàti ſollíciti ſint & intenti in puniendo Cléricos venatóres, & præcípuè Presbyteros & religióſos, de quibus majus ſcándalum generátur.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Fílius hóminis tradétur géntibus & illudétur, & flagellábitur & conſpuétur: & poſtquàm flagelláverint, occídent eum: & tértiâ die reſurget. *Luc.* 18.

FERIA SECUNDA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 25.

HÆ ſunt generatiónes Iſaac filii Abraham. Abraham génuit Iſaac: qui, cùm quadraginta eſſet annórum, duxit uxórem Rebeccam, fíliam Bathuélis Syri de Meſopotámia, ſorórem Laban. Deprecatúſque eſt Iſaac Dóminum pro uxóre ſua, eò quòd eſſet ſtérilis: qui exaudívit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in útero ejus párvuli, quæ ait: Si ſic mihi futúrum erat, quid neceſſe fuit concípere? Perrexítque ut conſúleret Dóminum. Qui reſpondens

ait: Duæ gentes ſunt in útero tuo, & duo pópuli ex ventre tuo dividentur: populúſque pópulum ſuperábit, & major sérviet minóri. Jam tempus pariendi advénerat, & ecce gémini in útero ejus reperti ſunt. Qui prior egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis híſpidus: vocatúmque eſt nomen ejus Eſaü. Prótinùs alter egrédiens plantam fratris tenébat manu; & idcircò appellávit eum Jacob. Sexagenárius erat Iſaac, quando nati ſunt ei párvuli. Quibus adultis, factus eſt Eſaü vir gnarus venandi, & homo agrícola: Jacob autem vir ſimplex habitábat in tabernáculis. Iſaac amábat Eſaü, eò quòd de venatiónibus illíus veſcerétur: & Rebecca diligébat Jacob.

℟. Sermo Dómini factus eſt ad Abram dicens: Qui egrediétur de útero tuo, ípſum habébis hærédem: númera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum. * Crédidit Abram Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam. ℣. Non conſiderávit corpus ſuum emórtuum, cùm jam ferè centum eſſet annórum; ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo. * Crédidit Abram Deo. *Gen. 15. Roman. 4.*

Lectio ij. Cap. 27.

SEnuit autem Iſaac, & caligavérunt óculi ejus, & vidére non potérat: vocavítque Eſaü fílium ſuum majórem, & dixit ei: Fili mi. Qui reſpondit: Adſum. Cui pater: Vides, inquit, quòd ſenúerim, & ignórem diem mortis meæ. Sume arma tua, pháretram & arcum, & egrédere foràs: cúmque venátu áliquid apprehénderis, fac mihi indè pulmentum ſicut velle me noſti, & affer ut cómedam: & benedícat tibi ánima mea ántequàm móriar. Quod cùm audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum ut juſſiónem patris implēret, dixit fílio ſuo Jacob: Audívi patrem tuum loquentem cum Eſaü fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatióne tua, & fac cibos ut cómedam, & benedícam tibi coram Dómino ántequàm móriar. Nunc ergo, fili mi, acquieſce consíliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos óptimos, ut fáciam ex eis eſcas patri tuo quibus libenter véſcitur; quas cùm intúleris & comȩ́derit, benedícat tibi priuſquàm moriátur.... Abiit, & áttulit, dedítque matri. Parávit illa cibos, ſicut velle nóverat

patrem illíus. Et véſtibus Eſaü valdè bonis quas apud ſe habébat domi, índuit eum: pelliculáſque hædórum circúmdedit mánibus, & colli nuda protexit. Dedítque pulmentum: & panes quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis, dixit: Pater mi? At ille reſpondit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixítque Jacob: Ego ſum primogénitus tuus Eſaü.

℟. Viſitávit Dóminus Saram ſicut promíſerat: & implévit quæ locútus eſt. * Concépit Sara, & péperit fílium in ſenectúte ſua. ℣. Quóniam fidélem crédidit eſſe eum qui repromíſerat. * Concépit Sara. *Gen.* 21. *Hebr.* 11.

Lectio iij.

DIxítque Iſaac: Accéde huc ut tangam te, fili mi, & probem utrùm tu ſis fílius meus Eſaü, an non. Acceſſit ille ad patrem: &, palpáto eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vox Jacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſaü. Et non cognóvit eum, quia pilóſæ manus ſimilitúdinem majóris expréſſerant. Benedícens ergo illi ait: Tu es fílius meus Eſaü? Reſpondit: Ego ſum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi, ut benedícat tibi ánima mea. Quos cùm oblátos comediſſet, óbtulit ei étiam vinum: quo hauſto, dixit ad eum: Accéde ad me, & da mihi ósculum, fili mi. Acceſſit, & osculátus eſt eum. Statímque ut ſenſit veſtimentórum illíus fragrántiam, benedícens illi ait: Ecce odor fílii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguédine terræ, abundántiam frumenti & vini. Et sérviant tibi pópuli, & adórent te tribus: eſto dóminus fratrum tuórum, & incurventur ante te fílii matris tuæ: qui maledíxerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur.

℟. Fide óbtulit Abraham Iſaac, cùm tentarétur, * Et unigénitum offerébat qui ſuſcéperat repromiſſiónes, árbitrans quia & à mórtuis ſuſcitáre potens eſt Deus. ℣. Extendit manum, & arrípuit gládium ut immoláret fílium ſuum. * Et. Glória. * Et. *Hebr.* 11. *Gen.* 22.

CANON.

Ex Concílio Cabillonenſi ſecundo.

Ann. 813. *can.* 9.

AB ómnibus oculórum auriúmque illécebris Sacerdótes abſtinére debent; & canum, accípi-

trum, falcónum, vel cetetárum hujúſmodi rerum curam parvi péndere; & hiſtriónum ſivè ſcurrónum, ſive túrpium ſeu obſcœnórum jocórum inſoléntiam, non ſolùm ipſi réſpuant; verùm étiam fidélibus reſpuenda percénſeant.

FERIA TERTIA.

[*Si Feſtum S. Matthiæ venerit in Quadrageſima, de eo fiet hodie Officium per anticipationem.*]

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 27. & 28.

ODerat ſemper Eſaü Jacob pro benedictióne quâ benedíxerat ei pater: dixítque in corde ſuo: Vénient dies luctûs patris mei, & occídam Jacob fratrem meum. Nuntiáta ſunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Jacob fílium ſuum, dixit ad eum: Ecce Eſaü frater tuus minátur ut occídat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabíſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor fratris tui, & ceſſet indignátio ejus, obliviſcatúrque eórum quæ feciſti in eum: póſteà mittam, & addúcam te indè huc. Cur utróque orbábor filio in uno die? Dixítque Rebécca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi accéperit Jacob uxórem de ſtirpe hujus terræ, nolo vívere. Vocávit ítaque Iſaac Jacob, & benedíxit eum, præcepítque ei dicens: Noli accípere cónjugem de génere Chánaan: ſed vade, & proficíſcere in Meſopotámiam Syriæ, ad domum Báthuel patris matris tuæ: & áccipe tibi indè uxórem de filiábus Laban avúnculi tui. Deus autem omnípotens benedícat tibi, & créſcere te fáciat atque multíplicet, ut ſis in turbas populórum.

℟. Vocávit Angelus Dómini Abraham de cœlo dicens: Quia non pepercíſti filio tuo unigénito propter me, * Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiónes, & sémini ejus. * Benedicentur in sémine tuo. *Gen.* 22. *Gal.* 3.

Lectio ij. Cap. 28.

IGitur egreſſus Jacob de Berſábee pergébat Haran. Cúmque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requiéſcere poſt ſolis occúbitum, tulit de lapídibus qui jacébant, & ſuppónens cápiti ſuo dormívit in eódem loco. Vidítque in

ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacúmen illíus tangens cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dóminum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dóminus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: terram in qua dormis, tibi dabo & sémini tuo: erítque ſemen tuum quaſi pulvis terræ. Dilatáberis ad Occidentem & Orientem, & Septentriónem & Merídiem: & benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quocumque perréxeris, & redúcam te in terram hanc: nec dimittam, niſi complévero univerſa quæ dixi.

℟. Appáruit Iſaac Dóminus, & ait: Benedícam tibi, complens juramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo: * Et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Non omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelítæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed in Iſaac vocábitur tibi ſemen. * Et benedicentur. *Gen. 26. Rom. 9.*

Lectio iij. Cap. 35.

Appáruit autem íterùm Deus Jacob, poſtquàm reverſus eſt de Meſopotámia Syriæ, benedixítque ei dicens: Non vocáberis ultrà Jacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appellávit eum Iſrael, dixítque ei: Ego Deus omnípotens: creſce & multiplicáre: gentes & pópuli natiónum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur: terrámque quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi & sémini tuo poſt te. Et receſſit ab eo... Erant autem filii Jacob duódecim. Fílii Liæ: primogénitus Ruben & Símeon, & Levi & Judas, & Iſſachar & Zabúlon. Fílii Rachel, Joſeph & Bénjamin. Fílii Balæ ancillæ Rachélis, Dan & Néphthali. Fílii Zelphæ ancillæ Liæ, Gad & Aſer. Hi ſunt fílii Jacob qui nati ſunt ei in Meſopotámia Syriæ. Venit étiam ad Iſaac patrem ſuum in Mambre, civitátem Arbee: hæc eſt Hebron in qua peregrinátus eſt Abraham & Iſaac. Et compléti ſunt dies Iſaac centum octoginta annórum. Conſumptúſque ætáte mórtuus eſt, & appóſitus eſt pópulo ſuo ſenex & plenus diérum: & ſepeliérunt eum Eſaü & Jacob fílii ſui.

℟. Vidit Jacob Dóminum dicentem ſibi: Erit ſemen tuum quaſi pulvis

terræ : & * Benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. ℣. Non dicit : Et ſemínibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, qui eſt Chriſtus : * Benedicentur in te & in ſémine tuo cunctæ tribus terræ. Glória. * Benedicentur in te & in ſémine tuo. *Gen.* 28. *Gal.* 3.

CANON.

Ex Concílio Senonenſi. *Ann.* 1528. *cap.* 25.

CLérici neque in público ludant pilâ, aut áliis ludis, máximè cum láicis. A ludo aleárum, aliíſque, qui à ſorte pendent, abſtíneant : neque ludéntium fautóres, ſpectatóres aut teſtes exiſtant.



PROPRIUM SANCTORUM.

¶ *In Adventu ſit Officium Feſtorum Semiduplic. & ſuprà, cum Commemoratione Feriæ. De Simplicibus autem ſola Commem. in I. Veſp. & in Laud. cum iij. Lectione in Feriis (tribus de Script. contractis in duas), vel ix. Lectione, in Feſtis novem Lectionum, non autem in Dominicis.*

[*Non ſit de ulla Vigilia, præter Vigiliam Nativitatis Domini.*]

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XXVII.

In Feſtò

SANCTI ACHARII, Noviomenſis Epiſcopi.

Duplex III. Claſſis.

[*Dominicâ I. Adventûs occurrente die xxvij. Feſtum S. Acharii transfertur in diem xxix.*]

Omnia ut in Communi SS. Pontificum, pag. xxv. exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ACHárius in célebri monaſtério Luxovienſi, cui præerat ſanctus Euſtáſius, ab infántiâ ſummâ curâ educátus, in litteris & in pietáte tantos progreſſus fecit, ut non juvénibus modò, ſed étiam ſenióribus proponerétur tanquàm exemplum pœniténtiæ, ſiléntii, fervóris & obediéntiæ. Itaque ſic illíus fama ubíque percrebúerat, ut, mórtuo Ebúrtio Noviomenſi Epíſcopo, poſtulátus ſit ómnium tam prócerum quàm pópuli votis, qui Noviomenſi & Tornacenſi Eccléſiæ præeſſet. Quo in múnere ómnia perfecti Prææſulis múnia fidéliter adimplévit. Sibi ipſi diffidens, Amandum virum prorsùs Apoſtólicum, in auxílium advocávit qui labóres tremẽdi óneris partirétur. Ille à Dago-

berto Rege, lítteras obtínuit quo majórem, apud Gandavenſes, tunc profáno Deórum cúltui adhuc dédĭtos, habéret prædicandi Evangélium auctoritátem,& eos ad Chriſti fidem adducendi. Utriuſque zelo & virtútibus permóti Gandavenſes, Gentilitátis erróribus ejurátis, Chriſti fidem amplexi ſunt. Ipſe Dagoberto auctor fuit beáti Audomári ad Sedem Teruanenſem jámdiu vacantem, evehendi. Demùm vigéſimo Pontificátûs ſui anno, plenus méritis mortalitátem éxuit, & ad Chriſtum evolávit. Ante & poſt mortem multis cláruit miráculis. Corpus ejus, Noviómi, in Eccléſia beatórum Apoſtolórum Petri & Pauli in ſacello ſancti Geórgii, ſepultum eſt.

℟. Ego ſequeſter * Et médius fui inter Dóminum & vos, ut annuntiárem vobis verba ejus. ℣. Eccléſiæ factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſatiónem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. * Et médius fui. *Deut.* 5. *Coloſſ.* 1.

De libro ſancti Gregórii Papæ de Cura Paſtoráli.

Lectio v.

TAntùm debet actiónem pópuli áctio tranſcéndere Præſúlis, quantùm diſtáre ſolet à grege vita paſtóris. Oportet namque, ut metíri ſe ſollícitè ſtúdeat, quantâ tenendæ rectitúdinis neceſſitáte conſtríngitur, ſub cujus æſtimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo neceſſe eſt, cogitatióne mundus, actióne præcípuus, diſcrétus in ſiléntio, útilis in verbo, ſíngulis compaſſióne próximus, præ cunctis contemplatióne ſuſpenſus, benè agéntibus per humilitátem ſócius, contra delinquéntium vítia per zelum juſtítiæ erectus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum ſollicitúdine non relinquens.

℟. Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos: * Libentíſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animábus veſtris. ℣. Abſit à me hoc peccátum, ut ceſſem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam& rectam. * Libentíſſimè impendam. *II. Cor.* 12. *I. Reg.* 12.

Lectio vj.

CUm curam pópuli electus Præſul ſúſcipit, quaſi ad ægrum médicus accédit. Si ergò adhuc in ejus córpore paſſiónes vivunt, quâ præſumptióne percuſſum medéri própe-rat, qui in fácie vulnus gort-

ſat? Ille modis ómnibus debet ad exemplum benè vivendi pértrahi, qui cunctis carnis paſſiónibus móriens jam ſpirituáliter vivit, qui próſpera mundi poſtpónit, qui nulla adverſa pertimeſcit, qui ſola interna desíderat: cujus intentióni benè cóngruens, nec omnínò per imbecillitátem corpus, nec valdè per contumáciam repugnat ſpíritus: qui ad aliéna cupienda non dúcitur, ſed própria largítur. Qui per pietátis víſcera cítiùs ad ignoſcendum fléctitur; ſed nunquàm, plus quàm déceat ignoſcens, ab arce rectitúdinis inclinátur. Qui nulla illícita pérpetrat, ſed perpetráta ab áliis ut própria deplórat. Qui ex affectu cordis aliénæ infirmitáti compátitur, ſicque in bonis próximi, ſicut in ſuis proféctibus, lætátur. Qui ita ſe imitábilem céteris, in cunctis quæ agit, insínuat, ut inter eos non hábeat quod ſaltem de tranſactis erubeſcat.

℟. Caríſſimi, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte: quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite; * Et † Deus pacis erit vobiſcum. ℣. Judícium patris audíte, filii; & ſic fácite ut ſalvi ſitis. * Et. Glória. † Deus. *Philipp.* 4. *Eccli.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Evangelium & Homilia ut in Communi SS. Pontificum. pag. xxx.

Oratio.

DIrige, Dómine, oves tuas in viam ſalútis ætérnæ, quam beáti Pontíficis Achárii vita cum doctrína monſtrávit; & fac nos, eódem intercedente, ſic ejus ſúbſequi veſtígia, ut cum ipſo coronári mereámur; Per Dóminum.

Ad Laud. Commem. Feria.

In Vesp. Commem. S. Maximi Epiſc. Ant. Ipſum. ℣. Elégit. *p.* xxvj. *Oratio*, Da nobis. *infrà.* *Deindè Commem. Feria.*

DIE XXVIII.

In Feſto

SANCTI MAXIMI,

Reïenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ ſequuntur.*

Lectio j. de Script. occurr. (de tribus una); & ſic in aliis Semiduplicib.

Lectio ij.

MAxímus, Cornéti in Diœcéſi Reïenſi natus, mirâ à téneris annis morum innocéntiâ effulſit. Ut séculi vanitátem & honóres effúgeret, in cœnóbio Lirinenſi, vitam monáſticam profeſſus eſt. Ibi tanto divíni amóris cultu ſucceníus eſt, tantæ pietátis &

ſapiéntiæ famam adeptus, ut, in loco Honoráti Lirinenſis Abbátis, ómnium votis ſuffectus fúerit. Suæ & fratrum ſuórum salúti aſsíduâ curâ incumbens totum ſe oratióni & ſacrárum litterárum ſtúdiis dedit. Virtútibus & miráculis clarus Epíſcopus Reïenſis ordinátus eſt.

Lectio iij.

IN Epiſcopátu vitam monáſticam degit: collapſam Eccleſiáſticam diſciplinam ad formam Apoſtólicæ vitæ inſtauráre desíderans, ſollicitudínibus Paſtorálibus intentus, Clero & gregi ſuo ſemper invigilávit, exemplis ſuis & documentis pópulum ſuum informávit. Sedit in Concíliis multis, Arelatenſi ſecundo, Arauſicáno, Arelatenſi tértio: anno quadringentéſimo trigéſimo nono intérfuit Reïenſi Concílio. Epíſtolam ſancti Leónis Papæ ad Flaviánum Conſtantinopolitánum cum magna reveréntia accépit, & per totas Gállias diſſeminávit. Ab Epíſcopis Romam cum Ravénnio miſſus eſt, ut jura & dignitátem Arelatenſis Eccléſiæ defénderet. Reverſus ad pópulum ſuum labóribus & vigíliis confectus obdormívit in Dómino anno quadringentéſimo ſexagéſimo ſecundo.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, intercedente beáto Máximo Pontífice, ut mémores virtútum quas verbo & exemplo prædicávit, ipsíus perenne consórtium áſſequi mereámur. Per Dóminum.

Commemoratio Feriæ.

In Vesp. Commem. Feriæ, deindè S. Saturnini Epiſc. & Mart. Antiph. Qui vícerit. ℣. Juſtus, *pag.* ix. *Orat.* Omnípotens, *pag.* xv.

[*Si Dominica I. Adv. occurrerit die 27. Vesp. de S. Achario; Commem. S. Maximi, deindè Feriæ, poſteà S. Saturnini, cujus craſtinâ die dicitur Lectio ix. ad Matutinum, & Commem. ejuſdem ad Laudes, poſt Commemorationem de Feria. Veſp. autem de S. Andréa, in quibus Commem. S. Acharii, deindè de Feria.*]

Die XXIX.

S. SATURNINI, primi Toloſatium Epiſcopi & Martyris.

Commemoratio.

Lectio iij.

SAturnínus à Románo Pontífice unà cum ſex áliis Epíſcopis miſſus in Gállias, & Tolóſæ Póntifex conſtitútus anno conſulátûs Décii & Grati, multos ab idólis ad Chriſtum conver-

tit: dæmónibus qui ibi colebantur ádeò terríbilis, ut fruſtrà ſacrificiis animálium evocáti, orácula réddere ceſſáverint. Tam inexpectáto ſiléntio commóti gentíles, ímpetu facto, Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminári duríſſimam mortem, niſi more pátrio diis ſacra fáceret. Quod cùm renuiſſet, pedes ejus tauro alligârunt, qui ſanctum Præſulem per declíves gradus Capitólii raptátum, colliſo cápite, excuſſo cérebro, membríſque diſcerptis, interémit. Exánime corpus támdiu à tauro diſtractum eſt, quoad, rupto fune, acceptum, & lígneo immiſſum féretro, mulíeres duæ in alta ſcrobe tumultuáriò condidérunt. Invéntum eſt póſteà ab Hilário Toloſáno, qui, effoſsâ circùm humo, ſacras véritus relíquias commovére, túmulum ſuperimpóſuit & Oratórium extruxit.

In Laudibus pro Comm. ejuſdem, Ant. Bonum. ℣. Cantábo. *Oratio* Omnípotens. *pag.* xiv. & xv.

D I E XXX.

In Feſto

SANCTI ANDREÆ, Apoſtoli.

Duplex III. Claſſis.

Omnia de Communi Apoſtolorum, pag. j. exceptis quæ ſequuntur.

In primis Veſperis.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Joannes reſpíciens Jeſum ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt duo diſcípuli loquentem, & ſecúti ſunt Jeſum. Erat autem Andréas frater Simónis Petri unus ex duóbus qui ſecúti fúerant eum. *Joann.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

Commemoratio Feriæ Adventûs.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Andréas Joannis ſeu Jonæ fílius, Simónis qui póſtmodùm Petrus dictus eſt, frater, Bethsáidæ in Galilæa natus, unus fuit ex duóbus diſcípulis Joannis Baptiſtæ, qui audiérunt eum de Jeſu dicentem: Ecce Agnus Dei, & ſecúti ſunt Jeſum. Sciſcitáti ambo ubi manéret, invitáti cómites venére, apud quem cùm manſiſſent die illâ, invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dixit ei: Invénimus Meſsíam, & adduxit eum ad Jeſum. Ambos fratres, jam diſcípulos ſuos, nondùm tamen itínerum, vitæque perpétuos sócios, cùm ámbulans póſteà Jeſus juxta mare Galilææ vidiſſet mittentes rete in mare, his vocávit verbis: Veníte poſt me, & fáciam

vos fieri piſcatóres hóminum. Qui contínuò, relíctis rétibus, ſecúti vocantem, ita ei adhæsérunt & placuérunt, ut inter Duódecim quos è diſcípulis ſuis elégit, & Apóſtolos nominávit, primùm Simónem, quem cognominávit Petrum, mox Andréam fratrem ejus, Matthæus & Lucas recénſeant.

Lectio v.

QUærenti Chriſto, undè emerentur panes ut manducáret multitúdo máxima quæ vénerat ad eum, dixit Andréas: Eſt puer unus hîc qui habet panes quinque hordeáceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Jeſum, paucis ante Paſſiónem ſuam diébus, ſedentem in monte Olivárum contra templum, & ſubverſiónem templi prædicentem interrogavérunt ſeparátim Petrus & Jacóbus, & Joannes & Andréas: Dic nobis, quando iſta fient, & quod ſignum erit, quando hæc ómnia incípient conſummári? Quos ille cùm, ne ſeducerentur, monuiſſet ac prænuntiaſſet eis bella, terræ motus per loca, & fames inítia dolórum, ſubjunxit ſtatìm: Vidéte voſmetipſos: tradent enim vos in Concíliis; & in Synagógis vapulábitis; & ante Præſides & Reges ſtábitis propter me, in teſtimónium illis: & in omnes gentes primùm oportet prædicári Evangélium. Andréas, ut quod ſuum erat impléret, poſt ejus Paſſiónem ac Reſurrectiónem ſortítur Scythiam; cúmque in Græciam perveniſſet, quàmplúrimos ab idolórum cultu ad Chriſtum colendum adduxit.

Lectio vj.

PAtras civitátem Acháiæ célebrem fecit, & morte quam óbiit cruci affixus, & túmulo. Hinc Conſtántius, circa annum trecentéſimum quinquagéſimum ſextum, impérii verò ſui vigéſimum, ut æmulam Romæ Conſtantinópolim Apoſtólicis corpóribus muníret, ſanctórum Andréæ & Lucæ córpora tránſtulit, & unà cum córpore ſancti Timóthei à ſe jam anno ſuperióre transláto, in Basílica ſanctórum Apoſtolórum, quam Conſtantínus ædificáverat, ut in ea Imperatóres humarentur, collocávit. Toto itínere, & per omnes vias quà córpora ſancta tranſiére, divínam manum mirâ ſigna operátam fuiſſe refert ſanctus Paulínus. Anno autem milléſimo ducentéſimo décimo, poſt Conſtantinópolim à Gallis captam, corpus ſancti Andréæ Petrus Capuánus Apoſtólicæ ſedis

legátus Amalphim in pátriam ſuam in regno Neapolitáno deferri curávit, ubi fidélium concurſu recólitur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo témpore: Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

Homil. 5. in Evang.

AUdiſtis, fratres, caríſſimi, quia ad unius juſſiónis vocem Petrus & Andréas, relictis rétibus, ſecúti ſunt Redemptórem. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant; nihil ab eo de præmio æternæ retributiónis audíerant: & tamen ad unum Dómini præceptum, hoc quod poſſidére videbantur, oblíti ſunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus? quot flagellis affligimur? quantis minárum aſperitátibus deterrémur? & tamen vocantem ſequi contémnimus. In cœlo jam ſedet, qui de converſióne nos ádmonet: jam jugo fidei colla géntium ſúbdidit, jam mundi glóriam ſtravit, jam ruinis ejus crebreſcéntibus, diſtricti ſui judícii diem propinquantem denúntiat: & tamen ſuperba mens noſtra non vult hoc ſpontè deſérere, quod quotídiè perdit invíta.

Lectio viij. §. 2.

SEd fortaſſe áliquis tácitis ſibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam uterque iſte piſcátor quid aut quantum dimíſit, qui penè nihil hábuit? Sed hâc in re, fratres caríſſimi, affectum debémus pótiùs pensáre, quàm cenſum. Multùm relíquit, qui ſibi nihil retínuit: multùm relíquit, qui quantúmlibet parùm, totum deſéruit. Certè nos & hábita cum amóre poſſidémus, & ea quæ mínimè habémus, ex deſidério quærimus. Multùm ergo Petrus & Andréas dimíſit, quando uterque étiam deſidéria habendi derelíquit.

Lectio ix. §. 4.

QUia ergo, fratres caríſſimi, beáti Andréæ Apóſtoli Natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Oſtendat noſtræ obſéquium devotiónis immutátæ ſolémnitas mentis: deſpiciámus quæ terréna ſunt: relictis temporálibus, mereámur ætérna. Si autem necdùm póſſumus relínquere própria, ſaltem non concupiſcámus aliéna. Si nec-

dùm mens noſtra accénditur igne caritátis, in ambitióne ſuâ hábeat frænum timóris, ut profectûs ſui páſſibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéſcitur, quandóque ad própria contemnenda perducátur, adjuvante Dómino noſtro Jeſu Chriſto.

Dicitur Te Deum: [*& ſic in omnibus Feſtis per Adventum.*]

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dicit ei: Invénimus Meſſiam, quod eſt interpretátum Chriſtus: & adduxit eum ad Jeſum. *Joann.* 1.

Oratio.

MAjeſtátem tuam, Dómine, ſupplíciter exorámus; ut ſicut Eccléſiæ tuæ beátus Andréas Apóſtolus éxtitit prædicátor & rector, ita apud te ſit pro nobis perpétuus interceſſor. Per Dóminum.

Commemoratio de Adventu.

Vesperæ de ſequenti.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

IN FESTO SANCTI ELIGII, Noviomenſis Epiſcopi, ET DIŒCESIS PATRONI.

ANNUALE.

In primis Vesperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni*, D.

NOn fuit ei ſímilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 2.

Ant. 3. a. Proficiébat atque creſcébat, & placébat tam Deo quàm homínibus. *I. Reg.* 2.

Ant. 4. E. Ipſe enim quaſi vir verax & timens Deum, plùs céteris vide-

ſtatur. *II. Eſdr.* 7.

Ant. 2. D. Cùm veniſſet ad Regem, fecit omne opus ejus. *III. Reg.* 7.

Ant. 5. C. Qui diligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum ſuórum habébit amícum Regem. *Prov.* 22.

Capitulum. Eccli. 50.

QUaſi ſtella matutína in médio nébulæ, & quaſi luna perfecta in diébus ſuis lucet, & quaſi ſol refulgens; ſic ille effulſit in templo Dei.

℟. Ecce ego locútus ſum, & vocávi eum. * Adduxi eum, & directa eſt via ejus. ℣. Ejus apprehendi déxteram, ut ſubjíciam ante fáciem ejus gentes. * Adduxi. Glória. ℟. Ecce ego. *Iſ.* 48 & 45.

Hymnus.

QUid times ſacris, venerande Præſul,
Infulis ſacram redimíre frontem?
Te Deus poſcit; fácilis precantûm
Annue votis.

ANNUIT; læti cecinére cives;
Gaudet Urbs; oris nova lux ſerénis
Ad novos fauſti radiaſſe viſa
Síderis ortus.

UT gregis curas, trepidante dextrâ
Sumpſit; haud ceſſat vigiláre Paſtor;
Crédito ne quid, rábie luporum,
De grege perdat.

FRONTE non aſper, fácilis, benignus,
Voce non ſolâ docet: ipſa vultûs
Blanda majeſtas pietátis almum
Afflat amórem.

SI probat patrem, docet imperítos
Erigit triſtes, inopéſque paſcit;
Fidus illæſum vigilando Paſtor
Servat ovíle.

NOSTRA te ſummum célebrent Parentem
Ora, te ſummo Génitum Parente;
Par ſit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64.

[*Duplicatur Antiph. ad* Magníficat, *in utriſque Veſperis & ad* Benedictus. *in Laudib. Et ſic in omni Annuali & in Duplicib. I. & II. Claſſ.*]

Ad Magnif. *Ant.* 6. C. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit. *Iſai.* 40.

Oratio, infrà ad Laudes.

Pro Commemoratione S. Andreæ, Ant. Vidit Jeſus Simónem & Andréam fratrem ejus, mittentes rétia in mare; & dixit eis: Veníte poſt me; & fáciam vos fieri Piſcatóres hóminum. Et próximus, relíctis rétibus, ſecúti ſunt eum. *Marc.* 1.

℣. Nimis, *pag.* vij.

Oratio, Majeſtátem. *ut ſuprà, pag.* 478.

Commemor. Adventûs.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi Feriales.

Ant. 7. d. Gaudémus propter vos ante Deum noſtrum, nocte ac die abundántiùs orantes ut compleámus ea quæ deſunt fidei veſtræ. *I. Theſſal.* 3.

Ad Nunc dimíttis. *Ant.* 6. F. Memoriále tuum, Dómine, in deſidério ánimæ; ánima mea deſiderávit te in nocte. *Iſai.* 26.

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum qui dedit nobis Paſtórem juxta cor ſuum, * Veníte, adorémus. *Jerem.* 3.

Pſalm. Veníte *pag.* 2.

Hymnus, Quid times, *ut in I. Veſperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Conſtituiſti.

Pſalmus 8.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & ſtellas quæ tu fundaſti:

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronaſti eum, * & conſtituiſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univerſas, ínſuper & pécora campi,

Vólucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſâ terra!

Ant. Conſtituiſti, Dómine, ſanctum tuum ſuper ópera mánuum tuárum. *Pſ.* 8.

Ant. 4. E. Salvum fecit.

Pſalmus 19.

EXaudiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto,

ſancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui, * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in ſalutári tuo : * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo : * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt & cecidérunt ; * nos autem ſurréximus & erecti ſumus.

Dómine, ſalvum fac regem, * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

Ant. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum, & exaudívit illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſ.* 19.

Ant. 8. G. Glóriam.

Pſalmus 20.

Domine, in virtúte tua lætábitur rex, * & ſuper ſalutáre tuum exultábit vehementer.

Deſidérium cordis ejus tribuiſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudaſti eum.

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis, * poſuiſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te, & tribuiſti ei longitúdinem diérum in ſéculum, * & in ſéculum ſéculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſéculum ſéculi : * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo.

Quóniam rex ſperat in Dómino, * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala, * cogitavérunt consília quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in

virtúte tua: * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Ant. Glóriam & magnum decórem impoſuiſti ſuper eum, Dómine. *Pſ.* 20.

℣. Póſui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi electum de plebe mea. *Pſ.* 88.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 31.

AB infántia mea crevit mecum miſerátio: & de útero matris meæ egreſſa eſt mecum. Si deſpexi pereuntem, eò quòd non habúerit induméntum, & abſque operimento páuperem: ſi non benedixérunt mihi látera ejus, & de velléribus óvium meárum caleſactus eſt: ſi levávi ſuper pupillum manum meam, étiam cùm vidérem me in porta ſuperiórem: húmerus meus à junctúra ſua cadat, & bráchium meum cum ſuis óſſibus confringátur. Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui.

℟. *j.* Dividébat unicuíque, prout póterat. * De facultátibus ſuis, eſurientes alébat, nudíſque veſtimenta præbébat. ℣. Timens Deum cum omni domo ſua, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper. * De facultátibus. Glória. ℟. Dividébat. *uſque ad* ℣. *Tob. I. Act.* 10.

Lectio ij.

SI putávi aurum robur meum, & obrízo dixi: Fidúcia mea. Si lætátus ſum ſuper multis divítiis meis, & quia plúrima réperit manus mea: ſi vidi ſolem, cùm fulgéret, & lunam incedentem claré: & lætátum eſt in abſcóndito cor meum, & oſculátus ſum manum meam ore meo: quæ eſt iníquitas máxima, & negátio contra Deum altíſſimum: ſi gavíſus ſum ad ruínam ejus qui me óderat, & exultávi quòd inveniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimam ejus.

℟. *ij.* Beátus dives qui invéntus eſt ſine mácula: & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúnia & theſauris. * Quis eſt hic? & laudábimus eum; fecit enim mirabília in vita ſua. ℣. Qui probátus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi glória ætérna. * Quis eſt hic? *Eccli.* 31.

Lectio iij.

FOris non manſit peregrínus, óſtium meum viatóri pátuit. Si abſcondi quaſi homo peccátum meum, & celávi in ſinu meo iniquitátem meam. Si expávi ad multitúdinem nímiam,

& deſpéctio propinquórum térruit me; & non magis tácui, nec egreſſus ſum óſtium. Quis mihi tríbuat auditórem, ut deſidérium meum aúdiat Omnípotens, & librum ſcribat ipſe qui júdicat, ut in húmero meo portem illum, & circumdem illum quaſi corónam mihi? Per ſíngulos gradus meos pronuntiábo illum, & quaſi Príncipi ófferam eum. Si adversùm me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent: ſi fructus ejus comédi abſque pecúnia, & ánimam agricolárum ejus afflixi. Pro fruménto oriátur mihi tríbulus, & pro hórdeo ſpina.

℟. *iij.* Qui pronus eſt ad miſericórdiam, benedicétur; * De pánibus enim ſuis dedit paúperi. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet.* De pánibus. Glória. ℟. Qui pronus. *uſque ad* ℣. Qui séminat. *Prov.* 22. *II. Cor.* 9.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Impinguaſti.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me ſuper sémitas juſtítiæ * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguaſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Impinguaſti in óleo caput meum, ut inhábitem in domo tua, Dómine. *Pſ.* 22.

Ant. 6. c. Circúmdabo.

Pſalmus 25.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingreſſus ſum, * & in Dómino ſperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio

vanitátis ; * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine :

Ut aúdiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam.

In quorum mánibus iniquitátes ſunt : * déxtera eórum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingreſſus ſum : * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in dirécto : * in Eccléſiis benedícam te, Dómine.

Ant. Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ut enarrem universa mirabília tua. *Pſ.* 25.

Ant. 3. ℣. Apud me.

Pſalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei !

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídiè : Ubi eſt Deus tuus ?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam : * quóniam tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulantis.

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipſum ánima mea conturbáta eſt : * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat : * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelſa tua & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam ; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo : Suſceptor meus es.

Quare oblítus es meî ? * & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur oſſa

mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi eſt Deus tuus? * quare triſtis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Apud me orátio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Suſceptor meus es. *Pſ.* 41.

℣. Elégit Dóminus ſervum ſuum; ℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77.

Lectio iv.

ELígius Lémovix, aurífaber indúſtrius, relictâ pátriâ, in Fránciam ſe cóntulit: ubi, perítiæ ſuæ famâ, Clotário ſecundo innótuit. Sanctióris vitæ deſidério accenſus, ómnium ab adoleſcéntia delictórum exomologéſim fecit coram Sacerdóte; &, peractâ gravi pœniténtiâ, de reconciliatióne ſua divínitùs cértior factus eſt. Ex eo témpore in ópera pietátis omni ſtúdio incúbuit. Nam étiam cùm artem exercébat, ſubindè in ſacros códices intendébat óculos; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úſibus ſerviébant humánis. Quidquid verò arte ſuâ comparábat, illud totum fovendis egénis, & captívis, rerum étiam ſibi neceſſariárum diſpéndio, redimendis erogábat. Hinc tantus ad eum paúperum concurſus, ut quærenti domum Elígii dicerétur: Ubi paúperum cœtum conſpéxeris, illîc & Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum curſum ſolémniter adimplébant.

℟. iv. Fecit ei Rex ſicut fécerant ei qui ante eum fuérunt, * Et exaltávit eum in conſpectu ómnium amicórum ſuórum. ℣. Audíto eo, multa faciébat, & libenter audiébat eum. * Et exaltávit eum. *I. Machab.* 11. *Marc.* 6.

Lectio v.

CLotário acceptus fúerat; non minùs acceptus fuit & Dagoberto, à quo ad Aremoricórum regem, pacis componendæ causâ, miſſus, reges ambos felíci fœdere ſociávit. Vária ejus hortátu & impenſis extructa ſunt templa & monaſtéria. Solemniacenſe in Lemovícibus cœnóbium cóndidit; Paríſiis monaſtérium vírginum; ad quarum córpora ſepelienda Eccléſiam ſancti Pauli conſtruxit. Inſtaurávit ibídem Basílicam ſancti Martiális; in quam cùm ſancti Epíſcopi

reliquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, pſalléntium chori, óſtia obſeráta vinctis cœlitùs patuérunt. Plúrima diverſis tempóribus, auro, argento & gemmis ornávit ſepulchra ſanctorum, Germáni, vidélicet, Severíni Agaunenſis, Martíni, Quintíni, Genovéfæ. & aliórum: & mauſolæum imprímis Mártyris Dionyſii miro artifício decorávit. De Eccléſiæ diſciplína ſollícitus, ſimoníacam labem, quæ alias in Gállia radíces égerat, junctis cum Audoéno ſtúdiis, extirpávit; effecítque cum eo, ne quis deinceps Epíſcopus eligerétur, niſi qui integritáte morum céteris præfulgéret.

℟. v. Audíta eſt cáritas tua & fides quam habes in Dómino Jeſu & in omnes ſanctos, * Víſcera ſanctórum requievérunt per te. ℣. Communicátio fidei tuæ évidens facta eſt in agnitióne omnis óperis boni. ℟. Víſcera. *Philem.* ℣. 5.

Lectio vj.

TOt in Eccléſiam méritis clarus, mórtuo Achário, Diœcéſi Noviomenſi præpóſitus eſt. In eo órdine non modò ſalúti gregis ſibi commiſſi consúluit; ſed & Flandros ac Fríſios, aliósque ad Septentriónem pópulos, non ſine magno labóre, & vitæ diſcrímine ad Chriſtum adduxit. Noviómi extruxit monaſtérium, ubi & congregatiónem magnam, & vitæ inſtitutiónem diſtrictam índidit. Sed & ália multa monaſtéria tùm ejus ópere, cùm à diſcípulis ejus conſtructa intra Gállias noſcuntur. Nam multi ex diſcípulis ejus Eccléſias condidérunt; multi monaſtéria ſalúbriter rexérunt; multi étiam in régimen Epiſcopále ſublimáti Eccléſiis præfuérunt. Sedit in Concílio Cabillonenſi ſub Clodovéo ſecundo. Multa præclárè ſcripſit: ejécit dæmones, futúra divinitùs prædixit: áliis miráculis illuſtris, Noviómi óbiit ſeptuagenárius. Ejus funus Regína Bathildis pedes, nec ſine lácrymis, cum líberis & totâ famíliâ proſecúta eſt. Caput ejus póſteà Calam allátum, ibídem huc uſque religióſè à moniálibus aſſervátur. Unum verò ex óſſibus bráchii ab Epíſcopo & Capítulo Noviomenſi Eccléſiæ Pariſienſi donátum eſt, anno milléſimo ducentéſimo duodécimo.

℟. vj. Víſcera ejus abundántiùs in vobis ſunt, reminiſcentis ómnium veſtrûm obediéntiam: * Quómodò cum timóre & tre-

móre excepiſtis illum. ℣. Judícium Patris audíte, fílii, & ſic fácite, ut ſalvi ſitis; Deus enim honorávit Patrem, * Quómodò. Glória Patri. ℟. Viſcera. *uſque ad* ℣. *II. Cor.* 7. *Eccli.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Beátus.

Pſalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos: * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti! * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter: * ſpes ómnium finium terræ & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtia: * qui conturbas profundum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes: & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni & véſpere delectábis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: * multiplicaſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis: paraſti cibum illórum; * quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria: multíplica gení mina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſerti; * & exultatióne colles accingentur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti! inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64.

Ant. 2. D. Concupiſcit.

Pſalmus 83.

QUàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupiſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum: * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus & Deus meus!

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in ſæ

cula ſeculórū laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor: ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noſter, áſpice, Deus; * & réſpice in fáciem Chriſti tui.

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei, * magìs quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te!

Ant. Concupiſcit & déficit ánima mea in átria tua, Dómine. *Pſ.* 83.

Ant. I. a. Cuſtodiébant.

Pſalmus 98.

DOminus regnávit, iraſcantur pópuli, * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelſus ſuper omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt; * & honor regis judícium díligit.

Tu paraſti directiónes: * judícium & juſtítiam in Jacob tu feciſti.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte ſcabellum pedum ejus: quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum: & ipſe exaudiébat eos: * in columna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus, * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter.

Ant. Cuſtodiébant teſtimónia ejus, & præceptum quod dedit illis. *Pſ.* 98.

℣. Os meum apérui & attraxi ſpíritum; ℟. Quia mandáta tua deſiderábam. *Pſ.* 118.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vigiláte, quia neſcítis quâ horâ Dóminus veſter ventúrus ſit. Et réliqua.

Homília ſancti Elígii Epíſcopi.

S. Audoën. in ejus vita. Libr. 2. Cap. 15.

COnſideráte, fratres, quia oportet me ſine ceſſatióne veſtros ánimos ad tremendum Dei judícium, & ad deſiderandum cœleſte præmium excitáre; ut vobíſcum páriter mérear, in Angelórum consórtio, perpétuâ pace gaudére: ideóque rogo ut diem judícii ſemper pertimeſcátis, diem mortis ſuſpectum quotídiè ante óculos habeátis. Conſideráte quales éritis præſentandi conſpéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis viciſſitúdinem receptúri; ſi potuéritis in illo die illibátum referre quod in baptiſmo promiſiſtis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo feciſtis, atque abrenuntiáre vos diábolo & ómnibus opéribus ejus in ipſo baptiſmi Sacramento promiſiſtis.

℟. *vij.* Abſit à me hoc peccátum in Dóminum ut ceſſem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam. ℣. Dabo óperam & frequenter habére vos poſt óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. * Et docébo vos. *I. Reg.* 12. *II. Petr.* 1.

Lectio viij.

ECce prædixi vobis ſimplíciter, ut intellígere poſſitis quæ ſunt unicuíque ventúra. Nemo jam ſe de ignorántia excusáre póterit, quóniam vita & mors vobis prænuntiáta ſunt. Jam verò in arbítrio veſtro conſiſtit elígere quod teneátis: unuſquiſque enim quod hîc concupíverit & aſſecútus fúerit, hoc útique illîc poſſidébit. Vitam ergo ætérnam toto niſu concupíſcite: nec emendatiónem veſtram diútiùs differátis, ſed ad lucranda cœléſtia regna ultrò ipſi relínquite quod in lucis iſtíus fine perdendum eſt. Surgat; jam, quæſo, quicumque peccáti caténâ aſtrictus tenétur; &, expergefactus à ſomno ſuæ mortis, evígilet: recurrat ad confeſſiónem, & agat pœniténtiam.

℟. *viij.* Audíte, filii mei, patrem veſtrum: * Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita ſunt illi. ℣. Ut filios meos cariſſimos móneo. * Servíte. Glória. *Re-*

petitur ℟. Audíte, *uſque ad* ℣. *Tob.* 14. *I. Cor.* 4.

Lectio ix. Poſt pauca.

HÆc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória reſóveat: hæc nos præcepta frequenter ſollícitent. Débitum vitæ finem jamjámque affutúrum putémus; vicinúmque ſperémus mortis diem, quem longinquum eſſe neſcímus. Modò emendémus quod delíquimus, ne tunc pœnitére incipiámus, quando jam non valébimus. Erit quidem & in inferno pœniténtia, ſed omnínò infructuóſa. Erit ibi pœniténtia dolórem habens, ſed jam medicínam non hábens: ibíque nullátenùs póterit à Deo promeréri quod petit, qui hîc noluerit audíre quod Deus juſſit.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona, 1. *toni*, D.

HIc eſt qui fuit in Eccléſia cum pátribus noſtris; qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7.

Ant. 6. F. Vir amátor civitátis & benè áudiens; pro affectu pater appellabátur. *II. Machab.* 14.

Ant. 7. b. Similem illum fecit Dóminus in glória ſanctórum: gloriſicávit illum in conſpectu regum, & oſtendit illi glóriam ſuam. *Eccli.* 45.

Ant. 5. C. Curávit.

Canticum. Eccli. 51.

DEdit mihi Dóminus linguam mercédem meam, * & in ipſa laudábo eum.

Appropiáte ad me, indocti; * & congregáte vos in domum diſciplínæ.

Quid adhuc retardátis? & quid dícitis in his? * ánimæ veſtræ sítiunt vehementer.

Apérui os meum, & locútus ſum: * Comparáte vobis ſine argento.

Et collum veſtrum ſubjícite jugo, & ſuſcípiat ánima veſtra diſciplínam: * in próximo eſt enim inveníre eam.

Vidéte óculis veſtris quia módicum laborávi, * & invéni mihi multam réquiem.

Aſsúmite diſciplínam in multo número argenti, * & copióſum aurum poſſidéte in eà.

Lætétur ánima veſtra in miſericórdia ejus, * & non confundémini in laude ipsíus.

Operámini opus veſtrum ante tempus; * & dabit vobis mercédem veſtram in témpore ſuo.

Ant. Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne; & adeptus eſt glóriam in converſatióne gentis. *Eccli.* 50.

Ant. 3. a. Implébitur benedictiónibus, & videntes illum laudábunt. *Eccli.* 37.

Capitulum. Eccli. 39.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem: ſapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléſia.

Hymnus.

O Qui pro grégibus das
ánimam tuis,
Alto consílio quàm benè
próvidum
Caro ponis ovíli
Quem tu, Chriſte, vocas
ducem.

Factus forma gregis,
quæ pópulos doces,
Elígi, sóciis móribus
éxprimis:
Dum mandas, amor
urget;
Si damnas, amor árguit.

Dum tu corda ſacris
légibus ímbuis,
Diſcuſſis ténebris ſtat fidei
decus:
Seſe pandit aperta
Toto lúmine véritas.

In te turpis opum nil
pótuit fames;
Theſaurus, pótior péctora
móverat;
Æris pródiga dextra
Sparſit quæ méteret
polo.

Fuit ſola tibi cura, ſalus
gregis;
Fuit ſola quies, contínuus
labor:
Tibi vívere Chriſtus;
Tibi grande lucrum
mori.

Christi frugífero vínea
pálmite
Tuis creſcat adhuc culta
labóribus:
Tanto nata ſatóre
Surgant ſémina cœlitùs.

Qua nos duxit amans
Elígius viâ,
Hanc fac, ſumme Deus,
cúrrere ſémitam:
Duc, ne lóngiùs errent,
Serva, ne péreant, oves.

Æternus ſit honos
ingénito Patri;
Sit par Unígenæ glória
Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

℣. In juſtítia apparébo conſpéctui tuo, Dómine:
℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Pſ.* 16.

Ad Bened. *Ant.* 6. Os Impléte gáudium meum, ut idèm ſapiátis, eamdem caritátem habentes. *Philipp.* 2.

Oratio.

DEus, ſanctórum tuórum ſplendor mirábilis, qui hunc diem beáti Pontíficis Elígii aſſumptióne conſecraſti; da Eccléſiæ tuæ in ejus natalítio exultanti, ut apud miſeri-

córdiam tuam & exemplis ejus & méritis adjuvétur; Per Dóminum.

Commemoratio Feriæ.

AD HORAS.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. D. Hic eſt.

CANON.

Ex Sancto Elígio Epíſcopo Noviomenſi.

In ejus vita à S. Audoëno. ſcripta. libr. 2. c. 16.

EGo, quantùm ad me áttinet, abſolvo coram Deo conſciéntiam meam, teſtéſque ſuper hoc ínvoco cœlum & terram, quòd præbúerim vobis opportúnum miniſtérium, atque annuntiáverim vitam & mortem, cæterùm in præſenti vobis innoteſco, quòd ſi ſprevéritis verba mea, méque contemnentes, audíre nolueritis, équidem véniens coram Redemptóre meo accusábo pertináciam veſtram.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Vir amátor.

Capitulum. Eccli. 50.

IN accipiendo autem partes de manu Sacerdótum, & ipſe ſtans juxta aram; & circa illum coróna fratrum, quaſi plantário cédri in monte Líbano, ſic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ.

℟. *br.* Introíbo in domum tuam in holocauſtis; * Allelúia, allel. ℣. Reddam tibi vota mea; * Allelúia, allel. Glória. ℟. Introíbo.

℣. Holocauſta medulláta ófferam tibi, ℟. Cum incenſo aríetum. *Pſ.* 65.

AD SEXTAM.

Ant. 7. b. Similem illum.

Capitulum. Rom. 15.

HAbeo ígitur glóriam in Chriſto Jeſu ad Deum: non enim áudeo áliquid loqui eórum quæ per me non éfficit Chriſtus in obediéntiam géntium verbo & factis, in virtúte ſignórum & prodigiórum, in virtúte Spíritûs ſancti.

℟. *br.* Veníte & vidéte ópera Dómini: * Allelúia, allelúia. ℣. Quæ póſuit prodígia ſuper terram: * Allelúia, allelúia. Glória. Veníte. *Pſ.* 45.

℣. Voluntátem timéntium ſe fáciet Dóminus, ℟. Et deprecatiónem eórum exaúdiet. *Pſ.* 144.

AD NONAM.

Ant. 3. a. Implébitur.

Capitulum. Eccli. 48.

AMplificátus eſt in mirabílibus ſuis: & quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi? Beáti qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti ſunt.

℟. *br.* In memória ætérna erit Juſtus: * Allelúia, allelúia. ℣. Ab auditióne

mala non timébit : * Allelúia, allelúia. Glória. In.

℣. Juſtítia ejus manet in séculum séculi ; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111.

A D II. VESPERAS.

Pſalmi de Dominica, excepto ultimo, cujus loco dicitur Pſalm. Memento, Dómine, David, *cum ſua diviſione, pag.* 111.

Antiphona, 1. *toni*, G.

Ambulávit in conſpectu tuo, Dómine, (ſervus tuus) in veritáte & juſtítia & recto corde tecum. *III. Reg.* 3.

Ant. 8. g. Réliquum vitæ ſuæ in gaúdio fuit, & cum bono profectu timóris Dei perrexit in pace. *Tob.* 14.

Ant. 6. F. Mórtuus eſt in ſenectúte bona, plenus diérum, & divítiis, & glóriâ. *I. Paral.* 29.

Ant. 4. E. Memória ejus in compoſitiónem odóris facta, opus pigmentárii : in omni ore quaſi mel indulcábitur. *Eccli.* 49.

Ant. 5. C. Jucundábitur in filiis ſuis, & in die oratiónis ſuæ exaudiétur. *Eccli.* 3.

Capitulum. Philipp. 4.

Fratres, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc ágite ; & Deus pacis erit vobiſcum.

Hymnus.

Praſcius mortis propè jam futúræ,
Ut novas vires animóſque ſumat
Páſcitur Chriſto, ſolidâque fortis
Fervet ab eſcâ.

Flebat aſtantis pia turba cleri ;
Ipſe gaudébat properáre cœlo
Et ſiti longâ cupidè petítum
Víſere Numen.

In Deum toto tua major orbe
Mens anhelábat ; tua vota cœlum ;
Hîc opes fluxas benè condidiſti
Próvidus hoſpes.

Sat datum terris ; tua nunc olympo,
Te gravem virtus méritis repoſcit :
Rédditas tandem fidei triumphans
Necte corónas.

De tuis, ſi te mala noſtra tangunt,
Sédibus, terras húmiles tuére ;
Nec tuam quæ te ſtudet æmulári
Déſpice prolem.

Summa laus Patri, ſimul æqua Nato,
Et tibi compar, utriuſque vinclum,
Spíritus, cuſtos & orígo ſancti

Fons & amóris.
Amen.

℣. Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Pſ.* 25.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Adimplévit illum Dóminus Spíritu ſapiéntiæ & intelléctûs: ſtolâ glóriæ veſtívit illum, jucunditátem & exultatiónem theſaurizávit ſuper illum, & nómine ætérno hæreditávit illum: allelúia. *Eccli.* 15.

Oratio Deus, *ut ſuprà ad Laudes, pag.* 491.

Pro Commemoratione S. Franciſci Xaverii, Presbyteri.

Ant. Oportet te prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & Régibus multis. *Apoc.* 10.

℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine, ℟. Et nómini tuo pſalmum dicam. *Pſ.* 17.

Oratio, infrà ad Laudes.

Deinde Commem. Feriæ.

Ad Complet. Pſalmi de Dominica. Antiph. ut heri.

DIEBUS
intra Octavam
SANCTI ELIGII.
Semiduplex.

Omnia ut in Die, exceptis quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feria in toto Officio.

AD MATUTINUM.

Tres Antiph. ℣. *&* ℟℟. *de Nocturno Diei, ſecundùm Feriam.* (*Poſt* Glória Patri *non reſumitur* ℟.)

Lectio j. de Scriptura occurr. (*ex tribus una.*) *Lectio ij. & iij. ut infrà pro qualibet die.*

AD LAUDES.

Canticum ut in Die. Ant. ſola, Curávit, *quæ eſt quarta de Laudibus. Commem. Feriæ.*

AD HORAS.

In ℟℟℟. *brevib. Tert. Sext. & Nonæ additur duplex* Allelúia.

AD VESPERAS.

Antiph. ſola, Ambulávit, *quæ eſt prima II. Veſp. Commem. Feriæ.*

Ad Complet. Antiph. ut in Die.

DOMINICA
Intra Octavam.

Totum Officium de Dominica occurrente, incipiendo à I. Veſperis, quæ erunt integræ de Sabbato ante illam Dominicam, cum Commem. Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus.

DIE II.
In Feſto
S. FRANCISCI XAVERII
Presbyteri.
Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Presbyterorum, p. xlij. *exceptis quæ ſequuntur.*

AD NOCTURNUM.

Lectio j. de Script. occurr. de tribus una.

Lectio ij.

FRanciſcus Xavérius, nóbilis Cántaber, Paríſiis emenſo philosóphico ſtádio, Magiſtérium ártium conſecútus, mox Philosóphiæ profeſſor, ac deindè Baccalaúreus, Theológiæ curſum abrúpit, ut ſe beáto Ignátio sócium adjúngeret. Tum ſanctióris vitæ genus profitéri cœpit, non jejúniis modò, aliíſque córporis afflictatiónibus, & paúperum, præſertìm infirmórum, curâ quibus in xenodochíis miniſtrábat; ſed & ſinguláris Religiónis propagandæ ſtúdio, ſummâ in Epíſcopos & Presbyteros obſervántiâ, eóque in Deum fervóre caritátis, ut ejus incéndium in oratiónibus non ferens, ſæpiùs exclamáret: Satis eſt, Dómine; ſatis eſt.

Lectio iij.

PRocurante Joanne Luſitániæ Rege, à Paulo tértio Indiæ deſtinátus, multos paſſim toto Oriente Chriſtiános ad melióres frugem revocávit, & pópulos quamplúrimos ignorántiæ ténebris involútos ad Chriſti fidem addúxit: nam præter Indos, Brachmánes & Malábares; ipſe primus Parávis, Jais, Mindánais, Malacénſibus & Japónibus, multis éditis miráculis & exantlátis labóribus, Evangélii lucem íntulit. Perluſtrátâ tandem Japóniâ, ad Sinas profectúrus, in ínſula Sanciána óbiit, anno ætátis quadrageſimo quinto, Chriſti milléſimo quingentéſimo quinquagéſimo ſecundo. Corpus ejus poſt menſes quíndecim íntegrum & incorruptum Goam delátum eſt. Hunc, Indiárum Apóſtolum toto orbe appellátum, ipſis étiam pagánis & hæréticis commendábilem, Gregórius décimus quintus Sanctis aſcripſit, anno milléſimo ſexcentéſimo vigéſimo ſecundo.

Ad Laudes. *Poſt Hymnum*:

℣. Juſtítiam tuam, Dómine, non abſcondi in corde meo; ℟. Veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi. *Pſ.* 39.

Ad Bened. *Ant.* 1. G. Prædicávi Evangélium, non ubi nominátus eſt Chriſtus, ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annuntiátum de eo, vidébunt. *Rom.* 15.

Oratio.

DEus, qui Indiárum gentes, beáti Franciſci Xavérii prædicatióne & miráculis, Eccléſiæ tuæ ag-

gregáre voluiſti; concéde propítius, ut cujus glorióſa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla; Per Dóminum.

Fit Commem. Octavæ, deinde Feriæ.

Vesperæ *de S. Franciſco Xaverio.*

Poſt Hymn. ℣. Annuntiávi & locútus ſum; ℟. Multiplicáti ſunt ſuper númerum. *Pſ.* 39.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Non in vácuum cucurri; neque in vácuum laborávi. *Philipp.* 2.

Oratio. Deus qui, *ut ſuprà, pag.* 495.

Commemorat. Octavæ. Deinde Feriæ.

Die III.

De Octava.

Semiduplex.

Lectio ij.

Ex beáto Audoéno Epíſcopo.

CUm eſſet beátus Elígius annórum ámpliùs ſeptuaginta, ſéntiens jam diſſolutiónem ſui córporis imminére, juſſit convocári omnes fámulos & miniſtros ſuos quos ipſe, longo jam témpore alens, inſtitúerat, & cœpit eis finem diérum ſuórum palàm fácere, ac, ſicut ſemper conſuéverat, inter cétera prædicáre, pacem ſemper habendam, pacem cum frátribus cuſtodiendam, & caritátem præcípuè tenendam in qua eſt únitas & concórdiæ vínculum. Igitur cum últimâ decúmberet ægritúdine, quam tamen deambulando, bacu lóque regente infirmos artus ſuſtentando diſſimulábat, nec à Dei ópere ceſſábat. Pernox enim in oratiónibus & vigíliis membra fatiſcéntia ſpirítui ſervíre cogébat, & mente quodámmodò ad memóriam futúræ beatitúdinis tránſiens nímiùm lætus cupítum iter expectábat.

Lectio iij.

INtéreà cùm jam propinquáre profectiónis ſalutárem diem ſentíret, congregátis prídiè calendárum Decémbrium fámulis & diſcípulis ſuis, ita exorſus eſt ad eos: Utinam, dilectíſſimi, parvitátis meæ audientes ſenténtiam última amatóris veſtri gratíficè percipiátis verba. Si me vicáriâ dilectióne amátis, divína juſſa adimplére conténdite: Jeſum ſemper ſuſpiráte, præcepta ejus veſtris méntibus fígite; tremenda Dei judícia júgiter formidáte: quales éritis in die judícii præſentandi, ſollícitâ conſideratióne pensáte. Ego enim grádior jam viam univerſæ terræ; jam ítaque ámodò abſque me in hoc mundo degétis,

quia me Dóminus jam evocáre dignátur. His dictis, cùm omnes flerent & ejulárent, evocátis ille ſingulátim vernáculis conſtítuit monaſtéria ad quæ poſt ſuum diſceſſum ſínguli properáre debérent; tum ſubjécit: Ecce hódie in manus veſtras commendo ſalútem animárum veſtrárum. Mementóte ergo admonitiónum meárum, & cogitáte jam ſínguli de vobiſmetipſis. Hæc inter ómnia quæ móneo aſſíduè ágite, hæc ſápite; hæc retéxite, & memóriam meam vobiſcum ſemper ubíque portáte. Elígius enim migrat, & jam non erit in hoc ſǽculo vobiſcum.

Ad Laud. Commemoratio Feriæ.

In Vesperis fit Commemoratio de Adventu: Deinde S. Barbaræ Virginis & Martyris, Ant. Infirma. ℣. Hæréditas. *pag.* lxix. *Oratio*, Deus, qui inter cætera. *pag.* lxxv.

Die IV.

DE OCTAVA.

Semiduplex.

Ex beáto Audoéno Epíſcopo.

Lectio ij.

Cum hæc dixiſſet, omnes qui áderant cum ingenti rugítu vocem levantes, víxque inter crebros ſingultus verba formantes, cónſonâ omnes voce deflébant dicentes: Cur nos, Pater, déſeris? cur alumnos tuos orbátos relinquis? aut cui, Paſtor óptime, gregem, quem ex géntibus congregaſti, fovendum committis? Tália eis defléntibus, piíſſimus ille Paſtor ubertìm fáciem lácrymis rigábat, quas magnitúdo pietátis índices clementíſſimi cordis effúderat. Prócidit súbitò in pavimento & fixis génibus, ante Dei vultum provolútus orat ſupplíciter gemens atque ſuſpírans, ut ſuâ benigníſſimâ pietáte provídeat Paſtórem qui regat modeſtè ſuam plebem. Æterne Paſtor, inquit, commendo tibi oves quas mihi credidiſti, & famíliam omnem quam per miniſtérium officii mei tuo ſervítio mancipaſti. Tuo, quæſo, Chriſte, ſemper protegantur auxílio, tuo gubernentur nutu, & tuo dirigantur império. Tum vocátis iterùm diſcípulis & ſodálibus, dum ſe in mútuos miſcent amplexus, per ſíngulos plorans ómnibus valedicébat dicens: Jam non ultrà loquar vobiſcùm, & fáciem meam ámpliùs jam non vidébitis; ideóque valéte in pace.

Lectio iij.

TUnc ille ſúpplices óculos cum mánibus ad cœlum élevans, diu tácitam precem fudit, deinde in vocem prorumpens, ait: Nunc dimittis ſervum tuum, Dómine, ſecundùm verbum tuum in pace. Recordáre, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & non intres in judícium cum ſervo tuo, quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et quibuſdam interpóſitis, adjécit: Memento meî, qui ſolus ſine peccáto es, Chriſte Redemptor mundi; & edúcens me de córpore mortis hujus, ſalvum me fac in regnum tuum. Tu ſemper fuiſti protector meus; in manus tuas commendo ſpíritum meum. Scio me non meréri conſpectum tuum: tamen tu ſcis quia ſemper ſpes mea in miſericórdia tua fuit, & nunc quoque ſub profeſſióne nóminis tui ruens extrémum, Chriſte, hálitum fundam. Súſcipe me ergo ſecundùm magnam miſericórdiam tuam, & non confundas me ab expectatióne mea. His dictis, inter verba oratiónis flagitátum à súperis emíſit ſpíritum. ¶ Hâc die recólitur memória Sanctæ Bárbaræ quæ, pro confeſſióne Chriſti, graviſſimis cruciáta ſupplíciis in perſecutióne Július Maximíni, ut tráditur, cápite truncáta eſt, prídiè Nonas Decembris. Ejus memóriam jam indè toto Oriente célebrem, poſt décimum ſéculum impénſiùs veneráta eſt Eccléſia occidentális.

IN LAUD. *Comm. Feriæ, deindè S. Barbaræ, Ant.* Caſta. ℣. Deus. *Oratio,* Deus, qui inter. *p.* lxxv.

In Veſp. Comm. Feriæ.

DIE V.

DE OCTAVA.

Semiduplex.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Homil. 15. *in cap.* 7. *Ep.* 2. *ad Corinth.*

Lectio ij.

DUplex impérii genus eſt. Alterum cujus óperâ hómines & pópulis & úrbibus ímperant, ac civílem hanc vitam moderantur; (id quod Paulus indicábat, cùm díceret: Omnis ánima poteſtátibus ſublimióribus ſúbdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Ac póſteà, quantùm hinc cómmodi caperétur oſtendens, hæc verba ſubjungit: Magiſtrátus Dei miniſter eſt in bonum. Ac rursùs: Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malè agit). Alterum verò eſt impérium, quod in ſe gerit quiſquis mente ac

prudéntiâ prædirus eſt; quod quoque Paulus his verbis declarávit: Quòd ſi vis non timére poteſtátem, bonum fac. Quo loco de eo lóquitur qui ſibi ipſe ímperat.

Lectio iij.

AC verò hîc áliud quoque impérii genus eſt, ac civíli quidem império ſublímius. Quodnam ígitur hoc eſt? Illud nimírum quod in Eccléſia viget; cujus étiam ipsíus mentiónem Paulus facit, cùm ait: Obedíte præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis: ipſi enim pervígilant, tanquàm ratiónem pro animábus veſtris redditúri. Hoc enim impérium tantò civíli excelléntius eſt, quantò cœlum terrâ; imò étiam multò præſtántius. Primum namque non hoc præcípuo ſtúdio ſpectat, ut ſcélera perpetráta víndicet, ſed ut ne omnínò quidem perpetrentur. Deindè ſi perpetráta ſint, non ut ægrotantem de médio tollat; ſed ut ipſa deleantur.

In Laud. *ſit Commem. Feriæ.*

Vesperæ de ſequenti. [*In Cathedrali, ritu Duplici.*]

Commemoratio Octavæ: Deindè Feriæ.

Die VI.

SANCTI NICOLAI, Myrenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

[In Cathedr. *Duplex. Fiet autem eo ritu qui ſequitur.*

Pridie ad Vesp. *ut &* ad Laud. *& ad* II. Vesp. *quinque Antiphonæ de Communi. SS. Pontif. pag.* xxv.

Ad Matutinum. *Tres Nocturni.*

In I. Noct. Antiphona unica, eaque ſumpta de tribus poſitis in Communi pro I. Noct. ſecundùm Feriam; id eſt, prima trium, ſi Feſtum occurrat Feriâ II. vel V. ſecunda trium, ſi occurrat Feriâ III. vel VI. & tertia trium, ſi occurrat Feriâ IV. vel Sabbato (& ſic in II. & III. Nocturno.) ℣℣. *&* ℟℟. *I. Nocturni Lectiones de Script. occurrente.*

In II. Noct. ℣. *&* ℟℟. *II. Noct. Lectiones ut in Proprio (de duabus tres, diviſione factâ ad aſteriſcos).*

In III. Noct. ℣. *&* ℟℟. *III. Noct. Evangel. & tres Lectiones de Homilia ut in Communi. pag.* xxx.

(Et ſic in aliis Duplicibus alicui Eccleſiæ peculiaribus, niſi aliter notetur.)

Ad Laud. *&* ad Vesp. *Fit Commemoratio Octavæ, deindè Feriæ.*]

¶ *Extra Cathedralem ſit ritu Semiduplici, ut ſequitur.*

Omnia de Communi Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ ſequuntur.*

Lectio ij.

NIcoláus, Myræ, quæ Lyciæ Metrópolis eſt, Epíſcopus, pópulis ómnibus véteri & vulgátâ famâ notus eſt. Quanto honóre hábitus ſemper fúerit à Græcis, vel una teſtátur precátio inſerta Litúrgiæ, quæ ſancti Joannis Chryſóſtomi nómine inſcríbitur. Multæ ſub ejus nómine extructæ ſunt Conſtantinópoli Basílicæ. Illíus præſentem opem ſenſiſſe ſe Theodórus, qui Myrenſem ejus ſedem tenébat, in Nicæna ſecunda Synodo conteſtátus eſt: quo ſuo facto aſséruit, & confirmávit coram Pátribus, quam priùs impugnáverat, débitam imagínibus Sanctórum venerатiónem. * Ex Nicolái ſepulcro ſtillábat óleum depellendis váriis morbórum genéribus salúbre: ſícque Deus mirificávit Sanctum ſuum, ut Magni ac Thaumaturgi nomen conſecútus ſit: & ſicùt, Theóphane teſte, nullus eſt locus expers gratiárum ejus, ita nullus omnínò à celebritáte ejus aliénus.

Lectio iij.

SAncti Nicolái corpus Myræ, ubi ſepultum fúerat, diu jácuit, donec Bariénſibus quibuſdam mercatóribus, miraculórum, quæ ibi fieri audíerant, famâ commótis, in mentem venit ſacrum hoc pignus in pátriam aſportáre. * Hi, anno ſalútis milléſimo octogéſimo séptimo, Myram ádeunt, ubi ſancti Nicolái Relíquias, ſacro liquóri ex eis profluenti immerſas in urna repériunt; ex qua eas extrahentes návibus impónunt, ægrè conſentiéntibus tribus Mónachis, quibus ſolis ſacrárum reliquiárum crédita erat cuſtódia; & Bárium Apúliæ in Itália urbem exportant. Mox Bariénſium cívium impenſis, ſub invocatióne ſancti Nicolái magnífica ædificári cœpta eſt Basílica, quam Urbánus ſecundus conſecrávit, & in ea ſacrum cóndidit corpus, quod ibi in hunc uſque diem quieſcit & cólitur.

Oratio.

DEus qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decoraſti miráculis; tríbue, quæſumus, ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónum ſuárum ſalutárem conſequan-

tur effectum; Per Dóminum.

IN LAUD. ſit Commem. Octava, deinde Feria.

VESPERÆ de ſequenti.

Commem. S. Nicolai, poſteà Octava, deniquè Feria.

[*In Cathedr. A Capitul. de ſequenti, & ſit Commemor. S. Nicolai, deindè Octava; deniquè Feria.*]

DIE VII.

In Feſto

SANCTI AMBROSII,

Mediolanenſis Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, pag. xxxiv. *exceptis quæ ſequuntur. Oratio infrà, pag.* 504.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Os prudentis quæritur in Eccléſia; & verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. *Eccli.* 21.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Pſ.* 36.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Sciéntia ſapienter tanquàm inundátio abundábit, & consílium ejus ſicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Beátus vir qui diſpónet ſermónes ſuos in judício, ℟. In æternum non commovébitur. *Pſ.* 111.

Lectio iv.

AMbróſius, patre Ambróſio Galliárum Præfecto in Gálliis natus, liberálibus diſciplínis Romæ excultus, in Auditório præfectúræ prætoriánæ ſummâ cum laude cauſas dixit. Póſteà Ligúriæ & Æmíliæ à Probo præfecto præpóſitus, venit Mediolánum, ubi mórtuo Auxéntio Epíſcopo Ariáno, Cathólici & hærétici de ſucceſſóre deligendo inter ſe diſſidébant. Quare cùm ingreſſus Eccléſiam Ambróſius multa ad ſedandam ſeditiónem præclárè dixiſſet, derepentè púero Ambróſium Epíſcopum proclamante, univerſi pópuli vox erúpit Ambróſium Epíſcopum depoſcentis. Recuſante illo, & tantum onus váriis ártibus atque étiam fugâ declinante, ardens pópuli ſtúdium ad Valentiniánum imperatórem delátum eſt; cui gratíſſimum fuit à ſe delectos júdices ad Sacerdótium poſtulári. Probo étiam id jucundum fuit, qui Ambróſio proficiſcenti quaſi vaticinans díxerat: Vade, age non ut judex, ſed ut Epíſcopus. Itaque Ambróſius baptizátus, ſacríſque initiátus, octávo poſt baptiſmum die, qui fuit ſépti-

mus Decembris, Epíſcopus conſecrátus eſt. Tùm prædia ſua, uſufructu Marcellínæ ſorori reſerváto, dedit Ecclésiæ, cétera partitus inter Ecclésiam & paúperes.

Lectio v.

Facilis erat ómnibus ad eum áditus. Litigántium cauſas ſummâ patiéntiâ & æquitáte dirimébat. Quotieſcumque illi áliquis, ob percipiendam pœniténtiam, lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & confiténtem flere compélleret. Convívia quæ ad ſepulcra mártyrum fiébant, abrogávit. Clerum intra frugalitátis límites contínuit; & viduárum múnera accípere, nedùm blandimentis elícere, prohíbuit. Plúrimos Ariános, alióſque hæréticos convertit ad fidem: & clariſſimum in primis Ecclésiæ lumen Auguſtínum Chriſto péperit. Multa paſſus eſt, à Juſtína Valentiniáni junióris matre, quam Ariáni ſedúxerant; eique, ne ullæ iis Basílicæ Mediolánitra derentur fórtiter óbſtitit. Hâc occaſióne inſtitútũ eſt, ut Antiphónæ, Pſálmi & Hymni, juxta morem Orientálium canerentur; quò pia plebs éxcubans in Ecclésia, & cum Epiſcopo mori paráta, mœróris tædio non contabéſceret. Tunc étiam Ambróſio divínitùs indicátum eſt quo loco Mártyrum Gerváſii & Protáſii córpora delitéſcerent.

Lectio vj.

Egit apud Valentiniánum juniórem, ne Symmacho urbis Præfecto aram Victóriæ inſtaurandi fáceret poteſtátem. Ab eódem Valentiniáno miſſus ad Máximum interfectórem Gratiáni, nullum communiónis cum Máximo consórtium habére vóluit. Theodóſium Imperatórem propter cædem Theſſalonícæ factam ingreſſu Ecclésiæ prohíbuit. Cui, cùm ille obténderet David quoque regem adúlterum & homicídam fuiſſe, reſpondit Ambróſius: Qui ſecútus es errantem, ſéquere pœnitentem. Quare Theodóſius ſibi ab eo impóſitam públicam pœniténtiam humíliter egit; quod priváti erubeſcébant, non erúbuit Imperátor. Máximis pro Ecclésia labóribus curíſque perfunctus, multis étiam libris egrégiè conſcriptis, morbo correptus eſt. Ei Honorátus Vercellenſis Epiſcopus corpus Dómini óbtulit; quo accepto, ſtatim emíſit ſpíritum, quartâ die Aprílis, in pervigilio Paſchæ, anno Chriſti trecentéſimo nonagéſi-

mo séptimo, Epiſcopátûs autem vigéſimo tértio.

IN III. NOCTURNO.

. *Ant.* 7. d. Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea, & efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

℣. Os meum loquétur ſapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Pſ.* 48.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ; quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſit. in Pſ. 118. *Serm.* 54. §. 7.

LUceat tibi ſemper lucerna, verbum Dei: lúceat & lucerna córporis tui, óculus tuus. Conſciéntia tua lucens benè in hoc córpore lucernæ lux eſt; quia ipſa eſt óculus tuus. Sit purus óculus tuus. Si conſciéntia tua munda ſit, munda eſt caro tua: ſi autem tenebróſa eſt conſciéntia tua, étiam corpus tuum conſciéntiæ tuæ nocte tenebróſum eſt. Lucernæ ergo & nos ſumus toto operti córpore, vix áliquid exíguum habentes. unde lucére poſsímus.

Lectio viij. §. 11.

SIt fides tibi itíneris tui prævia: ſit tibi iter Scriptúra divína. Bonus eſt cœleſtis ductus elóquii. Ex hac lucerna accende & tu lucernam; ut lúceat intérior óculus tuus, qui lucerna eſt tui córporis. Multas habes lucernas, accende omnes; quia dictum eſt tibi: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ veſtræ ardentes. Quia multæ ſunt ténebræ, multæ ſunt lucernæ neceſsáriæ; ut meritórum noſtrórum in tantis ténebris lumen elúceat.

Lectio ix. §. 12.

LUceat ergo ſemper lucerna tua. Arguit Chriſtus étiam eos qui utuntur lucernâ, ſi non ſemper utantur, dicens: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Non ad horam exultémus in lúmine. Ad horam exultat, qui audit verbum in Eccléſia, & gaudet: egreſſus autem oblivíſcitur quod audívit, & négligit. Iſte eſt qui ſine lucerna in domo ſua ámbulat: ideóque in ténebris ámbulat, qui ópera tenebrárum facit, in comeſſatiónibus & ebrietátibus, in cubílibus & impudicítiis, in contentiónibus & æmulatiónibus, indútus veſtimenta diáboli, non

Chriſtum. Hæc fiunt quando verbi lucerna non lucet.

Oratio.

DEus, qui beátum Ambróſium Pontíficem, Cathólicæ fídei propugnatórem efficere dignátus es; præſta, quæſumus, ut, ipſo pro nobis intercedente, mereámur errórum vitáre diſcrímina, & de veritáte numquam erubéſcere; Per.

In Laudibus *ſit Commemoratio Octavæ, deindè Feria.*

Vesp. de Feſto ſequenti.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. VIRGINIS.

Duplex II. Claſſis.

In Primis Vesperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni*. g.

A Mulíere inítium factum eſt peccáti, & per illam omnes mórimur. *Eccli.* 25.

Ant. 6. F. Dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit: Serpens decépit me. *Gen.* 3.

Ant. 3. a. Ait Dóminus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus. *Gen.* 3.

Ant. 1. D. Ipſa cónteret caput tuum, & tu inſidiáberis calcáneo ejus. *Gen.* 3.

Ant. 2. D. Dómine, erit hoc memoriále nóminis tui, cùm manus féminæ dejécerit eum. *Judith.* 9.

Capitulum. Sophon. 3.

LÆtáre & exulta in omni corde, Fília Jeruſalem: ábſtulit Dóminus judícium túum: avertit inimícos tuos. Rex Iſrael Dóminus in médio tuî.

℟. Ecce draco magnus ſtetit ante mulíerem quæ erat paritúra Fílium qui recturus erat omnes gentes; * Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui ſedúcit univerſum orbem. ℣. Per manum féminæ percuſſit illum Dóminus Deus noſter. * Et projectus eſt. Glória. * Et projectus eſt. *Apoc.* 12. *Judith.* 13.

Hymnus.

Hymnus.

HUc adſint hílares Alígerûm chori :
Plauſu turba fremens ócyùs ádvolet,
Concordéſque ſimul læta ferens ſonos,
Laudet cármine Vírginem.

Monstrum colla tumens hórrida síbilis
Intentánſque truces lumínibus minas,
Omnes peſtífero pólluit hálitu,
Virus lethíferum vomens.

Hærens indè tenax viſcéribus malum
Fœdam progéniem cum pátribus necat :
Quæ monſtrum nova vis fórtior ópprimet,
Infandum caput átterens ?

Unam tanta manet glória Vírginem :
Victrix illa premit colla ferócia,
Exultánſque ſuper terga terit pede :
Nec jam dira nocet lues.

Patri máxima laus; máxima Fílio :
Sit par, alme, tibi glória, Spíritus,
Sponſam munéribus qui décoras tuis,
Ut ſit digna Deo parens.
Amen.

℣. Super áſpidem & baſiliſcum ambulábis, ℟. Et conculcábis leónem & dracónem. *Pſ.* 90.

Ad Magníf. *Ant.* 1. *A. Pars Hiemalis.* Noli metúere : non moriéris; non enim pro te, ſed pro ómnibus hæc lex conſtitúta eſt. *Eſth.* 15.

Oratio, infrà ad Laudes.

Pro Commem. S. Ambroſii, Ant. Qui docti fúerint. ℣. Ignitum. *p.* xlij. *Oratio, ut ſuprà pag.* 504.

Deindè de die Octava S. Eligii, ut in I. Veſperis; deniquè de Feria.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

Hymn. Virgo, Dei Génitrix, *pag.* xciv.

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum, cui præparátur habitátio, * Veníte, adorémus. *I. Paral.* 29.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

HYmnis alta ſacris templa reſultent :
Veſtros, ô Súperi, júngite cantus :
Cœli dives adeſt múnere Virgo,
Extolli módulis digna ſupernis.

Vix concepta novi fœderis arca,
Antíquo mélius manna recondit :
Lex perfecta latet corde ſub imo,
Æterni dígito ſcripta Tonantis.

Quo formátur opus grande, ſuprémo
Patri divus Amor cónſecrat hoſpes :

Mentem luce ſuâ Filius ornat;
Et cor innócuum grátia complet.
Tu mox quanta Deo dona rependes!
Natum concípies Sponſa Parentis;
Verbi mater eris, péctore templum
Quæ jam Spirítui, Virgo, miniſtras.
Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Nato:
Compar Spirítui glória ſancto;
Quos in corde foves Vírginis æſtus,
Noſtris, alme Deus, córdibus affla. Amen.

Pſalmi de Officio parvo, pag. cj.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. d. Hæc eſt domus Dei: talis eſſe debet ut in cunctis regiónibus nominétur. *I. Paral.* 22.

Ant. 3. c. Opus grande eſt: neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo. *I. Paral.* 29.

Ant. 2. D. Glória Dómini implévit tabernáculum teſtimónii. *Exod.* 40.

℣. Hæc réquies mea in ſéculum ſéculi; ℟. Hîc habitábo quóniam elégi eam. *Pſ.* 131.

Lection. de Script. occurr.

℟. *j.* Veníte ad ſanctuárium Dómini, * Quod ſanctificávit in ætérnum. ℣. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus. * Quod. *II. Paral.* 30. *Apoc.* 21.

℟. *ij.* Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus. * Deus in médio ejus: non commovébitur. ℣. Implétum eſt à majeſtáte Dei, & de virtúte ejus. * Deus. *Pſ.* 45. *Apoc.* 15.

℟. *iij.* Elégit Dóminus eam, * Elégit eam in habitatiónem ſibi. ℣. Creſcit in templum ſanctum in Dómino, in habitáculum Dei in Spíritu. * Elégit. Glória. * Elégit. *Pſ.* 131. *Epheſ.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Benedicta es tu, Fília, à Dómino Deo excelſo præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith.* 13.

Ant. 8. G. Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Iſ.* 44.

Ant. 7. G. Deus oſtendet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Baruch.* 5.

℣. Concupiſcet Rex decórem tuum, ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

De natura & gratia, C. 36.

Lectio iv.

CUm de peccátis ágitur, de ſancta Vírgine María, propter honórem Dó-

mini, nullam prorsùs habére volo quæſtiónem; indè enim ſcimus, quòd ei plus grátiæ collátum fúerit, ad vincendum omni ex parte peccátum, quòd concípere, ac párere méruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccátum. Hâc ergo Virgine exceptâ, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas, qui in Scriptúris ſanctis, non modò non peccaſſe, verùm étiam juſtè vixiſſe referuntur cùm hîc víverent, congregáre poſsémus: & interrogáre utrùm eſſent ſine peccáto, quid fuiſſe reſponsúros putámus? Quantálibet fúerit in hoc córpore excelléntia ſanctitátis, ſi hoc interrogári potuiſſent, unâ voce clamaſſent illud, quod ait Joannes Apóſtolus: Si dixérimus quia peccátum non habémus, nosipſos ſedúcimus, & véritas in nobis non eſt.

℟. *iv.* Quàm pulchri ſunt greſſus tui, Fília Príncipis! *Quàm pulchra es! & quàm decóra! caríſſima in delíciis. ℣. Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum. * Quàm. *Cant.* 7. *Luc.* 1.

Sermo ſancti Anſelmi Epíſcopi.

Libro de Conceptu Virginali & Peccato Originali.

Lectio v.

QUamvis de mundíſſima Vírgine Fílius Dei veríſſimè conceptus ſit, non tamen hoc eâ neceſſitáte factum eſt, quaſi de peccatríce parente, juſta proles rationabíliter generári per hujúſmodi propagatiónem nequíret: ſed quia decébat ut illíus hóminis concéptio de matre puríſſima fieret. Nempè decens erat, ut eâ puritáte quâ major ſub Deo nequit intélligi, Virgo illa nitéret, cui Deus Pater únicum Fílium ſuum, quem de corde ſuo æquálem ſibi génitum, tanquàm ſeipſum diligébat, ita dare diſponébat, ut naturáliter eſſet unus idémque commúnis Dei Patris & Vírginis Fílius: & quam ipſe Fílius ſubſtantiáliter fácere ſibi Matrem eligébat, & de qua Spíritus ſanctus volébat, & operatúrus erat, ut conciperétur & naſcerétur ille de quo procedébat.

℟. *v.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini, quia * Complácuit Dómino in te: & gaudébit ſuper te Deus tuus. ℣. Inveniſti grátiam apud Deum. * Complácuit. *Iſ.* 62. *Luc.* 1.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio vj.

Serm. 10. *in Nat. Dom.*

ELectæ Vírgini de sémine Abrahæ ac de radíce Jeſſe per prophéticas voces & per myſtica ſigna

promiſſæ, denuntiátur ab Archángelo, ſine damno pudóris beáta fœcúnditas, ſacram virginitátem nec conceptu violatúra nec partu. Superveniente quippe Spíritu ſancto, & Altíſſimi obumbrante virtúte, incommutábile Dei Verbum de incontamináto córpore hábitum ſibi humánæ carnis aſſumpſit, quæ & nullum contágium de concupiſcéntia carnis tráheret, & nihil eórum quæ ad ánimæ corporíſque natúram pértinent, non habéret.

℟. vj. Benedixit te Dóminus in virtúte ſua, quia* Per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. ℣. Fecit poténtiam in bráchio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. * Per te. Glória. * Per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. *Judith* 13. *Luc.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. c. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi qui páſcitur inter lília. *Cant.* 6.

Ant. 5. a. Fructificávi ſuavitátem odóris: & flores mei fructus honóris & honeſtátis. *Eccli.* 24.

Ant. 4. E. Dóminus interfécit in manu mea hoſtem pópuli ſui. *Judith.* 13.

℣. Adjuvábit eam Deus, ℟. Mane dilúculo. *Pſ.* 45.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIber generatiónis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham génuit Iſaac: Iſaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Homil. 2. *in Matth.* §. 2.

ADmodùm ſtupendum eſt audíre Deum ineffábilem, inenarrábilem, incomprehensíbilem, Patri æquálem, ex mulíere naſci dignátum eſſe, avóſque habére Davídem & Abrahámum. Et quid dico Davídem, & Abrahámum? étiam mulíeres adúlteras, Thamar & uxórem Uríæ. Hæc cùm audis, ánimum érige, nec quidquam vile ſuſpicéris.

℟. vij. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me veſtiméntis ſalútis, & indumento juſtítiæ circúmdedit me. ℣. Exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. * Quia. *Iſ.* 61. *Luc.* 1.

Lectio viij.

ILlud máximè miráre, quòd Fílius, & genuínus Dei ſine princípio exiſténtis, ſe fílium Davídis audíre paſſus ſit, ut te fáceret Dei fílium: paſſus eſt ſe patrem habére ſervum: ut

tibi ſervo patrem fáceret Dóminum. Vides ſtatìm à princípio quænam ſint Evangélia? Quòd ſi de tuis dúbitas, ab iis quæ ad ipſum ſpectant, hæc ut credas, inducáris. Longè enim difficílius eſt, quantùm ad humánum intelléctum pértinet, Deum hóminem fieri, quàm hóminem Dei fílium eſſe.

℟. *viij.* Beátam me dicent omnes generatiónes; quia * Fecit mihi magna qui potens eſt. ℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. * Fecit. Glória. * Fecit. *Luc.* 1. *Pſ.* 65.

Lectio ix.

CUm ígitur audis Fílium Dei fílium eſſe Davídis & Abrahæ, dubitáre jam déſine, te fílium Adæ fílium Dei futúrum eſſe. Neque enim fruſtrà & incaſsùm ſeipſum ita humiliaſſet, niſi nos exaltatúrus eſſet. Natus eſt enim ſecundùm carnem, ut tu naſceréris ſecundùm ſpíritum: natus eſt ex muliére, ut tu desíneres fílius eſſe mulíeris. Ideóque duplex generátio fuit, & quæ ſimilis noſtræ eſſet, & quæ noſtram exuperáret. Etenim ex muliere naſci nobis cómpetit: naſci autem non ex ſánguine, non ex voluntáte viri & carnis, ſed ex Spíritu ſancto, generatiónem nos exuperantem & futúram prænúntiat, quæ ex Spíritu nobis concedenda erat.

Te Deum. *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona 1. *toni*, G.

TOta pulchra es, amíca mea, & mácula non eſt in te. *Cant.* 4.

Ant. 5. a. Tu glória Jerúſalem: tu lætítia Iſrael; tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 15.

Ant. 6. F. Propter angúſtias & tribulatiónem géneris tui, ſubveniſti ruínæ ante conſpectum Dei noſtri. *Judith.* 13.

Ant. 5. a. In omni gente.

Canticum. Judith. 16.

INcípite Dómino in tympanis: * cantáte Dómino in cymbalis.

Moduláminí illi pſalmum novum: * exaltáte, & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella: * Dóminus nomen eſt illi:

Qui póſuit caſtra ſua in médio pópuli ſui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum noſtrórum.

Venit Aſſur ex móntibus ab Aquilóne, * in multitúdine fortitúdinis ſuæ:

Cujus multitúdo obturávit torrentes; * & equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit ſe incenſúrum fines meos, * & júvenes meos occiſúrum gládio,
Infantes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.
Dóminus autem omnípotens nócuit eum: * & trádidit eum in manus féminæ, & confódit eum.
Glória Patri.

Ant. In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael. *Judith.* 13.

Ant. 7. d. Erit tibi Dóminus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Iſ.* 60.

Capitulum. Apoc. 12.

SIgnum magnum appáruit in cœlo múlier amícta Sole, & Luna ſub pédibus ejus: & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

Hymnus.

AFFLICTA quid ploras, Sion?
Depóne cultus lúgubres:
Antíqua ceſſat sérvitus:
Teſtâre plauſu gáudia.

FRUSTRA profundi gúrgitis
Tyrannus intentat minas:
Victus recédet, & gravi
Preſſus caténâ cóncidet.

PRIMIS negáta séculis,
Pax alma terris rédditur:
María lætos dat dies,
Rerúmque mutat órdinem,

QUALEM, María, te canam,
O Virgo! flos ô vírginum?
Hebræa quas tellus tulit,
Tu ſola vincis filias.

VIX dum parentis in ſinû
Jam plena vivébas Deo;
Caſtúmque pectus cœperat
Ardére ſacris ígnibus.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Dignam Deo qui Vírginem
Formans ab ortu præparas.
Amen.

℣. Magna eſt glória ejus,
℟. In Salutári tuo, Dómine. *Pſ.* 20.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Quæ eſt iſta quæ progréditur quaſi auróra conſurgens, pulchra ut Luna: electa ut Sol? *Cant.* 6.

Oratio.

DEus, qui própter honórem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, beátam Vírginem Maríam matrem ejus ab ómni lábe peccáti præſervaſti; quæſumus ut nos ejus Conceptiónem puríſſimam recolentes, ab omni iniquitáte mundos grátiâ tuâ efficere dignéris; Per eumdem Dóminum.

Fit Commemoratio diei Octava S. Eligii; deindè Feria.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Dignam Deo qui Vírginem

Formans ab ortu præparas. Amen.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. G. Tota pulchra es.

In ℟. *br.* Qui natus es de Maria Vírgine. *Matth.* 1.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 5. *in fine Decreti de Peccato Originali.*

DEclárat ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentiónis comprehéndere in decréto, ubi de peccáto originále ágitur, beátam & immaculátam Vírginem Maríam, Dei genitrícem; ſed obſervandas eſſe conſtitutiónes felícis recordatiónis Sixti Papæ quarti, ſub pœnis in eis Conſtitutiónibus contentis, quas ínnovat.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Tu glória.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℟. *br.* Vultum tuum deprecabuntur: * Allelúia, allelúia. ℣. Omnes dívites plebis. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Vultum. *Pſ.* 44.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Pſ.* 86.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Propter angúſtias.

Capitulum. Judith. 13.

BEnedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum.

℟. *br.* Deus præcinxit me virtúte: * Allelúia, allelúia. ℣. Et póſuit immaculátam viam meam. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 17.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluiſti me, Dómine, ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me. *Pſ.* 40.

AD NONAM.

Ant. 7. d. Erit tibi Dóminus.

Capitulum. Baruch. 5.

INdue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi eſt; ſempitérnæ glóriæ: circúmdabit te Deus diplóide juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni.

℟. *br.* In Deo ſalutáre meum: * Allelúia, allelúia. ℣. Et glória mea. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. In Deo. *Pſ.* 61.

℣. Dómine, in voluntáte tua, ℟. Præſtitiſti decóri meo virtútem. *Pſ.* 29.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Officio parvo B. M. pag. cxiv.

Antiphona, 8. *toni g.*

Ecce tu pulchra es, amíca mea: ecce tu pulchra es: óculi tui columbárum. *Cant.* 1.

Ant. 2. D. Sicut lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. *Cant.* 2.

Ant. 1. f. Hortus conclúſus ſoror mea ſponſa: hortus conclúſus, fons ſignátus. *Cant.* 4.

Ant. 5. a. Fons hortórum: púteus aquárum vivéntium quæ fluunt ímpetu de Líbano. *Cant.* 4.

Ant. 6. F. Pulchra es, amíca mea: ſuávis & decóra ſicut Jerúſalem. *Cant.* 6.

Canticum. Geneſ. 22.

Poſſidébit ſemen tuum portas inimicórum ſuórum: & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ.

Hymnus Hùc adſint. *in I. Veſp. pag.* 505.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis; ℟. Proptéreà benedixit te Deus in æternum. *Pſ.* 44.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Quàm pulchra es, amíca mea! Quàm pulchra es! Favus diſtillans lábia tua, ſponſa: mel & lac ſub lingua tua; & odor veſtimentórum tuórum, ſicut odor thuris. *Cant.* 4.

Fit Commemoratio diei Octavæ S. Eligii; deindè Feriæ.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Dominica.

Hymnus, Virgo, Dei Génitrix, *pag.* xciv.

DIE X.

SANCTÆ EULALIÆ, Emeritenſis Virginis, & Martyris,

Commemoratio.

Lectio iij.

Eulália Virgo apud Eméritam tùm Luſitániæ caput, cùm eſſet annórum duódecim, furóri Deciáni præfecti, qui Chriſtiános vel ad idólis ſacrificandum, vel ad necem quærébat, à matre prærepta, aliquámdiù ruri procul ab urbe deliteſcere coacta eſt. Verùm indè noctu fúgiens, per ínvia & vepres carpens iter, Angélico ſtipáta choro, ipsíque lucem præbente, manè urbem ingréditur; ſtatímque ad tribunal progreſſa, ſe Chriſtiánam eſſe declárat; idóla ſe protérere pédibus exclámans, ac deos nihil eſſe. Quibus audítis, accenſus Prætor, cùm nec minis nec blandítiis Euláliam à fide Chriſti deterrére poſſet, jubet eam ſupplíciis óbrui. Tum péctori & utríque Vírginis láteri admótis fácibus, voráces flammas ore párvulo, hauríre viſa eſt, ſpiritúmque ſub ſpécie columbæ læta

ſponſo réddere. Ejus corpus Eméritæ magnâ reſigióne magnóque ſuffragiórum cultu cólitur.

Oratio.

DEus, ſanctæ puritátis amátor, qui beátæ Euláliæ caſtum Virginitátis propóſitum infudiſti : da nobis, quæſumus, ſic ejus agónem glorióſum venerári, ut perpétuis ejuſdem mereámur fovéri præſídiis; Per Dóminum.

[*Ubi eſt Feſtum Patr. Lect. iv.* Eulália. *Lect. v. & vj. de Communi* Quoniam.... Hæc nubes. *pag.* lxxviij. *Et ſic ubi Lect. unica non poteſt commodè dividi*].

Die XI.

In Feſto S.S. FUSCIANI, Victorici & Gentiani, Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum. p. xvij.

Lectio ij.

FUſciánus & Victorícus unà cum Dionyſio, Quintíno aliíſque octo sóciis Româ profecti, uſque ad Morínos pervenérunt, verbi divíni prædicandi grátiâ. Multis ibi ad Chriſti fidem adductis, profecti Lutétiam per Ambiános limites iter habuérunt, Quintínum, cui illa província obtígerat, invisúri, ut inter ſe de géntium converſióne gaudérent. His óbvius fuit ſenex, Gentiánus nómine, nondùm baptizátus, ſed jam tríduo ad amplectendam fidem à Deo impulſus. Hos ille edoctos Quintínum pro Chriſto mortem ſubiiſſe, hoſpítio ſuſcépit. Quod ubi reſcívit Ríctius Varus præfectus Fuſciánum & Victorícum vínculis onerátos Ambiánum dedúci juſſit & cárcere inclúdi; Gentiánum verò hóſpitum ſalútis cúpidum, & juſſis obſiſtentem cápite plecti.

Lectio iij.

HI Ambiánum pergentes, cùm ab eo loco, ubi comprehenſi fúerant, uno ferè milliário diſceſſiſſent : Chriſtum precáti, eúmque voce intrépidâ confitentes & idóla deteſtantes, váriis affecti ſunt ſuppliciis. Adactæ ſunt in nares & aures eórum tarinchæ ſeu ſudes férreæ, transfixa clavis candéntibus cápita, avulſi óculi, córpora jáculis confoſſa. Quibus tormentis cùm Mártyrum conſtántia nihil minuerétur, eórum tandem cápita Ríctius Varus præcépit amputári : Sanctórum autem córpora unà cum Gentiáno hóſpite ſepulta ſunt. Exeunte ſéculo nono, Otgérius Epíſcopus Ambianenſis, pro ſua in ſancti Quintíni Eccléſiam, cujus olim Canó-

nicus fuerat, pietáte; ſemótum à sóciis beáti Victoríci corpus cum quibuſdam ſanctórum Fuſciáni & Gentiáni Relíquiis Auguſtam Viromanduórum tranſmíſit.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui glorióſos Mártyres Fuſciánum, Victorícum atque Gentiánum fortes in ſua confeſſióne cognóvimus, pios apud te in ſua pro nobis interceſſióne ſentiámus; Per Dóminum.

Commemoratio de Adventu.

In Vesp. fit Comm. Feriæ, deindè S. Valarici Abbatis. Ant. Egrédere. ℣. Potens, *ut in Communi SS. Abbatum, pag.* lij. *Oratio* Da nobis, *in eodem Communi, pag.* lviij.

DIE XII.

SANCTI VALARICI, Abbatis,

Commemoratio.

Lectio iij.

VAlarícus, Arvernus, ténui génere natus, ſed nobilíſſimus fide, jam à prima puerítia, cùm oves páſceret, prima litterárum elementa edoctus eſt, & brevi totum Pſaltérium aſſíduâ meditatióne aſſecútus. Frequens erat in Eccléſia, ubi pſalléntium choro immíxtus ſuaviſſimâ cordis compunctióne afficiebátur. Adoleſcens fugit in monaſtérium, ubi cujuſdam avúnculi ſui veſtígia ſequens, & virtútibus excellens, Cléricus eſt factus. Egreſſus è pátria venit Autiſſiodórum in monaſtérium beáti Antíſtitis Aunachárii, deindè Luxóvium pétiit, ubi novum mónaſtérium inſtitúerat ſanctus Columbánus, cui fuit carus in primis & probátus. Ejectis indè mónachis, Columbánus Itáliam petens, relíquit ſanctos Valarícum & Euſtáſium, qui Luxovienſe monaſtérium reſtaurârunt. Sed Valarícus zelo divínæ glóriæ accenſus, factâ à Columbáno licéntiâ prædicandi inter gentes, venit cum Waldoléno sócio in Neúſtriam ad Clotárium Regem qui eis dedit locum quemdam juxta mare, qui antíquo nómine Leuconáüs dicebátur: ubi de licéntia beáti Berhundi Ambianenſis Epíſcopi, jecit monaſtérii fundamenta. Ibi Valarícus cellâ recluſus, mirâ ſanctitátis & miraculórum famâ cláruit & ſepultus eſt.

Ad Laud. Pro Comm. S. Valarici. Ant. Ecce ego. ℣. Veníte. *Oratio*, Da, nobis, *ut in Communi SS. Abbatum, p.* lviij.

[*In Cathedr. Veſpera de ſequenti. Commemorat. Feriæ.*]

¶ *Extra Cathedr. Veſpera de Feria. Commem. ſequentis per Ant.* Infirma. ℣. Hærédiras. *pag.* lxix. *Oratio ut infrà.*

Die XIII.

SANCTÆ LUCIÆ, Virginis & Martyris,

Commemoratio.

[In Cathedr. *Duplex. Omnia de Communi Virg. pag.* lxviij.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Noct. Lectiones de unica tres, diviſione factâ ad aſteriſcos.

In III. Noct. Homil. & Lect. de Communi, pag. lxxiij.

Ad Laudes, Commem. Feriæ.]

Ex libro ſancti Adelmi, Epíſcopi, de láudibus ſanctæ Virginitátis.

Cap. 23. Lectio iij.

SIcut Catanenſe municípium præ céteris Trinácriæ úrbibus, Agathæ martyrio felíciter coronátur; ita famosíſſimæ Chriſti tirúnculæ Lúciæ prærogativâ, Syracúſæ, óppidum Siciliæ, próſperis ſuccéſſibus ſublimantur. Quæ genitrícem prolixâ valetúdine fatigátam, & méritis Agathæ à rivo cruóris curátam, cùm alternátìm confabularentur, hujuſcémodi précibus interpellans: Per ipſam, inquit, te déprecor, quæ te ſervávit, ne tu mihi ſponſum nómines, nec de mea poſteritáte fructum immortalitátis inquíras; ſed ómnia quæ mihi eunti ad corruptiónis meæ auctórem hóminem moritúrum eras datúra, da mihi eunti ad integritátis meæ auctórem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. * Matre ígitur conſentiente, fit rerum repentína diſtráctio, arcárum ciſtellæ reſerantur, mancórum marsúpia replentur, ſponsália erogantur crepúndia, & cœli comparantur triclínia; ac dum carnále diſſipátur patrimónium, ſpirituále exercétur matrimónium. Verùm pro hujúſmodi negótio ſponſus iracúndiæ fácibus inflammátur. Paſcháſius Conſul, tribunítiâ poteſtáte fretus, facti angóre afficitur, eò quòd Chriſti tyrúncula, nec ſermónum ſeveritáte caſtigáta, nec lenónum falláci lenocínio trádita à rígido virginitátis propóſito pénitùs inflecti valuit. ** Quamvìs reſtibus conſtrictam, ad deteſtábile proſtíbulum & inviſum lupánar ſcortórum trúdere niterentur Sanctam; ſed ab omni magórum má-

chinâ illæſam, & arúſpicum ſuperſtitióne incontaminátam Chriſti tutéla protexit. Poſtrémò furibundus Conſul flammívomis aſſandam tórribus trádidit; ita ut atræ picis & resínæ fomentum cum ſcintillante óleo, rogórum incéndia cumulárent. Sed hæc divínæ poteſtátis ímbribus ſopíta, dicto cítiùs tabuérunt. Igitur beáta Lúcia, ſalvo pudóris ſignáculo, & conſummáto vitæ currículo, glorióſum Martyrii triumphum méruit; dum mucróne confoſſa, máluit purpúreum sánguinem fúndere, quàm pretióſam pudicítiam pérdere.

Pro Comm. S. Luciæ, Ant. Caſta. ℣. Deus. *pag.* lxxv.

Oratio.

INtercéſſio nos, quæſumus, Dómine, Sanctæ Lúciæ Mártyris tuæ votíva confóveat; ut ejus ſacra natalítia & temporáliter frequentémus, & conſpiciámus ætérna: Per.

[*In Cathedr. Veſpera à Capitulo de ſequenti. Commem. ſanctæ Luciæ; deindè Feriæ.*]

¶ *Extra Cathedralem Veſpera de Feria. Commem. SS. Nicaſii & Sociorum Martyr. Antiph.* Cùm vos óderint. ℣. Multæ. *p.* xviij. & xvij. *Orat.* Deus, fidéum. *infrà.*

D I E XIV.

SS. NICASII, Remenſis Epiſcopi, & ſociorum Martyrum,

Commemoratio.

[IN CATHEDR. *Duplex. Omnia de Communi plurium Martyr. pag.* xvij. *Oratio infrà.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. iv. ut ſequitur. v. & vj. Quóniam.... Novérunt. *in Communi, p.* xix. & xx.

IN III. NOCTURNO.

Homil. & Lect. pag. xxj.

AD LAUDES. *Commem. Feriæ.*]

Lectio iij.

NIcáſius Sevéro in ſede Remenſi eo témpore ſuffectus eſt, quo Vándali cum áliis ferócibus pópulis è pátrio ſolo várias in regiónes effúſi, ferro & igne cuncta depopulabantur. Hi, devaſtátâ Germániâ, progreſſi in Belgas, Remórum urbem præſidio tunc deſtitútam, obſidióne einxérunt, captámque diripuérunt. Ingreſſis occurrit Nicáſius ad limen Baſilicæ ſanctæ Maríæ: ibíque poſt oblátam pro gregis ſalúte vitam, in oratióne proſtrátus, gládio percuſſus eſt, hunc Pſalmi versículum récitans: Adhæſit pavimento ánima mea; vivífica me ſe-

mundùm verbum tuum. Addidit ſe fratri certáminis & corónæ sóciam Eutrópia Virgo. Horum córpora in cœmetério ſancti Agrícolæ ſepulta ſunt, ubi Nicáſii nómine inſignis conſtructa eſt Basílica. Fuérunt & álii qui cum illo glorióſam pro Chriſto mortem oppetiérunt.

In Laudibus, *Ant.* Beáti. ℣. Salus. *pag.* xxiij.

Oratio.

Deus, fidélium inſuperábilis fortitúdo, qui inter mundánæ converſatiónis adverſa, Sanctórum tuórum nos glorificatióne conſoláris; fortem illam quæ in beátis Martyribus Nicáſio & sóciis ejus flagrávit dilectiónem, benignus in nobis aſpíra; Per.

[In Cathedr. *Veſp. de SS. Martyrib. Comm. Feriæ.*]

Die XXI.

In Feſto SANCTI THOMÆ, Apoſtoli.

Duplex III. Claſſis.

Omnia de Communi Apoſtolorum pag. j. *exceptis quæ ſequuntur.*

In primis Veſperis.

Poſt Hymnum, ℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur. *Pſ.* 21.

Ad Magnif. Ant. 8. G. Dixit Thomas, qui dícitur Dídymus, ad condiſcípulos: Eámus & nos, ut moriámur cum Jeſu. *Joann.* 11.

Oratio. Da nobis. *infrà, pag.* 520.

Fit Commem. Feriæ per Antiph. O.

IN I. NOCTURNO.

Lection. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. iv.

Thomas, qui & Dídymus, id eſt, gemellus, unus fuit è duódecim quos Chriſtus è diſcípulis ſuis elégit, & Apóſtolos nominávit. Cùm Chriſtus Lázarum ſuſcitatúrus pérgeret in Judæam, ubi lapidáre eum Judæi nuper volúerant, dixit Thomas ad condiſcípulos: Eámus & nos, ut moriámur cum eo. Quâ nocte Chriſtus Euchariſtiam inſtítuit, cùm dixiſſet diſcípulis ſuis: Vado paráre vobis locum: & quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis, reſpondit Thomas: Dómine, neſcímus quò vadis; & quómodò póſſumus viam ſcire? Qui ſtatim his à Dómino verbis edoctus eſt: Ego ſum via, & véritas & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me. Octávo poſt reſurrectiónem die vidit Dóminum in médio diſcipulórum; & qui priùs céteris Apóſtolis eum reſur-

rexiſſe & viſum à ſe fuiſſe narrántibus non credíderat, præſentem intúitus exclamávit: Dóminus meus, & Deus meus. Erat étiam cum Petro, Nathanaéle, & fíliis Zebedæi & áliis diſcípulis duóbus, cùm manifeſtávit ſe íterùm Jeſus ad mare Tiberíadis.

Lectio v.

EVangélium annuntiávit apud Parthos, qui tùm Médiam, Pérſidem & regiónes álias plures occupábant. Apud Indos occíſum eſſe ab incrédulis & iníquis, cùm regnum Dei & juſtítiam prædicáret, ſcribunt ſanctus Gaudéntius & pleríque véteres. Diffúſam undequáque ejus fidem ac famam, his verbis ad ejus túmulum prædicábat, ineunte quinto ſéculo, auctor quidam in ſermóne qui habétur inter divi Chryſóſtomi ópera: Bárbari Thomam honóre afficiunt; omnes gentes Feſtum hódie célebrant, ejúſque dictum Dómino tanquàm donum ófferunt: Dóminus meus, & Deus meus. Calamínæ ſeu in illo Indiæ loco, in quo corpus ejus primùm cónditum fuit, extructum eſt monaſtérium & templum miræ magnitúdinis, in quo Deus multis miráculis Apóſtoli ſui glóriam declarávit.

Lectio vj.

INdè tamen Edeſſam in Meſopotámia tranſlátæ longè ante fúerant ſancti Apóſtoli relíquiæ, quarum partículas áliquas Fundána, & Mediolánenſis Eccléſia, teſte ſancto Paulíno, & Brixiána Baſílica, teſte ſancto Gaudéntio, ſub ſéculi quarti finem aſſervábant. Eódem ſéculo, ádeò célebris erat quæ ſub nómine ſancti Thomæ dicáta Edeſſæ fúerat Baſílica inſignis, ut in ea, propter loci ſanctitátem, Collectæ ſine intermiſſióne celebrarentur. Ejus ſpectandæ causâ Valens imperátor Ariánus Edeſſam profectus, fruſtrà edixit ne pulſi ab Eccléſiis Cathólici in eam Baſílicam aut in campum juxta civitátem convenírent. Convenérunt enim, ut narrant Sócrates & Sozómenus, póſterâ die, univerſi, & eò miſſus cum ingenti mílitum número Modeſtus præfectus, cunctos invénit paratos ad mortem pro fide ſubeundam.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jeſus: dixérunt ergo ei álii

diſcípuli, Vídimus Dóminum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 26. in Evang.

QUid, fratres cariſſimi; quid inter hæc animadvértitis? Nunquid caſu geſtum créditis, ut electus ille diſcípulus tunc deeſſet, pòſt autem véniens audíret, aúdiens dubitáret, dúbitans palpáret, palpans créderet? Non hoc caſu, ſed divínâ diſpenſatióne geſtum eſt. Egit namque miro modo ſuperna cleméntia, ut diſcípulus ille dúbitans, dum in magiſtro ſuo vúlnera palpáret carnis, in nobis vúlnera ſanáret infidelitátis. Plus enim nobis Thomæ infidélitas ad fidem, quàm fides credéntium diſcipulórum prófuit: quia dum ille ad fidem palpando redúcitur, noſtra mens, omni dubitatióne poſtpóſitâ, in fide ſolidátur.

Lectio viij. §. 8.

PAlpávit, & exclamávit: Dóminus meus, & Deus meus. Dicit ei Jeſus: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti. Cùm Paulus Apóſtolus dicat: Eſt autem fides ſperandárum ſubſtántia rerum, argumentum non apparéntium: profectò liquet, quia fides illárum rerum argumentum eſt, quæ apparére non poſſunt. Quæ étenim appárent, jam fidem non habent, ſed agnitiónem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpávit, cur ei dícitur: Quia vidiſti me, credidiſti? Sed áliud vidit, áliud crédidit. A mortáli quippe hómine divínitas vidéri non pótuit.

Lectio ix. §. 8. & 9.

HOminem ergo vidit, & Deum confeſſus eſt dicens: Dóminus meus, & Deus meus. Videndo ergo crédidit, qui conſiderando verum hóminem, hunc Deum eſſe quem vidére non póterat, exclamávit. Lætíficat valdè quod ſéquitur: Beáti qui non vidérunt, & credidérunt. In qua nimírùm ſenténtiâ nos ſpeciáliter ſignáti ſumus, qui eum quem carne non vídimus, mente retinémus. Nos ſignáti ſumus: ſed ſi fidem noſtram opéribus ſéquimur. Ille étenim verè credit, qui exercet operando quod credit.

Ad Laud. poſt Hymnum,

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95.

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Dicit Thomæ Jeſus: Ego ſum via, & véritas & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me. *Joann.* 14.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, beáti Apóſtoli tui Thomæ feſtivitáte gloriári; ut ejus ſemper & patrocíniis ſublevémur & fidem cóngruâ devotióne ſectémur; Per Dóminum noſtrum.

Fit Commem. Feriæ.

Ad Vesp. *Poſt Hymn.* ℣. Nimis honoficricáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ.* 138.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incrédulus, ſed fidélis. Reſpondit Thomas, & dixit: Dóminus meus, & Deus meus. *Joann.* 20.

Fit Commem. Feriæ per Antiph. O.

¶ *Officia Feſtorum, quæ deinceps ſequuntur in Calendario uſque ad diem* 14. *Januarii, habentur in Proprio de Tempore.*

FESTA JANUARII.

Die XIV.
In Feſto
SANCTI HILARII,
Pictavenſis Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Duplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, p. xxxiv. *exceptis quæ ſequuntur.*

IN I. NOCTURNO.

Lection. de Script. occurr.

Ant. 1. g. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtítui te ut evellas, & déſtruas, & diſperdas, & ædífices, & plantes. *Jerem.* 1.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam; ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Pſ.* 36.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Dabo te, dicit Dóminus, in murum æreum, fortem, & bellábunt adversùm te, & non prævalébunt. *Jerem.* 15.

℣. Beátus vir qui diſpónet ſermónes ſuos in judício; ℟. In ætérnum non commovébitur. *Pſ.* 111.

Lectio iv.

HIlárius, Pictávis in Gállia Aquitánica nóbili génere natus, ætáte jam provectâ, in Cathólica ſanctiſſimæ & conſubſtantiális Trinitátis fide renátus, hanc ita dídicit, ita exindè ténuit, ut áliter crédere ſe nec poſſe nec velle conſtanter aſſéreret. Is étiam láicus à Cathólicæ Religió-

nis hóſtibus abhórruit. Electus Pictavórum Epíſcopus, quo témpore terróribus, bonórum ſpoliatióne & omni crudelitáte Conſtántius Cathólicos vexábat, niſi ad Ariánas partes transírent, Hilárius tanquàm firmíſſimum murum Ariánis ſe fórtiter oppóſuit, & à Saturníni Arelatenſis, Ursátii & Valentis communióne ſe, unà cum Gallicánis Epíſcopis, ſejunxit. Ejuſdem Saturníni ártibus è Biterrenſi conventículo in Phrygiam relegátus eſt; ubi duódecim de Trinitáte libros edidit.

Lectio v.

QUarto exílii anno, ad Seleuciæ Concílium cum Orientálibus Epíſcopis advocátus, ibíque interrogátus, quæ eſſet Gallórum fides, expóſitâ fide ſuâ, juxta ea quæ à pátribus Nicææ conſcripta fúerant, Occidentálibus perhíbuit teſtimónium, illóſque à Sabelliánæ hæréſeos criminatióne exémit. Legátos à Seleuciæ Concílio Conſtantinópolim ſecútus, ibi Occidentáles fallácibus Ariánórum fórmulis deceptos, Orientáles eorumdem ſcélere victos advertit: in tanto fidei diſcrímine popoſcit imperatóris audiéntiam, ut coram ipſo de fide cum adverſáriis diſceptáret. Verùm Ariánis id maximópere abnuéntibus, Conſtántio libellum edit, quo eórum impietátem, nimiámque Imperatóris ipsórum fraúdibus crudelitátem ácriùs perſtringens, príncipem enixè rogat ut nutantis fidei integritátem reſtítuat. Sed Arianórum factiónibus effectum eſt ut, quaſi diſcórdiæ fomes & perturbátor Orientis, redíre juberétur in Gállias. Tunc Hilárium è prælio hæreticórum revertentem, inquit Hierónymus, Galliárum Eccléſia complexa eſt.

Lectio vj.

PIctávos reverſus, frequéntibus intra Gállias Concíliis, & per Epíſtolas egit ut, detectâ Synodi Ariminenſis fraude, ea quæ ibi geſta fúerant, Epíſcopi condemnárent, & Galliæ ab hæréſeos perículo liberarentur. In Itália & in Illyrico inſtaurandis Eccléſiis, & fidei patrum reparandæ, cum ſancto Euſébio Vercellenſi allaborávit. Medioláni Auxéntium Epíſcopum Ariánum in pública diſputatióne coégit ut Chriſtum verum Deum profiterétur. Demùm innúmeris ad Cathólicam fidem tuendam labóribus perfunctus, multíſque éditis miráculis conſpícuus, óbiit Pictávis circa annum trecen-

téſimum ſexagéſimum octávum. Quos ſcripſit libros, inoffenſo poſſe pede decurri, auctor eſt ſanctus Hierónymus: qui & teſtátur tantum virum, tempóribus ſuis diſertíſſimum, & confeſſiónis ſuæ mérito, & vitæ indúſtriâ, & eloquéntiæ claritáte, ubicumque Romanórum nomen eſt, prædicári.

*Si Feſtum transferatur, è duabus Lectionibus de Homilia fient tres, diviſione factâ ad aſteriſcum *; & ſic in aliis Duplicibus, in quibus occurrit aliqua Commemoratio cum nona Lectione.*

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. *a.* Ne retíneas verbum in témpore ſalútis: in lingua enim ſapiéntia dignóſcitur; & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſenſáti. *Eccli.* 4.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo; ℟. Dómine, tu ſciſti. *Pſ.* 39.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Circumdedérunt Jeſum Judæi, & dicébant ei: Quòuſque ánimam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm. Reſpondit eis Jeſus: Loquor vobis, & non créditis. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

De Trinitate, libr. 3. §. 4.

PErfecti Patris perfectus Fílius, & ingéniti Dei unigénita progénies, qui ab eo qui habet ómnia, accépit ómnia, Deus à Deo, Spíritus à Spíritu, lumen à lúmine, confidenter ait: Pater in me, & ego in Patre: quia ut ſpíritus Pater, ita & Fílius ſpíritus: ut Deus Pater, ita & Fílius Deus: ut lumen Pater, ita & Fílius lumen. Ex iis ergo quæ in Patre ſunt, ea in quibus eſt Fílius; id eſt, ex toto Patre totus Fílius natus eſt: non aliundè, quia nihil ántequàm Fílius: non ex níhilo, quia ex Deo Fílius: non in parte, quia plenitúdo Deitátis in Fílio: neque in alíquibus, quia in ómnibus.

Lectio viij. §. 23.

AUdis: Ego & Pater unum ſumus: Quid diſcindis & díſtrahis Fílium à Patre? Unum ſunt: ſcílicet is qui eſt, nihil habens quod non ſit étiam in eo à quo eſt. Cùm audis Fílium dicentem: Ego & Pater unum ſumus, persónis rem accómmoda, gignenti & génito profeſſiónis ſuæ permitte ſenténtiam. * Sint unum, ut ſunt, qui génuit & qui génitus eſt. Cur na-

túram exclúdis? cur veritátem intérimis? Audis, Pater in me, & ego in Patre: & hoc de Patre & Fílio, Fílii ópera teſtantur. Non corpus per intelligéntiam noſtram córpori immíttimus, neque ut aquam vino infúndimus: ſed eamdem in utróque & virtútis ſimilitúdinem & deitátis plenitúdinem confitémur. Omnia enim Fílius accépit à Patre, & eſt Dei forma, & imágo ſubſtántiæ ejus.

De S. Felice.

Lectio ix.

Felix, Présbyter Nolánus, à Máximo Epíſcopo, qui declinandæ perſecutiónis causâ, juxta Dómini præceptum ſecéſſerat, paſcendi gregis curam ad tempus accépit. Quo múnere dum fúngitur, ab iis qui Pontíficem quærébant, conjícitur in cárcerem: ſed ab Angelo eductus, Máximum in monte latitantem adit, exánimem penè & humi jacentem érigit, uvâ divínitùs repertâ refocillat, revectúmque húmeris commendat ánui, quæ ſola ex Præſulis famulítio ſupérerat. Felix domum reverſus, in ea látuit donec pax Eccléſiæ redderétur. Exortâ rursùs perſecutióne, ab iis étiam qui eum quærébant ad necem, concionantémque audiébant & alloquebantur, agnoſci non pótuit; atque inter dírutos paríetes per anguſtum ingreſſus eſt áditum, quem repentè ex rúdere córruens agger præclúſit; & arάnea ſic telis obtexit, ut némini recentis látebræ ſuſpício relicta ſit. In ſiccâ deindè ciſternâ ſex menſes delitéſcentem Chriſtus, miniſtério cujuſdam mulíeris, mirabíliter pavit. Ampliſſima ſua prædia fiſco addicta, rédditâ Eccléſiæ pace, paupertátis amóre repétere nóluit. Oblátum ſibi poſt Máximi mortem Epiſcopátum conſtanter recusávit: tandémque virtútibus inſignis migrávit in cœlum. Ejus ſepulcrum crebris nobilitátum eſt miráculis.

Oratio.

Proſit nobis, Dómine, beáti Pontíficis Hilárii feſtíva ſolémnitas: ut ſicut Conſubſtantiális tibi Verbi fidem per univerſas Gállias ſervávit illæſam, ita nos ejus interceſſióne in eâdem fide ſtábiles permanére valeámus; Per eumdem.

Pro Comm. S. Felicis, Nolani, Presbyteri.

Ant. Apprehende vitam ætérnam in qua vocátus es, conféſſus bonam confeſſiónem coram multis téſtibus. *I. Tim. 6.*

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine, ℟.

Ego cuſtódivi vias duras. *Pſ.* 16.

Oratio.

EXcita in Eccléſia tua, Dómine, Chriſtiánæ ſpíritum paupertátis, quem ſanctus Présbyter Felix, cui nóminis Confeſſor, religiósè cóluit; ut, ejus intercedéntibus méritis, promiſſa paupéribus ſpíritu prǽmia felíciter conſequámur; Per.

Comm. Virginis Deiparæ.

Vesperæ *de ſequenti.*

DIE XV.

In Feſto

SANCTI JOSEPH,

Sponſi B. M. Virginis.

Duplex III. claſſis.

[In Cath. *Dupl. II. claſſis*].

In primis Vesperis.

Pſalmi Feriales.

Antiphona, 3. *toni*, a.

JAcob génuit Joſeph virum Maríæ, de qua natus eſt Jeſus qui vocátur Chriſtus. *Matth.* 1.

Ant. 2. D. Oculus Dei reſpexit illúm in bono, & erexit eum ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus. *Eccli.* 11.

Ant. 8. g. Benedictiónes confortátæ ſunt benedictiónibus patrum ejus, donec veníret deſidérium cóllium æternórum. *Gen.* 49.

Ant. 7. *d.* Sapiéntia probatiónem indúcet ſuper illum, donec tentet eum, & credat ánimæ illíus. *Eccli.* 4.

Ant. 5. a. Lætificábit illum, & denudábit abſconſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam, & intelléctum juſtítiæ. *Eccli.* 4.

Capitulum. Eccli. 27.

SI ſequáris juſtítiam, apprehendes illam: & índues quaſi podérem honóris, & inhabitábis cum ea, & próteget te in ſempitérnum.

[In Cathedr. *dicitur*, ℟. iij. Exurgens, *infrà.*]

Hymnus.

REgum progénies, Isácidum decus,
Feſto te célebrent cármine cónjuges;
Certatímque ferant cándida vírgines
Sponſo lília vírgini.

Tu Joséphe, novi lux nova fœderis,
Tu cuſtos sóciæ Vírginis ínteger:
Tu ſanctæ thálamo cónjugis ábſtinens,
Chriſti diceris & pater.

Alto Progéniem quàm benè créditam
Servas consílio, depóſitum Dei!
Tecum pervígiles Cœlítuum Pater
Curas júraque dívidit.

Artus inválidum tu púerum foves,

Infantíque Deo pábula súfficis;
Et formáta Dei te ſine, de tuis
Creſcunt membra labóribus.

SINT qui mille tubis úndique pérſonent,
Adventaſſe Deum, qui pópulos regat;
Tu commiſſa tibi non violábili
Velas ſacra ſiléntio.

SIT laus ſumma Patri, ſummaque Fílio:
Sit par, alme, tibi, glória, Spíritus,
Qui fœcunda facis víſcera Vírginis,
Illábens útero Deus.
Amen.

℣. Super ſalutáre tuum, Dómine, ℟. Exultábit vehementer. *Pſ.* 20.

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Dixit rex ad Joſeph: Numquid ſapientiórem & conſímilem tui invenire pótero? Tu eris ſuper domum meam. *Gen.* 41.

Oratio, infrà ad Laudes Commemor. S. Hilarii. Ant. Qui docti, ℣. Ignítum, *pag.* xlij. *Oratio.* Proſit. *ſupra, pag.* 523.

Deindè S. Mauri Abbatis. Ant. Egrédere. ℣. Potens, *pag.* lij. *Oratio,* Da nobis, *pag.* lviij.

[*Ubi ſit Annuale, propter Feſtum Patroni, Ant. ad Compl. & ad* Nunc dimittis, *ut in Comm. Juſtor. pag.* lxj. *Et ſic in Die.*]

AD MATUTINUM.

Invitat. Jeſum paréntibus ſúbditum, * Veníte, adorémus. *Luc.* 2

Hymnus.

TE, Joſeph, célebrent ágmina cœlitum:
Te cuncti réſonent Chriſtíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Caſto fœdere Vírgini.

ALMO cùm túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius;
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Conceptum púerum docet.

INFANTEM Dóminum tollis ad éxteras
Ægypti prófugum, ſollícitus, plagas:
Amiſſum Sólymis quæris & ínvenis,
Miſcens gáudia flétibus.

POST mortem réliquos mors pia cónſecrat,
Palmámque eméritos glória ſúſcipit:
Tu vivens, ſúperis par, frúeris Deo,
Mirâ ſorte beátior.

NOBIS, ſumma Trias, parce precántibus:
Da Joſeph méritis ſídera ſcándere;
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim

Gratum prómere cánticum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Cùm eſſet deſponsáta mater Jeſu María Joſeph, inventa eſt in útero habens de Spíritu ſancto. *Matth.* 1.

Ant. 2. D. Joſeph vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. *Matth.* 1.

Ant. 3. a. Hæc Joſeph cogitante, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis ei. *Matth.* 1.

℣. Non dabit in æternum Dóminus, ℟. Fluctuatiónem juſto. *Pſ.* 54.

Lectiones de Script. occur.

℟. *j.* Angelus appáruit dicens: Joſeph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: * Quod enim in ea natum eſt, de Spíritu ſancto eſt. ℣. Ecce Virgo páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. * Quod. *Matth.* 1. *Iſ.* 7.

℟. *ij.* Páriet María Fílium; & * Vocábis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. ℣. Accipe púerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercédem tuam. * Vocábis. *Matth.* 1. *Exod.* 2.

℟. *iij.* Exurgens Joſeph à ſomno, * Fecit ſicu præcépit ei Angelus Dómini, & accépit cónjugem ſuam. ℣. Mens juſti meditátur obediéntiam. * Fecit. Glória Patri. * Fecit. *Matth.* 1. *Prov.* 15.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Exiit edictum à Cæſare, ut deſcriberétur univerſus orbis: & ibant omnes, ut profiteréntur ſínguli in ſuam civitátem. *Luc.* 2.

Ant. 5. a. Aſcendit Joſeph in civitátem David, eò quòd eſſet de domo David; ut profiterétur cum María deſponsátâ ſibi uxóre prægnante. *Luc.* 2.

Ant. 6. F. Cùm eſſent ibì, péperit María Fílium ſuum primogénitum, & reclinávit eum in præſépio. *Luc.* 20.

℣. Lætificábis eum in gáudio, ℟. Cum vultu tuo, Dómine. *Pſ.* 20.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

Hom. 2. *ſuper* Miſſ. §. 16.

Lectio iv.

QUis & qualis homo fuerit iſte Joſeph, cónjice ex appellatióne quâ, licèt diſpenſatóriâ, méruit honorári à Deo, ut pater Dei & dictus & créditus ſit. Simul & memento magni illíus quondàm Patriarchæ vénditi in Ægypto: & ſcito ipsíus iſtum non ſolùm vocábulum

fuiſſe ſortítum, ſed & caſtimóniam adeptum, innocéntiam aſſecútum & grátiam.

℟. *iv.* Paſtóres venérunt feſtinantes; & * Invenérunt Maríam & Joſeph, & Infantem póſitum in præſépio. ℣. Sapiéntia inter benedíctos benedicétur. * Invenérunt. *Luc.* 2. *Eccli.* 24.

Lectio v.

SIquidem ille Joſeph fraternâ ex invídiâ vénditus & ductus in Ægyptum, Chriſti venditiónem præfigurávit: iſte Joſeph Herodiánam invídiam fúgiens, Chriſtum in Ægyptum portávit. Ille dómino ſuo fidem ſervans, dóminæ nóluit commiſcéri: iſte dóminam ſuam, Dómini ſui matrem, Vírginem agnoſcens; & ipſe cóntinens, fidéliter cuſtodívit. Illi data eſt intelligéntia in myſtériis ſomniórum: iſti datum eſt cónſcium fieri atque partícipem cœléſtium ſacramentórum.

℟. *v.* Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: * Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; futúrum eſt enim ut Heródes quærat púerum ad perdendum eum. ℣. Dirigétur dolus in manu regis; & occídet plúrimos; & contra Príncipem príncipum conſurget. * Surge & áccipe. *Matth.* 2. *Dan.* 8.

Lectio vj.

ILle Joſeph frumenta ſervávit non ſibi, ſed omni pópulo: iſte panem vivum è cœlo ſervandum accépit tàm ſibi quàm toti mundo. Non eſt dúbium quin bonus & fidélis homo fúerit iſte Joſeph, cui mater deſponſáta eſt Salvatóris: fidélis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuæ matris ſolátium, ſuæ carnis nutrítium; ſolum dénique in terris, magni consílii coadjutórem ſibi fideliſſimum.

℟. *vj.* Conſurgens Joſeph accépit púerum & matrem ejus nocte, * Et † Seceſſit in Ægyptum; & erat ibi uſque ad óbitum Heródis. ℣. Ait illi Deus: Deſcende in Ægyptum: ego deſcendam tecum illuc, & ego indè addúcam te reverteniem. * Et ſeceſſit. Glória Patri. † Seceſſit. *Matth.* 2. *Gen.* 46.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Defuncto Heróde, Angelus appáruit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & áccipe púerum & matrem ejus. *Matth.* 2.

Ant. 8. g. Vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim qui quærébant ánimam púeri. *Matth.* 2.

Ant. 1. a. Conſurgens

Joſeph accépit púerum & matrem ejus, & venit in terram Iſrael. *Matth.* 2.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, ℟. Et non ſupplantabuntur greſſus ejus. *Pſ.* 36.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. cap. 1.

CUm eſſet deſponsáta mater Jeſu María Joſeph, ántequàm convenírent, inventa eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

De Nuptiis & Concupiſcentia, libr. 1 §. 12.

NOn falláciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph: Noli timére accípere Maríam cónjugem tuam. Conjux vocátur ex prima fide deſponſatiónis, quam concúbitu nec cognóverat, nec fúerat cognitúrus: nec períerat, nec mendax mánſerat cónjugis appellátio, ubi nec fúerat, nec futúra erat carnis ulla commíxtio. Erat quippe illa Virgo; ídeò & ſánctiùs & mirabílius jucunda ſuo viro, quia étiam fœcunda ſine viro, prole diſpar, fide compar.

℟. *vij.* Aúdiens Joſeph quòd Archeláüs regnáret in Judæa pro Heróde patre ſuo, tímuit illò ire: * Et admónitus in ſomnis ceſſit in partes Galilææ. ℣. Dóminus erat cum illo, & ómnia ópera ejus dirigébat. * Et. *Matth.* 2. *Gen.* 39.

Lectio viij.

PRopter quod fidéle conjúgium Parentes Chriſti vocári ambo meruérunt, & non ſolùm illa mater, verùm étiam ille pater ejus, ſicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater ſolâ mente, ſive illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitátis ejus, non ſublimitátis; infirmitátis, non Divinitátis. Neque enim mentítur Evangélium, ubi légitur: Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et álio loco: Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerúſalem.

℟. *viij.* Véniens Joſeph * Habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth; ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur. ℣. Cùm requíreret Dóminum, direxit eum in ómnibus. * Habitávit. Glória Patri. * Habitávit. *Matth.* 2. *II. Paral.* 26.

De S. Mauro.

Lectio ix.

MAurus Diáconus, qui jam à multis ſéculis, ut ex libro miraculórum ſancti Benedicti conſtat,

is créditus eſt, quem juſſu ejúſdem patris Benedicti ſuper aquas cucurriſſe, ut púerum Plácidum eríperet, narrat in Diálogis beátus Gregórius. Cùm in Gálliam veniſſet, Glannofolienſe monaſtérium in Andegavénſium ſolo ad Lígerim ſub título Salvatóris conſtruxit. Cœnóbium illud Theodebertus, Auſtraſiórum rex, ejúſque ſucceſſor Theodevaldus, tùm Clotárius primus, multis prædiis locupletârunt. Cùm autem Maurus annis plúrimis mónachos ibi ſanctíſſimè rexiſſet, ſuffecto in locum ſuum Bertulfo, ábiit ad Dóminum, & in ea è quátuor Basílicis quæ ſancti Martíni dicebátur, ſepultus eſt ad auſtrálem altáris partem. Poſt tranſlatiónes multas, tandem in Ecclésia ſancti Germáni à Pratis apud Lutétiam ſancti Mauri relíquiæ requieſcunt & coluntur.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphona. 1. *toni.* f.

IBant parentes Jeſu per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſchæ. *Luc.* 2.

Ant. 3. a. Aſcendéntibus illis, remanſit puer Jeſus in Jerúſalem, & non cognovérunt parentes ejus. *Luc.* 2.

Ant. 2. D. Venérunt iter diéi, & non invenientes, regreſſi ſunt in Jerúſalem; &, poſt tríduum, invenérunt eum in templo. *Luc.* 2.

Ant. 8. g. Dixit mater.

Canticum. Sapient. 8.

INtrans in domum meam, * conquieſcam cum (ſapiéntia.)

Non enim habet amaritúdinem * conversátio illíus,

Nec tædium convictus illíus, * ſed lætítiam & gáudium.

Hæc cógitans apud me & comménorans in corde meo * quóniam immortálitas eſt in cognatióne ſapiéntiæ:

Et in amicítia illíus delectátio bona, * & in opéribus mánuum illíus honeſtas ſine defectióne;

Et in certámine loquélæ illíus ſapiéntia, * & præcláritas in communicatióne ſermónum ipſíus.

Circuíbam quærens * ut mihi illam aſſúmérem.

Glória Patri.

Ant. Dixit mater Jeſu ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebámus te. *Luc.* 2.

Ant. 5. a. Deſcendit Jeſus cum eis, & venit Názareth, & erat súbditus illis. *Luc.* 2.

Capitulum. Tob. 10.

COEpit conſtriſtári nimis ipſe & uxor ejus cum eo, & cœpérunt ambo ſimul flére eò quòd mínimè reverterétur filius eórum ad eos.

Hymnus.

MATRIS intactæ venerande conjux,
Teſtis & cuſtos nívei pudóris,
Quid Deo plenam meditáris anceps
Línquere ſponſam?
ANXIUM, cœlo tibi miſſus Ales
Firmat; hinc Virgo tibi viſa major:
Mente ſedátâ, modò naſcitúrum
Numen adóras.
VIX puer natus: redit ecce præpes
Núntius: Patri, Fuge, dixit; Infans
Quæritur: Matrem Puerúmque tutas
Transfer in oras.
TU nihil contrà: per opáca noctis
Prótinùs Matrem Puerúmque transfers:
Dírigit greſſus aperítque calles,
Tum ſilet, Infans.
ORA mox ſolvet: Sólymam per urbem
Quem dolens quæres, cómitante Matre,
Hunc Senes inter, Púerum ſtupébis
Mira loquentem.
NOS [illegible] te ſummum
célebrent Parentem
Ora, te ſummo Génitum Parente;
Par ſit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur ſuper Salutári ſuo. *Pſ.* 34.

Ad Bened. *Ant.* 4. D. Argentum & aurum nullíus concupívi; quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtravérunt manus iſtæ. *Act.* 20.

Oratio.

CUſtódi nos, Dómine, protectióne perpétuâ, qui beátum Joſeph Unigénito tuo nutrítium, & Vírgini Matri cuſtódem providiſti; Per eumdem.

Pro Commem. S. Mauri, Abbatis. Ant. Ecce ego. ℣. Veníte. *p.* lviij. & lvij. *Oratio*, Da nobis, *p.* lviij.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. Ibant.

[*IN CATHEDR. ad Tertiam, Sextam & Nonam, addit. duplex* Allelúia].

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Aſcendéntibus.

Capitulum. Deut. 16.

APparébit omne maſculínum tuum in conſpectu Dómini Dei tui, in loco quem elégerit, in ſoleminitáte Azymórum.

℟. *br.* Vota mea Dómino reddam * In conſpectu

omnis pópuli ejus, ℣. In átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúſalem. * In conſpectu. Glória. ℟. Vota. Pſ. 115.

℣. Te decet hymnus, Deus, in Sion, ℟. Et tibi reddétur votum in Jerúſalem. Pſ. 64.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Venérunt.

Capitulum. Sap. 6.

SApiéntia vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam.

℟. *br.* Exquisívi Dóminum, * Et exaudívit me, ℣. Et ex ómnibus tribulatiónibus meis éripuit me. * Et exaudívit me. Glória. ℟. Exquisívi. Pſ. 33.

℣. Non dereliquiſti, ℟. Quærentes te, Dómine. Pſ. 9.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Deſcendit.

Capitulum. Sap. 8.

IMmortálitas eſt in cognatióne ſapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona, & in opéribus mánuum illíus honeſtas ſine defectióne.

℟. *br.* Glória & divítiæ * In domo ejus, ℣. Et juſtítia ejus manet in séculum séculi.* In. Glória Patri. ℟. Glória. Pſ. 111.

℣. Magna eſt glória ejus, ℟. In ſalutári tuo, Dómine. Pſ. 20.

AD II. VESPERAS.

Antiph. 1. *toni.* G.

FIdelis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam. *Matth.* 24.

Ant. 3. a. Amen dico vobis: Super ómnia bona ſua conſtítuet eum. *Matth.* 22.

Ant. 6. F. Qui cuſtos eſt Dómini ſui, glorificábitur. *Prov.* 27.

Ant. 5. a. Lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo. Pſ. 20.

Ant. 7. d. Dabis eum in benedictiónem in ſéculum ſéculi. Pſ. 20.

Capitulum. Sap. 10.

SApiéntia juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſciéntiam ſanctórum: honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus.

Hymn. Regum. *in I. Veſp.*

℣. Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, ℟. Príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. Pſ. 104.

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Invénit grátiam coram Dómino ſuo, & miniſtrábat ei, à quo præpóſitus ómnibus, gubernábat créditam ſibi domum, & univerſa quæ ei trádita fúerant. *Gen.* 39.

Comm. S. *Furſei.* *Ant.* Egrédere. ℣. Potens. *p.* liij. *Orat.* Deus, cujus, *p.* 5[illegible]

Deindè S. Marcelli, Papæ & Confeſſoris Chriſti.

Ant. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. *Matth.* 10.

℣. Dóminus mihi adjútor, ℟. Et ego deſpíciam inimícos meos. *Pſ.* 117.

Orat. Deus, pro. *p.* 534.

DIE XVI.
In Feſto
S. FURSEI, ABBATIS.
Duplex.

Omnia de Comm. Abbatum, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. f. A juventúte mea inveſtigábam Sapiéntiam; colluctáta eſt ánima mea in illa. *Eccli.* 51.

℣. Beátus vir, cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, ℟. Et non reſpexit in vanitátes & insánias falſas. *Pſ.* 39.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Veníte ſeorsùm in deſertum locum, & requiéſcite. *Marc.* 6.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abſcondiſti timéntibus te! *Pſ.* 30.

Lectio iv.

FUrséus, in Hibérnia régio génere natus, cùm & in pietáte & in ſacris lítteris multùm profeciſſet, valerétque dicendo plúrimùm, venit in inſulam quamdam Hibérniæ vicínam, ibíque monaſtérium ædificávit: ſed, inimicórum invídiæ cedens, venit in Angliam orientálem, ubi álterum extruxit monaſtérium, cui Foïllánum fratrem præfécit: ipſe verò in erémum ad Ultánum álterum fratrem ſeceſſit.

Lectio v.

CUm ibì jam annum ſe duríſſimis pœniténtiæ labóribus dediſſet, vexántibus ea loca bárbaris, tránſiit in Gálliam, Romam petitúrus. Cùm per Pontívum iter habéret, Ducis Haïmónis filium ad vitam revocávit; undè brevì in notítiam Erchinoaldo paláti præfecto venit, per quem ei non lícuit Romam pérgere. Hujus ópibus adjútus Latiniaci, quod oppídulum eſt ad Mátronam, tértium monaſtérium póſuit, quod brevi diſcípulis plúrimis & piíſſimis replévit.

Lectio vj.

VOluit póſteà eas Eccléſias, quibus olìm verbum Dei impertíverat, fratréſque ſuos Ultánum & Foïllánum revíſere. Eo consílio cùm in quemdam Pontívi vicum ad Altéiam flúvium perveniſſet Macérias nómine, mortalitátem éxuit anno ſexcentéſimo & quinquagéſimo. Mórtui corpus Erchinoaldus Perónam de-

ferendum curávit, ubi poſt ſeptem & triginta dies ſepultum eſt. Quadriénnio pòſt à ſanctiſſimis Epíſcopis Eligio Noviomenſi & Autberto Cameracenſi repertum eſt incorruptum & in thecam repóſitum, ac multo pòſt coram ſancto Ludovíco Francórum Rege tribúſque Epíſcopis in elegantióri theca recónditum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te. *Matth.* 19.

℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, ℟. habitáre fratres in unum! *Pſ.* 132.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Petrus dixit Jeſu: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília ſancti Bernardi, Abbátis.

Declam. Cap. 1.

ARbitror verba lectiónis hujus ea eſſe, de quibus ad immortálem Sponſum à finibus terræ clamat Eccléſia, Propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras. Hæc nempè ſunt verba quæ contemptum mundi in univerſo mundo, & voluntáriam perſuasére homínibus paupertátem. Hæc ſunt quæ mónachis clauſtra replent, deſerta anachorétis. Hæc, inquam, ſunt verba quæ Ægyptum ſpóliant, & óptima quæque ejus dirípiunt. Hic ſermo vivus & éfficax, convertens ánimas felíci æmulatióne ſanctitátis, & veritátis promiſſióne fidéli.

Lectio viij.

DIxit Simon Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia. Benè, óptimè, & non ad inſipiéntiam tibi. Nam & mundus tranſit, & concupiſcéntia ejus, & relínquere hæc magìs éxpedit, quàm relinqui. Ecce, inquit, nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: nimírùm quia exultávit ut gigas ad currendam viam, nec currentem ſequi póteras onerátus. * Sed nec inútilis commutátio, pro eo qui ſuper ómnia eſt, ómnia reliquiſſe: nam & ſimul cum eo donantur ómnia; & ubi apprehénderis eum, erit unus ipſe ómnia in ómnibus qui pro ipſo ómnia reliquérunt. Omnia ſane díxerim, non tantùm poſſeſſiónes, ſed étiam cupiditátes, & eas máximè. Plus enim concupiſcéntia mundi, quàm ſubſtántia nocet. Et hæc fugiendárum cauſa divitiárum præcípua eſt, quòd aut vix, aut nun-

quàm ſine amóre váleant poſſidéri.

De S. Marcello.

Lectio ix.

Marcellus, Présbyter Románus, cùm, ob perſecutiónis acerbitátem, triénnio vacaſſet Romána ſedes, Marcellíno ſuffectus, omnem óperam in eo potíſſimùm póſuit, ut quidquid delictum erat, emendarétur, & in príſtinum nitórem grex ſuus reſtituerétur. Hinc ſanctus Dámaſus, in epitáphio ejus memóriæ póſito, eum vocat doctórem verídicum, & ejus méritum indè commendat, quòd diſciplínæ Eccleſiáſticæ erga pœniténtes vindex acérrimus ſua eos peccáta defleére ex toto corde, & pœniténtiam juxta Cánones legítimam perágere, invictâ conſtántiâ volúerit. Quæ res ei multórum ódia conflávit, ádeò ut ſolúto omni pacis fœdere lites, ſedítio, furor, cædes déniquè hinc orta ſint; ípſeque Póntifex in exílium abíre juſſus ſit, quaſi foret turbárum illárum auctor, quas quidam Chriſtiánus poſt negátum in pace Chriſtum ut in Eccléſiam ſine pœniténtiâ reciperétur, ad críminis cumulum excitáverat. Expléto in Pontificátu anno uno, ménſibus ſeptem & diébus viginti, Confeſſor óbiit, & in cœmetério Priſcillæ viâ Saláriâ ſepultus eſt, anno décimo ſupra trecentéſimum.

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Furséus Abbas multíplici glóriâ ſanctæ converſatiónis emícuit; præſta, quæſumus, ſic nos ejus mérita venerári, ut ejuſdem valeámus ſublevári ſuffrágiis; Per.

Commem. S. Marcelli.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine; quóniam protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditióne, & in conſpectu aſtántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51.

℣. Paulò minùs conſummavérunt me in terra; ℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Pſ.* 118.

Oratio.

Deus, pro cujus nómine beátus Marcellus Póntifex & Confeſſor tuus tribulatiónes & anguſtias invictâ fide ſuſtínuit; da nobis ejus exemplo magìs elígere afflígi in hoc ſéculo, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per.

Deindè de Virgine Deipara, ut in Proprio de Tempore, pag. 306.

Ad Vesper. *Commem. ſequentis; poſteà S. Sulpitii Epiſc. Ant.* Ipſum. ℣. Elégit. *p.* xxvj. *Orat.* Exaudi. *pag.* xxxiij. *Ultimò de Virgine Deip. pag.* 308.

[*In Cathedr. Veſpera à Capit. de ſequenti. Commem. præced. deindè S. Sulpitii; ultimò de V. D.*]

DIE XVII.

In Feſto

SANCTI ANTONII,

Abbatis.

Semiduplex.

[*In Cathedr. Dupl. Fit cum tribus Nocturn. Lection. I. Noct. de Script. occurr. Lection. II. Noct. ut in Proprio, (de unica tres,) diviſione factâ ad Aſteriſcos **. Lection. III. Noct. Evangel. & duæ Lect. de Homilia, ut in Communi. Lectio ix. de S. Sulpitio. Reliqua de Communi.*]

Omnia de Communi SS. Abbatum, pag. lj. *exceptis quæ ſequuntur.*

Oratio, Deus cujus. *infrà.*

Lectio ij.

ANtónius, nóbilis Ægyptius, cùm circa annum ætátis vigéſimum ingreſſus Eccléſiam, ex Evangélio audiſſet: Si vis perfectus eſſe, vade, vende ómnia quæ habes, & da paupéribus; tanquàm ea ſibi dicta eſſent, ampliſſima quæ habébat prædia partítus eſt inter vicános; totiúſque vénditæ ſupelléctilis prétium paupéribus erogávit: ac primùm ſeceſſit haud procul à vico ſuo, ubi, rebus ómnibus abdicátis, non déſtitit ex labóris emolumento aſſuétis eleemóſynis paúperes fovére, non áliud ſibi ſervans ad victum, quàm undè panem émeret, quo non ante ſolis occáſum veſcebátur, adhíbito tantùm ſale ad condiméntum, & aquâ ad ſitim temperandam. * Arctióris poſthàc ſolitúdinis deſidério, in monumento occlúſus remanſit, familiári cuidam mandans, ut panem ſibi, ſtatútis diébus, afferret. Anno ætátis trigéſimo quinto erémum pétiit; undè poſt annos propè viginti, Spíritûs ſancti impulſu éxiit, ut cœnobítas moderarétur. Tantam ſibi veneratiónem conciliávit, ut ab ipſis gentílibus Homo Dei nuncuparétur. Magnum Athanáſium ab Ariánis penè oppreſſum, crebrò invíſit: ejus grátiâ ad Conſtantínum non ſemel ſcripſit. Ab hæreticórum congreſſu ſemper abhórruit. Ariános, ejus auctoritáte ſe tuentes, público ſermóne damnávit. ** Dæmones quorum conflíctibus jam indè ab adoleſcéntia frequenter laceſsítus fúerat, vicit ſemper ac fugávit: & docens quibus armis illi ſuperarentur: Mihi crédite, dicébat, fratres; pertimeſcit sátanas piórum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, miſericórdiam &

humilitátem, máximè verò ardentem amórem in Chriſtum, cujus único ſanctíſſimæ Crucis ſigno debilitátus aúfugit. Morti próximus inter ália mónita, hæc frátribus inculcávit: Cuſtodienda eſt pia fides in Chriſtum, & Patrum ſervanda tradítio. Paulum Anachoretárum primum, quem ſenex adíerat, cum pſalmis ſepelívit. Vixit annos quinque ſupra centum. Scripſit Ægyptíacè ſeptem Epíſtolas, quæ in Græcam linguam tranſlátæ ſunt.

De S. Sulpitio.

Lectio iij.

SUlpítius, à puero pietáti déditus, cùm Eccléſiis & Monaſtériis cônſtruendis, & miſericórdiæ opéribus eſſet intentus, ab Auſtregíſilo Bituricenſi Epíſcopo ad Diaconátum promótus eſt, ut in Eccléſia Officium docendi exercéret. Présbyter factus à Clotário ſecundo poſtulátus eſt ut in ejus caſtris Abbátis Officio fungerétur; Regémque ipſum graviſſimo morbo laborantem, ſeptem diérum oratióne & jejúnio ſanitáti reſtítuit.* Auſtregíſilo ſucceſſor datus, óptimi præſulis partes implévit. Diœceſánas ſæpè Synodos, interdùm étiam Provinciáles, celebrávit. Judæos omnes in Bituríg ibus degentes, ad Chriſti fidem adductos, baptizávit. Cùm ad Eccleſiam noctu, oratiónis causâ, veníret, non antè recedébat quàm Pſalmórum librum íntegrum recitaſſet. ** Indícto trídui jejúnio, ſuis précibus obtínuit à Dagoberto, ut vectígal inſólitum quod plebi Bituricenſi imposúerat, abrogáret. Sedit in Concílio Remenſi, ſub Sonnátio Epíſcopo. Coadjutórem ſibi in ſenectúte, ex conſenſu Regis, Volfolendum cooptávit: túncque totum ſe dedit levandis & inſtruendis paupéribus. Plenus tandem diérum quiévit in Dómino die décimâ ſéptimâ Januárii, circa annum ſexcentéſimum quadragéſimum quartum; & in urbe Bituricenſi ſepultus eſt.

Ad Laudes. *Hymnus*, Quid tu, relíctis, *ut in Communi, pag.* lvij.

Oratio.

DEus, cujus verbo forìs ſonante, & grátiâ intùs movente, excitátus Antónius, ut perfectus eſſet, ómnia relíquit: da cunctis Evangélicæ perfectiónis iter ingreſſis ſic cúrrere, ut bravíum ætérnæ felicitátis apprehendant: Per.

Commem. S. Sulpitii, Epiſc. Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas. *pag.* xxxij. *Orat.* Exaudi, *pag.* xxxiij. *deindè Commem. B. Virg. Deip.*

Veſpera de ſequenti; Commem. præcedentis.

DIE XVIII.

In Feſto

PONTIFICATUS ET CATHEDRÆ S. PETRI,

Quâ Antiochiæ primùm, deindè Romæ ſedit.

Duplex III. Claſſis.

Pſalmi de Feria.

Pridiè, In I. Vesperis, *Antiphona de Communi SS. Pontif. pag.* xxv.

Capitulum. I. Paral. 11.

Tibi dixit Dóminus Deus tuus: Tu paſces pópulum meum Iſrael, & tu eris Princeps ſuper eum.

Hymnus.

Qualis poteſtas! Petre, quis terris honos!
Cui jura Chriſtus ipſe conceſſit ſua:
Quidquid ligábis, quidquid & ſolves ſolo,
Hoc & ligábit, ſolvet & polo Deus.

Tui probáto cordis affectu, ſuum
Paſtor ſuprémus crédidit tibi gregem:
Serva, tuére; paſce nos, Paſtor bone:
Illíus & nos, Petre, pars gregis ſumus.

Patri ſuprémo ſit ſupréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, ſplendor æterni Patris;
Compar ſit almo laus decúſque Flámini.
Amen.

℣. Elégit Dóminus ſervum ſuum, ℟. Páſcere Jacob hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77.

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Salvábo gregem meum, & non erit ultrà in rapínam: ego autem Dóminus ero eis in Deum, & ſervus meus princeps in médio eórum: ego Dóminus locútus ſum. *Ezech.* 34.

Oratio, Deus, *infrà ad Laudes, pag.* 542.

Commem. S. Antonii.

AD MATUTINUM,

Invitat. Chriſtum ſuper petram ædificantem Eccléſiam ſuam, * Veníte, adorémus. *Matth.* 16.

Hymnus. Qualis poteſtas, *ut in I. Veſperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. g. Fáciam eos in gentem unam in terra: & Paſtor unus erit ómnium eórum. *Ezech.* 37.

Ant. 1. G. Præparábitur in miſericórdia sólium: & ſedébit ſuper illud in veritáte in tabernáculo David. *Iſ.* 16.

Ant. 4. d. Státuam eum in domo mea & in regno meo uſque in ſempitérnum: & thronus ejus erit firmíſſimus in perpétuum *I. Paral* 17.

℣. Ponam in ſéculum sé-

culi ſemen ejus ſicut dies cœli; ℟. Et thronum ejus. *Pſ.* 88.

Lectiones de Script. occurr.

℟. *j.* Vocábo ſervum meum, & poteſtátem dabo in manu ejus: & * Dabo clavem domûs David ſuper húmerum ejus: & apériet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui apériat. ℣. Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui áperit, & nemo claudit; claudit, & nemo áperit. * Dabo *Iſ.* 22. *Apoc.* 3.

℟. *ij.* Oculi tui vidébunt tabernáculum * Quod nequáquàm transferri póterit: nec auferentur clavi ejus, & omnes funículi ejus non rumpentur. ℣. Talem habémus Pontíficem qui miniſter eſt tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, & non homo. * Quod. *Iſ.* 33. *Hebr.* 8.

℟. *iij.* Erit quaſi pater habitántibus Jeruſalem, & dómui Juda: & figam illum paxillum in loco fidéli, * Et † Erit in sólium glóriæ dómui Patris ejus. ℣. Dabo ei ſedére mecum in throno meo. * Et erit. Glória. † Erit. *Iſ.* 22. *Apoc.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Speculatórem dedi te dómui Iſrael: & aúdies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. *Ezech.* 3.

Ant. 3. a. Spíritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ póſui in ore tuo, non recédent de ore tuo, & de ore séminis tui ámodò uſque in ſempiternum. *Iſ.* 59.

Ant. 2. D. Tu judicábis domum meam, & cuſtódies átria mea, Sacerdos magne. *Zach.* 3.

℣. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo; ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88.

Ex Epíſtola ſancti Innocéntii Papæ ad Alexandrum Epíſcopum Antiochénum.

Epiſt. 18. *Lectio iv.*

REvolventes auctoritátem Nicénæ Synodi, quæ una ómnium per orbem terrárum éxplicat mentem Sacerdótum de Antiochéna Ecclésia, ſuper diœcéſim ſuam prædictam Eccléſiam, non ſuper áliquam provínciam, recognóſcimus conſtitútam. Undè advértimus non tam pro civitátis magnificéntia hoc eídem attribútum, quàm quòd prima primi Apóſtoli ſedes eſſe monſtrétur, ubi & nomen accépit Relígio Chriſtiána; & quæ conventum Apoſtolórum apud ſe fíeri celebérrimum méruit, quæque urbis Romæ Sedi non céderet, niſi quòd illa in tránſitu méruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatúmque gaudet.

℟. Dicit Jeſus diſcípulis ſuis: Quem me eſſe dícitis? * Reſpondens Petrus dixit: Tu es Chriſtus Fílius Dei vivi. ℣. Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? Quod nomen eſt ejus, & quod nomen Fílii ejus? ſi noſti? * Reſpondens Petrus. *Matth.* 16. *Prov.* 30.

Sermo ſancti Leónis, Papæ.

Serm. 80. *Cap.* 3.

Lectio v.

CUm duódecim Apóſtoli, acceptâ per Spíritum ſanctum ómnium locutióne linguárum, imbuendum Evangélio mundum, diſtribútis ſibi terrárum pártibus, ſuſcepiſſent, beatíſſimus Petrus Princeps Apoſtólici órdinis ad arcem Románi deſtinátur Impérii; ut lux veritátis, quæ in ómnium géntium revelabátur ſalútem, efficáciùs ſe ab ipſo cápite per totum mundi corpus effúnderet. Cujus autem natiónis hómines in hac tunc urbe non eſſent? aut quæ uſquàm gentes ignorárent quod Roma didiciſſet? Hîc conculcandæ philoſóphiæ opiniónes, hîc diſſolvendæ erant terrénæ ſapiéntiæ vanitátes: hîc confutandus dæmonum cultus, hîc ómnium ſacrificiórum impíetas deſtruenda, ubi diligentíſſimâ ſuperſtitióne habebátur colléctum, quidquid uſquam fúerat vanis erróribus inſtitútum.

℟. Beátus es, Simon Barjóna, quia caro & ſanguis non revelávit tibi, ſed * Pater meus qui in cœlis eſt. ℣. Eſt Deus in cœlo revélans myſtéria, qui revelávit tibi ſacramentum hoc. * Pater meus. *Matth.* 16. *Dan.* 2.

Lectio vj.

AD hanc ergo urbem, tu, beatíſſime Petre Apóſtole, veníre non métuis, & conſorte glóriæ tuæ Paulo Apóſtolo, aliárum adhuc Eccleſiárum ordinatiónibus occupáto, ſilvam iſtam fremféntium beſtiárum, & turbulentíſſimæ profunditátis océanum, conſtántior, quàm cùm ſupra mare graderéris, ingréderis.... Jam pópulos qui ex circumciſióne credíderant, erudíeras; jam Antiochénam Eccléſiam, ubi primùm Chriſtiáni nóminis dígnitas eſt orta, fundáveras; jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Aſiam atque Bithyniam légibus Evangélicæ prædicatiónis impléveras; nec autem dúbius de provectu óperis, aut de ſpátio tuæ ignárus ætátis, trophæum Crucis Chriſti Románis árcibus infrerébas, quò te divinis

præordinatiónibus antecibant & honor poteſtátis, & glória paſſiónis.

℟. Ait Dóminus: Simon, ego rogávi pro te, ut non defíciat fides tua; * Et tu, aliquándò converſus, confírma fratres tuos. ℣. Convertam te, & ante fáciem meam ſtabis; & quaſi os meum eris. * Et tu. Glória. * Et tu. *Luc.* 22. *Jer.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Magnificávit eum Rex, & ſcripſit eum inter primos amícos; & póſuit eum ducem & participem principátûs. *I. Machab.* 10.

Ant 6. F. Exaltávit eum in conſpectu ómnium amicórum ſuórum. *I. Mach.* 11.

Ant. 7. d. Státuit ei principátum ſacerdótii, & fecit eum príncipem amicórum. *I. Mach.* 11.

℣. Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ, ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dicit Simóni Petro Jeſus: Simon Joannis, díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni, Epíſcopi.

Serm. 296. *n.* 3.

REſurgit Dóminus, appáret diſcípulis: videt jam Petrus viventem cui morienti timúerat. Videt non Dóminum occíſum, ſed mortem in Dómino occíſam. Jam ergo confirmátus exemplo carnis ipsíus Dómini, mortem non eſſe uſque ádeò metuendam, docétur amáre. Modò opus eſt ut amet, jam viſo Dómino vivo poſt mortem: modò amet, modò ſecúrus amet, ſecúrus quia ſecutúrus. Dóminus ergo: Petre, amas me? Et ille: Amo, Dómine. Et íterùm hoc, & tértiò hoc, ut ter id confiterétur amor, quod ter negáverat timor. Vidéte: percípite: díſcite. Non áliud quàm Amas interrogátur; non áliud quàm Amo, reſpondet. Reſpondenti dícitur, Paſce oves meas.

℟. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam, * Et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. ℣. Urbs fortitúdinis noſtræ Sion; Salvátor ponétur in ea murus, & antemurále. * Et portæ. *Matth.* 16. *Iſ.* 26.

Lectio viij.

COmmendátis Petro óvibus ſuis, & commen-

dáto ſibi Petro cum óvibus ſuis, jam præuúntiat paſſiónem, & dicit: Cùm eſſes júnior cingébas te, & ibas quò velles: cùm autem sénior factus fúeris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Hoc autem dicébat, ait Evangeliſta, ſigníficans quâ morte clarificatúrus eſſet Deum. Vidétis hoc pertinére ad paſcendas oves Dómini, ut non recusétur mors pro óvibus Dómini. Paſce oves meas. Commendat oves idóneo; an minùs idóneo? Primò quas oves commendat? Pretióſas, emptas non auro, non argento, ſed ſánguine. Si dóminus homo commendáret ſervo ſuo oves ſuas, procul dúbio cogitáret utrum pecúlium ſervi illíus idóneum eſſet prétium óvium ſuárum; & díceret: Si perdíderit, ſi diſſipáverit, ſi conſúmpſerit, habet undè reddat. Commendáret ergo ſervo idóneo oves ſuas, & ſervi facultátes in pecúnia quæreret pro óvibus quas pecúniâ comparávit.

℟. Simon Joannis, amas me? Dómine, tu ómnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: * Paſce oves meas. ℣. Dixit Dóminus: Tu paſces pópulum meum, & tu eris dux ſuper Iſrael. * Paſce. Glória. * Paſce. *Joann.* 21. *II. Reg.* 5.

Lectio ix.

NUnc verò Dóminus Jeſus Chriſtus, quia ſervo commendat oves quas ſánguine comparávit, idoneitátem ſervi in paſſióne ſánguinis quærit. Tanquàm díceret: Paſce oves meas, commendo oves meas: quas oves? quas emi ſánguine meo. Mórtuus ſum pro eis: amas me: mórere pro eis. Et quidem ſervus ille hóminis homo pecúniam rédderet pro conſumptis óvibus; Petrus réddidit ſánguinem pro óvibus conſervátis. Eia, fratres, áliquid pro témpore volo dícere. Quod Petro commendátum eſt, quod Petro mandátum eſt, non Petrus ſolus, ſed étiam álii Apóſtoli audiérunt, tenuérunt, ſervavérunt, maximéque ipſe conſors ſánguinis & diéi Paulus Apóſtolus: audiérunt iſta, & ad nos audienda tranſmiſérunt. Páſcimus vos, páſcimur vobiſcum. Det nobis Deus vires ſic amandi vos, ut poſsímus étiam mori pro vobis aut effectu aut affectu.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Antiphona. 3. *toni*, b.

DEdit illi Deus in præceptis ſuis poteſtátem, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſrael. *Eccli.* 45.

Ant. 2. D. Zelando zelum Dei, accépit teſtamentum ſacerdótii ætérni. *I. Mach.* 2.

Ant. 8. g. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47.

Super Cant. Sacerdos. *in Comm. Pontif. pag.* xxxj.

Ant. 4. A. Lex veritátis fuit in ore ejus: & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus. *Malach.* 2.

Ant. 1. a. In pace & in æquitáte ambulávit, & multos avertit ab iniquitáte. *Malach.* 2.

Capitulum. I. Petr. 5.

SEnióres qui in vobis ſunt óbſecro, conſénior & teſtis Chriſti paſſiónum, qui & ejus quæ in futúro revelánda eſt, glóriæ communicátor: Páſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providéntes non coactè, ſed ſpontáneè ſecúndùm Deum.

Hymnus.

A Patre Chriſtus quod ſibi jus tráditum,
Tibi relíquit, aſtra dum victor redit:
Quibus ligámur, ſolve víncla críminum;
Datis reclúde clávibus cœli fores.

Patri ſuprémo ſit ſupréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Ætérne Fili, ſplendor æterni Patris;
Compar ſit almo laus decúſque Flámini. Amen.

℣. Póſui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Pſ.* 88.

Ad Bened. Ant. 7. G. Dedit illi Deus contra inimícos poténtiam: exaltávit in ætérnum cornu ejus, & dedit illi ſedem glóriæ in Iſrael. *Eccli.* 47.

Oratio.

DEus, qui beáto Petro Apóſtolo tuo, collátis clávibus regni cœleſtis, ánimas ligándi atque ſolvéndi pontifícium tradidiſti; concéde ut, interceſſiónis ejus auxílio, à peccatórum noſtrórum néxibus liberémur; Qui vivis.

A D H O R A S.

Antiphonæ de Laudibus, quartâ prætermiſsâ. Capitula autem & ℟℟. brev. ut in Comm. SS. Pontif. pag. xxxiij.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Communi SS. Pontificum. p. xxxiij.

Capitulum. Act. 15.

VIri fratres, vos ſcitis quóniam ab antíquis diébus Deus elégit per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere: & qui novit corda Deus, teſtimónium perhíbuit, dans illis Spíritum ſanctum ſicut & nobis.

Hymn. A Patre, *ſuprà.*

℣. Exaltent eum in Ec-

cléſia plebis, ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſ.* 106.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Státuit ei Dóminus teſtamentum ætérnum, & dedit illi ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45.

[IN CATHEDR. *Pro Commem. Tranſlationis I. S. ELIGII, Epiſcopi Noviom. Ant.* Teſtis. ℣. Veníte, *pag.* cxix. *Oratio*, Deus, qui hunc diem. *infrà ad Laudes*, *pag.* 545.

DIE XIX.

In Feſto

TRANSLATIONIS I. S. ELIGII,

Epiſcopi Noviomenſis.

Duplex III. Claſſis,

[*IN CATH. tantùm*].

AD MATUTINUM.

Invitat. Chriſtum Epiſcopum animárum noſtrárum, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 2.

Pſalm. Veníte, *pag.* 1.

Hymn. Eligi, *p.* cxviij.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. ℣. *&* ℟℟. *de Communi SS. Pontificum*, *pag.* xxvij.

Lection. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ant. ℣. *&* ℟℟. *de Communi*, *pag.* xxviij.

Ex ſancto Audoéno, Epiſcopo.

Lectio iv.

CUm Beátus Elígius defunctus eſſet anno Epiſcopátûs décimo nono, corpus ejus Regína Bathildis ad Calam Monaſtérium ſuum transferre ſatagébat; álii verò conabantur Paríſios deferre. Utriſque obſiſtébant Cives Noviomenſes: juſtíſſimam ſibi hæreditátem membra ſui Antíſtitis vindicantes. Regína tandem & álii divíno nutu prohíbiti, decrevérunt illud in Noviomenſi óppido ſepelíre.... Cùm autem ad Beáti Elígii corpus, in látere Altáris ſepultum ſigna plúrima in dies coruſcárent, viſum eſt Epíſcopo & Regínæ, ut ædificátâ ultra Altáre teſtúdine, illùc ei condignam fácerent tranſlatiónem. Igitur, Dei nutu viſibíliter eos adjuvantis, cum Antíſtitis præſídio opus aggredientes, oprátum, dignū beáto Confeſſóri atque honorábile conſtruxérunt mauſoléum. Et cùm anno jam vertente, dies depoſitiónis ejus advéniſſet, convénit in óppidum copióſa pópuli multitúdo. Tunc cuncto Clero canóræ vocis celebrante melódiam, ablátus eſt à ſepulchro lapis, moxque ubi revelátum fuit corpus ſanctum, odor continuò fragrávit gratiſſimus.

Lectio v.

TUnc Epiſcopi cum tremóre magno levantes corpus de túmulo, veſtimenta ei pretioſíſſima quæ

Regína paráverat, mutavérunt ómnia. Ea quoque, quibus dudùm obtectum fúerat, ipſum exuentes, depoſuérunt ſub ſigillis. Demùm concrepante pſalléntium choro, à loco in quo jacúerat vir Sanctus, coram cunctis ſubmótus, in præparáto ſibi ſepulchro, ut decébat, compónitur], ubi per ducentos annos & ampliùs miráculis & virtútibus clareſcendo requiévit. Verùm anno Dómini octingentéſimo octogéſimo primo, Hédilo Noviomenſis Epíſcopus, Normannórum incurſiónes métuens, ſacrum corpus è ſuburbána Basílica Sancti Lupi Trecenſis, quæ, intra primum à Beáti Elígii óbitu annum, ejuſdem Elígii nómine, jam nuncupáta erat, ut Sanctus Audoénus ſcribit, in Urbem tránſtulit, depoſuítque & honoríficè collocávit, in Oratório ſub invocatióne beáti Benedícti, Cathedráli Eccléſiæ planè vicíno, quinto Idus Januárii.

Lectio vj.

INdè verò Cleri & pópuli votis ánnuens vir condignæ memóriæ Balduínus, hujus nóminis primus, Noviomenſis Epíſcopus, ex Oratório Eccléſiæ Cathedráli contíguo ſacras exúvias in ipſam Cathedrálem íntulit, ſolemni pompâ, anno milléſimo ſexagéſimo ſexto, ut nimírùm filii Patrem, non jam in occulto, ſed in ſua própria ſede reſidentem amantióri cultu venerarentur. Sed & anno milléſimo centéſimo quinquagéſimo séptimo, regnante Ludovíco junióre, ſanctum idem pignus in Eccléſia Cathedráli depóſitum, de prióre theca in álteram ornatiórem, ſedente Balduíno ſecundo Noviomenſi Epíſcopo, tranſlátum eſt & honorificentíſſimè depóſitum, aſſiſténtibus venerandis Præſúlibus, Samsóne, Metropolitáno Remenſi; Henríco, Belvacenſi; Theodoríco, Ambianenſi; Godeſcalco, Atrebatenſi...... Ità conſtat ex lítteris quintúplici ſigillo munítis, quas è theca ſacras Elígii colligente Relíquias, extraxit própriâ manu Vermundus Epíſcopus Noviomenſis, anno milléſimo ducentéſimo quinquagéſimo quinto; præſéntibus, & ea quæ víderant atteſtántibus, Gerardo Epíſcopo Ambianenſi, & Radulpho Epíſcopo Morinenſi. Sic & tríplicis hujus tranſlatiónis, poſt levátum è túmulo ſacrum Elígii Corpus, fidem fáciunt inſtrumenta plúrima Autógrapha quæ inter Authéntica ſua religióſè aſ-

ſervat Capítulum Noviomenſe. Primæ autem ab Hedilóne Tranſlatiónis Feſtivitátem è die nona Januárii ad décimam nonam, (propter Octávam Epiphaniæ Dómini), Reverendíſſimus in Chriſto Pater Joannes Franciſcus, Epíſcopus Noviomenſis, ritè duxit aſſignandam.

IN III. NOCTURNO.

Antiphon. & ℣. de Communi, pag. xxx. *Lect. vij. viij. & ix. cum* ℟℟. *de Communi, p.* xxx. *&* xxxj.

Ad Laud. *Ant. & Cantic. de Communi, pag.* xxxj. *Capit. Hymn.* ℣. *& Ant. ad* Bened. *pag.* cxx. *&* cxxj.

Oratio

Deus, qui hunc diem honorábilem nobis in beáti Pontíficis Elígii Tranſlatióne tribuiſti, da, quæſumus, Eccléſiæ tuæ in hac celebritáte exultanti, ut cujus membra pio amóre venerátur in terris, ejus interceſſióne ſublevétur in cœlis; Per Dóminum.

Ad Vesperas, *Ant. de Comm. pag.* xxxiij. *Capit. Hymn.* ℣. *Ant. ad* Magníf. *p.* cxxj. *Oratio ut ſuprà.*

Commem. de S. Sebaſtiano, Mart. Ant. Qui vícerit. ℣. Juſtus. ix. *Oratio*, Vide *infrà. pag.* 547.

Deindè S. Fabiani, Papæ & Mart. Ant. Bonum. ℣. Cantábo. *Oratio*, Omnípotens. *p.* xv. *&* xiv].

Die XX
In Feſto
S. FABIANI,
Papæ & Martyris.

Semiduplex.

[In Cathedr. *De S. Sebaſtiano. Duplex.*

In I. Noct. Lectiones de Script. occurr.

In II. Noct. Lect. iv. v. & vj. Sebaſtiánus, *infrà; de unica tres, diviſione factâ ad Aſteriſcos* ***.

In III. Noct. Lect. vij. & viij. Evangel. & Homil. de Comm. p. xij. *&* xiij. *Lect. ix. de S. Fabiano, infrà.*

Ad Laud. *Comm. S. Fabiani. Ant.* Juſtum. ℣. Dóminus, *pag.* xvj. *Oratio.* Omnípotens. xv. *Deinde Commem. Virg. Deip.*

Cetera de Comm. unius Martyr].

Extra Cathedr. *de S. Fabiano. Omnia de Comm. unius Martyr. p.* viij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Lectio ij.

Fabiánus, poſt mortem Anterótis, ad Pontificátum divínitùs vocátus eſt. Nam, ut refert Eusébius, cùm de electióne Románi Pontíficis agerétur, ac nemo de Fabiáno cogitáret, columba repentè è ſublími delapſa in cápite illíus inſediſſe fertur: quo ſpectáculo permóti, omnes ſimul

exclamavérunt Fabiánum dignum eſſe; ſtatímque Pontificáli Cáthedræ impoſuérunt. Per lítteras ácriter reprehendit Privátum hæréticum, in Concílio nonaginta Epiſcopórum Africanórum ob multa & grávia delícta condemnátum. Ad ipſum Orígenes Epíſtolam de ſua fide conſcripſit. Paſſus eſt autem in perſecutióne Décii. Fabiáno creduntur Gálliæ debére pleróſque Epíſcopos, à quibus Evangélii lumen ſuſcepérunt. Huic ſuffectus eſt Cornélius, cùm ob perſecutiónis acerbitátem ferè biénnio vacaſſet Romána Sedes.

De S. Sebaſtiano.

Lectio iij.

SEbaſtiánus, Mediolanenſis, patre Narbonenſi, carus fuit Diocletiáno, & ab eo dux primæ cohortis conſtitútus. Chriſtiánam fidem amplexátus, moriendi pro Chriſto deſidério flagrans, Medioláno Romam profectus eſt. Ibi cùm fidéles adjuváret facultátibus, Confeſſoréſque ac Mártyres cohortatiónibus confirmáret, ad Diocletiánum eſt delátus. * Quem cùm ille nec pollicendo, nec terrendo à Chriſti fide potuiſſet avértere, ad palum alligátum ſagittis configi juſſit. Quem cùm omnes créderent mórtuum, Iréne, pia vídua, noctu venit, ut corpus ejus auferret ac ſepelíret: ſed vivum repertum in domo ſua curávit. Itaque, paulò pòſt, confirmátâ valetúdine, Diocletiáno óbviam factus, ejus impietátem libériùs accuſávit. Cujus aſpectu cùm ille primùm obſtupuiſſet, quòd mórtuum créderet, rei novitáte & acri Sebaſtiáni reprehenſióne excandeſcens, eum in hippódromum palátii duci, ac tándiù fúſtibus cædi juſſit, donec ánimam exhaláret. ** Sebaſtiáni corpus in cloácam dejectum eſt; ſed Lucína, à Sebaſtiáno in ſomnis admónita ubi eſſet corpus, & quo loco humári vellet, ad catacumbas ſepelívit, in áditu cryptæ, juxta veſtígia Apoſtolórum: neque à loco ſancto per dies triginta receſſit. Ibi póſtmodùm ſancti Sebaſtiáni nómine célebris Eccléſia eſt ædificáta. Ejus oſſa témpore Ludovícii pii, annuente Eugénio ſecundo, Papâ, précibus Hilduíni Abbátis Sancti Dionyſii, Româ in Gállias alláta, Sueſſióne in Baſílica Sancti Medardi multâ cum divínæ virtútis oſtenſióne repóſita ſunt.

Ad Bened. *Ant.* Bonum. ℣. Cantábo. *Orat.* Omnípotens, *pag.* xv. & xiv.

Pro Commem. S. Sebaſtiani.

Ant. Juſtum. ℣. Dóminus, *pag.* xvj.

Orátio.

VIde, Dómine, infirmitátes noſtras; &, intercedente beáto Sebaſtiáno, Mártyre tuo, céleri nobis pietáte ſuccurre; Per Dóminum.

Ad Vesp. *Comm. S. Agnetis Virg. & Mart. Deindè de Beata Virg. Deip.*

[In Cath. *Veſp. de S. Sebaſtiano. Commem. S. Agnetis, &c. ut ſuprà.*]

Die XXI.

In Feſto

SANCTÆ AGNETIS,

Virginis & Martyris.

Simplex.

De Communi Virginis & Mart. pag. lxviij.

Lectio j. & ij. de Script. occurr. (de ij. & iij. fit ij.) & ſic in aliis Simplicib.

Ex libro ſancti Ambróſii Epíſcopi, de Virgínibus.

Ad Marcellinam ſororem, l. 1. c. 2. §. 6. 7. & 8.

Lectio iij.

HOdie Natális eſt ſanctæ Agnès.... Hæc trédecim annórum, Martyrium feciſſe tráditur. Quò deteſtabilior crudélitas, quæ nec minúſculæ pepercit ætáti : imò magna vis fidei, quæ étiam ab illa teſtimónium invénit ætáte. Fuítne in illo corpúſculo vúlneri locus? Et quæ non hábuit quò ferrum recíperet, hábuit quò ferrum vinceret... Hæc inter cruentas carníficum impávida manus; hæc ſtridéntium grávibus immóbilis tráctibus catenárum : nunc furentis mucróni mílitis totum offerre corpus, mori adhuc néſcia, ſed paráta; vel ſi ad aras invíta raperétur, téndere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrílegis focis trophæum Dómini ſignáre victóris; nunc ferrátis colla manúſque ambas inſérere néxibus : ſed nullus tam tenúia membra póterat nexus inclúdere. Novum martyrii genus! Nondùm idónea pœnæ, & jam matúra victóriæ. Quanto terróre egit cárnifex ut timerétur? quantis blandítiis ut ſuadéret? quantórum vota ut ſibi ad núptias perveníret? At illa : Et hæc Sponſi injúria eſt, expectáre placitúrum. Qui me ſibi prior elégit, accípiet. Quid, percuſſor, moráris? Péreat corpus quod amári poteſt óculis quibus nolo. Stetit, orávit, cervícem inflexit. Cérneres trepidáre carníficem, quaſi ipſe addictus fuiſſet : trémere percuſſóris dextram, pallére ora aliéno timentis perículo, cùm puella non timéret ſuo. Habétis ígitur in una

hóſtia duplex martyrium, pudóris & religiónis: & virgo permanſit, & martyrium obtínuit.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confundas; concéde propítius, ut qui beátæ Agnétis Vírginis & Mártyris tuæ ſolémnia cólimus, ejus apud te patrocínia ſentiámus; Per Dóminum.

Commem. Virg. Deip.

Vesperæ de ſequenti.

Commem. Virg. Deip.

DIE XXII.

In Feſto

SANCTI VINCENTII, Diaconi & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, pag. viij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Lectio ij.

VIncéntius à Valério, Cæſarauguſtáno Præſule, Diáconus ordinátus, ab eódem Præſule qui erat linguæ impeditióris, verbi miniſtérium accépit. Hunc, in perſecutióne Diocletiáni & Maximiáni, Daciánus Valéntiam in Hiſpánia vinctum addúci præcépit. Se Chriſtiánæ religiónis cultórem Vincéntius coram præſide profeſſus, vinctus retortis bráchiis extenſus eſt, donec oſſa ſédibus ſuis ſingula moverentur: mox férreis únguibus ſemel atque íterùm excarnificátus eſt. Ipſe, ſpretis tormentis, addúci non pótuit ut thus idólis adoléret, neque ut libros ſacros tráderet; quaproptèr cratículæ, ſubjectis ardéntibus prunis, impónitur: applicantur membris láminæ, decurrit inter candentis ferri aſperitátem liquor, ſtridens flamma arvínâ reſpérgitur, ſalis ígnibus ſparſi crepitantes minútiæ per membra diſsíliunt: intéreà Martyr immótus, erectis in cœlum óculis, Dóminum precabátur.

Lectio iij.

POſt hæc in cárcere teſtáceis fragmentis ſtrato diſtènditur, ut teſtárum acúlei vúlnerum dolórem exaſperárent. Verùm illuſtráto cœlitùs cárcere, Angelórum fovétur obséquio, allóquio mulcétur, ſolútis néxibus deámbulans pſallit, cónſonat vocis Angélicæ moduláta ſuávitas: quod per rimas cuſtódes cárceris conſpicientes & ſtupefacti, relicto gentilitátis erróre, Chriſtiánæ religióni fidéliter ſeſe dedunt. Eductus indè Vincéntius molli cúlcitræ impónitur, ut aliquántulùm recreátus ácriùs dénuò torqueretur: ſed pretióſam reſolútus in mortem, cœlo ſpíritum

réddidit. Circumſtántium frequéntia Sancti veſtígia deoſculando prolambit, vúlnera totíus láceri córporis piâ curioſitáte palpat, sánguinem línteis éxcipit ſacrâ veneratióne póſteris profutúrum. Contendit adhuc cum mórtuo córpore Daciánus; ſed iſtud fruſtrà feris óbjicit, fruſtrà prójicit in mare. Quod omnínò non apparére cupíerat & ſatégerat, nutu divíno ſemper próditur corpus; ut religióſiùs humandum, inquit Auguſtínus, venerandúmque demonſtrarétur.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, omnípotens Deus, adverſa mundi invictâ mentis conſtántiâ tranſcúrrere, qui beátum Levítam Vincéntium nec minis terréri, nec pœnis paſſus es ſuperári; Per Dóminum.

Commem. Virg. Deip.

Die XXIV.

In Feſto

SANCTI TIMOTHEI, Epheſini Epiſcopi & Martyris,

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, pag. viij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Pridie In Vesperis, *Poſt Hymnum*, ℣. Juſtus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuam. *Pſ.* 36.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in déxtera ſua: Patiéntiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti: vincenti dabo édere de ligno vitæ quod eſt in paradíſo Dei mei. *Apoc.* 2.

Oratio, Deus, qui beátum. *infrà.*

Commem. Virg. Deip.

Lectio ij.

TImótheus, Lyſtris in Lycaónia natus, patrem hábuit gentílem, matrem Judæam, nómine Eunícen, & áviam Lóiden, quarum fidem non fictam laudat Apóſtolus. Par & éadem fuit in Timótheo fides. Ab infántia ſacras lítteras didícerat: & qui Lyſtris erant & Icónii fratres bonum illi teſtimónium reddébant. Hinc factum eſt, ut illum Paulus licèt júvenem aſsúmpſerit ſuæ peregrinatiónis cómitem, & prædicatiónis ſócium: ſed propter Judæos ad Chriſtum converſos, qui ſciébant Timóthei patrèm eſſe gentílem, eum circumcídit. Quantùm ſub tanto Magiſtro profécerit in fide, in doctrína, in omni ſanctitáte, & in Apoſtólico zelo, teſtátur ipſe Paulus qui eum vocat fi-

Ant. 2. D. Zelando zelum Dei, accépit teſtamentum ſacerdótii æterni. *I. Mach.* 2.

Ant. 8. g. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47.

Super Cant. Sacerdos. *in Comm. Pontif. pag.* xxxj.

Ant. 4. A. Lex veritátis fuit in ore ejus: & iníquitas non eſt inventa in lábiis ejus. *Malach.* 2.

Ant. 1. a. In pace & in æquitáte ambulávit, & multos avertit ab iniquitáte. *Malach.* 2.

Capitulum. I. Petr. 5.

SEnióres qui in vobis ſunt óbſecro, consénior & teſtis Chriſti paſſiónum, qui & ejus quæ in futúro revelanda eſt, glóriæ communicátor: Páſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontáneè ſecundùm Deum.

Hymnus.

A Patre Chriſtus quod
ſibi jus tráditum,
Tibi relíquit, aſtra dum
victor redit:
Quibus ligámur, ſolve
vincla críminum;
Datis reclúde clávibus cœli fores.

PATRI ſuprémo ſit ſupréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, ſplendor æterni Patris;
Compar ſit almo laus decúſque Flámini. Amen.

℣. Póſui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Pſ.* 88.

Ad Bened. Ant. 7. G. Dedit illi Deus contra inimícos poténtiam: exaltávit in ætérnum cornu ejus, & dedit illi ſedem glóriæ in Iſrael. *Eccli.* 47.

Oratio.

DEus, qui beáto Petro Apóſtolo tuo, collátis clávibus regni cœleſtis, ánimas ligandi atque ſolvendi pontifícium tradidiſti; concéde ut, interceſſiónis ejus auxílio, à peccatórum noſtrórum néxibus liberémur; Qui vivis.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus, quartâ prætermiſſâ. Capitula autem & ℟℟. brev. ut in Comm. SS. Pontif. pag. xxxiij.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Communi SS. Pontificum. p. xxxiij.

Capitulum. Act. 15.

VIri fratres, vos ſcitis quóniam ab antíquis diébus Deus elégit per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere: & qui novit corda Deus, teſtimónium perhíbuit, dans illis Spíritum ſanctum ſicut & nobis.

Hymn. A Patre, *ſuprà.*
℣. Exaltent eum in Eccle-

eccléſia plebis, ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſ.* 106.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Státuit ei Dóminus teſtamentum ætérnum, & dedit illi ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45.

[IN CATHEDR. *Pro Commem. Tranſlationis I. S.* ELIGII, *Epiſcopi Noviom. Ant.* Teſtis. ℣. Veníte, *pag.* cxix. *Oratio*, Deus, qui hunc diem. *infrà ad Laudes*, *pag.* 545.

DIE XIX.

In Feſto

TRANSLATIONIS I. S. ELIGII,

Epiſcopi Noviomenſis.

Duplex III. Claſſis,

[*IN CATH. tantùm*].

AD MATUTINUM.

Invitat. Chriſtum Epiſcopum animárum noſtrárum, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 2.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymn. Eligi, *p.* cxviij.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. ℣. & ℟℟. *de Communi SS. Pontificum*, *pag.* xxvij.

Lection. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ant. ℣. & ℟℟. *de Communi*, *pag.* xxviij.

Ex ſancto Audóeno, Epíſcopo.

Lectio iv.

CUm Beátus Elígius defunctus eſſet anno Epiſcopátûs décimo nono, corpus ejus Regína Bathildis ad Calam Monaſtérium ſuum transferre ſatagébat; álii verò conabantur Paríſios deferre. Utriſque obſiſtébant Cives Noviomenſes juſtíſſimam ſibi hæreditátem membra ſui Antíſtitis vindicantes. Regína tandem & álii divíno nutu prohíbiti, decrevérunt illud in Noviomenſi óppido ſepelíre.... Cùm autem ad Beáti Elígii corpus, in látere Altáris ſepultum ſigna plúrima in dies coruſcárent, viſum eſt Epíſcopo & Regínæ, ut ædificátâ ultra Altáre teſtúdine, illùc ei condignam fácerent tranſlatiónem. Igitur, Dei nutu viſibíliter eos adjuvantis, cum Antíſtitis præsídio opus aggredientes, optátum, dignū beáto Confeſſóri atque honorábile conſtruxérunt mauſoléum. Et cùm anno jam vertente, dies depoſitiónis ejus advenìſſet, convénit in óppidum copióſa pópuli multitúdo. Tunc cuncto Clero canóræ vocis celebrante melódiam, ablátus eſt à ſepulchro lapis, móxque ubi revelátum fuit corpus ſanctum, odor contínuò fragrávit gratíſſimus.

Lectio v.

TUnc Epíſcopi cum tremóre magno levantes corpus de túmulo, veſtimenta ei pretioſíſſima quæ

Oratio, Deus, qui beátum. *ut ſuprà, pag.* 550.

Deindè Commmem. S. Præjecti Epiſc. & Mart. *Ant.* Qui vicerit. ℣. Juſtus. *pag.* ix. *Oratio*, Fac nos. *pag.* xv.

AD MATUTINUM.

Invit. Deum qui vocávit Paulum per grátiam ſuam, * Veníte, adorémus. *Gal.* 1.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

PASTORE percuſſo, minas
Spirábat & cædes lupus,
Sparsúmque vaſtábat gregem
Te, Chriſte, Saulus néſciens.

ET jam caténas ſtríngere
Ferox parábat, jam cruces:
Sed ô! repentè ſtérnitur,
Verbóque perculſus ruit.

QUID, Saule, Saule, quid ſtruis?
Agnoſce victrícem manum:
Cœlo reluctári nefas:
Abſiſte Jeſum pérſequi.

JAM tendit imbelles manus,
Jam colla ſubmittit jugo:
Stupens jacet, clamat tremens;
Quid, Chriſte, quid victor jubes?

Ex hoſte miles, ex lupo
Agnus, gregi ſe dévovet:
Et raptor ipſe nóbili
Raptus triumpho dúcitur.

O, celſa cedrórum, Deus,
Qui voce vertis cúlmina!
O qui potenti súbjicis
Mentes ſuperbas grátiæ!

TU, Paſtor, infenſas tuo
Vires ovíli cóntere:
Et noſtra, ſi quid dévium,
Ad te reflecte péctora.

UNI ſit & Trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Ego ſum vir Judæus: natus in Tarſo Cilíciæ, ſecùs pedes Gamáliel erudítus juxta veritátem paternæ legis. *Act.* 22.

Ant. 2. D. Ego de tribu Bénjamin, ſecundùm legem Phariſæus, ſecundùm æmulatiónem pérſequens Eccléſiam Dei. *Philipp.* 3.

Ant. 1. f. Exiſtimáveram me adversùs nomen Jeſu Nazaréni debére multa contrária ágere: quod & feci Jeroſólymis. *Act.* 26.

℣. Singuláris ferus depaſtus eſt víneam tuam, Dómine; ℟. Réſpice de cœlo, & vide. *Pſ.* 79.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 9.

SAulus adhuc ſpirans minárum & cædis in diſcípulos Dómini, acceſſit ad Príncipem ſacerdótum, & pétiit ab eo epíſtolas in Damaſcum ad Synagógas: ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros

viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúſalem. Et, cùm iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damaſco: & súbitò circumfulſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audívit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſéqueris? Qui dixit: Quis es, Dómine? Et ille: Ego ſum Jeſus quem tu perſéqueris: durum eſt tibi contra ſtímulum calcitráre. Et tremens ac ſtupens dixit: Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum: Surge, & ingrédere civitátem; & ibi dicétur tibi, quid te opórteat fácere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, néminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertíſque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahentes introduxérunt Damaſcum. Et erat ibi tribus diébus non videns: & non manducávit neque bibit.

℟. Dixit Saulus Jeſu: Quis es, Dómine? Et Ille: * Ego ſum Jeſus quem tu perſéqueris: durum eſt tibi contra ſtímulum calcitráre. ℣. Hoc eſt verbum quod locútus eſt Dóminus ſuper eum; Cui exprobraſti? & quem blaſphemaſti? Sanctum Iſrael. * Ego ſum Jeſus. *Act.* 9. *Iſ.* 37.

Lectio ij.

Erat autem quidam diſcípulus Damaſci, nómine Ananías: & dixit ad illum in viſu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge, & vade in vicum qui vocátur Rectus; & quære in domo Judæ Saulum nómine, Tarſenſem: ecce enim orat. Et vidit virum, Ananíam nómine, introeuntem & imponentem ſibi manus, ut viſum recípiat. Reſpondit autem Ananías: Dómine, audívi à multis de viro hoc, quanta mala fécerit Sanctis tuis in Jerúſalem; & hic habet poteſtátem à Princípibus ſacerdótum alligandi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus: Vade, quóniam vas electiónis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram géntibus, & régibus & fíliis Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. Exurge, & ſta ſuper pedes tuos: * Appárui tibi, ut conſtítuam te miniſtrum & teſtem eórum quæ vidiſti, & eórum quibus apparébo tibi. ℣. Intéllige verba quæ ego loquor ad te: noli metúere. * Appárui. *Act.* 26. *Dan.* 10.

Lectio iij.

ET ábiit Ananías, & introívit in domum; & impónens ei manus, dixit: Saule frater, Dóminus miſit me Jeſus qui apparuit tibi in via quâ veniébas, ut vídeas, & impleáris Spíritu ſancto. Et conféſtìm cecidérunt ab óculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recépit: & ſurgens baptizátus eſt. Et cùm accepiſſet cibum, confortátus eſt. Fuit autem cum diſcípulis qui erant Damaſci, per dies áliquot. Et contínuò in ſynagógis prædicábat Jeſum, quóniam hic eſt Fílius Dei.

℟. Non fui incrédulus viſióni, * Sed † In omnem regiónem Judææ, & géntibus annuntiábam ut converterentur ad Deum, digna peniténtiæ ópera faciéntes. ℣. Dóminus apéruit mihi aurem; ego autem retrorsùm non ábii. * Sed in omnem. Glória. † In omnem. *Act.* 16. *Iſ.* 50.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Ego reſpondi: Quis es, Dómine? Dixítque ad me: Ego ſum Jeſus Nazarénus quem tu perséqueris. *Act.* 22.

Ant. 7. d. Qui mecum erant, lumen quidem vidérunt; vocem autem non audiérunt ejus qui loquebátur mecum. *Act.* 22.

Ant. 4. f. Dixi: Quid fáciam, Dómine? Dóminus autem dixit ad me: Surgens vade Damaſcum, & ibi tibi dicétur de ómnibus, quæ te opórteat fácere. *Act.* 22.

℣. Doce me fácere voluntátem tuam, ℟. Quia Deus meus es tu. *Pſ.* 142.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 1. *in Conv. S. Pauli.*

Lectio iv.

MEritò quidem, dilectíſſimi, Convérſio Doctóris géntium ab univerſitáte géntium feſtívis gáudiis hódie celebrátur: multos enim ab hac radíce ramos prodiiſſe vidémus. Converſus Paulus converſiónis miniſter factus eſt univerſo mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, ſed non jam ſecundùm carnem ámbulans, prædicatiónis officio convertit ad Deum: nunc quoque in ipſo felíciùs vivens, & apud ipſum ne adhuc quidem ceſſat ab hóminum converſióne: dico autem exemplo, oratióne, doctrínâ. Proptéreà dénique converſiónis ejus memória frequentátur, quod & ipſa quoque memorántibus útilis inveniátur. In hac enim memóriâ & peccátor ſpem véniæ cóncipit, ut provocétur ad pœniténtiam, &

qui jam pœnitet, perfectæ converſiónis áccipit formam.

℟. Ego ſum mínimus Apoſtolórum, qui non ſum dignus vocári Apóſtolus; quóniam * Perſecútus ſum Eccléſiam Dei: grátiâ autem Dei ſum id quod ſum. ℣. Hæc mutátio déxteræ Excelſi: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * Perſecútus. *I. Cor. 15. Pſ. 76.*

Lectio v.

SUbitò, ait Lucas, circumfulſit eum lux de cœlo. O verè inæſtimábilis divínæ dignátio pietátis! Illuſtrat cœleſti fulgóre vel à foris, intùs adhuc lúminis incapácem. Qui necdùm infundi póterat, divínâ ſaltem circumfúnditur claritáte. Et vox facta eſt: Saule, Saule, quare me perſéqueris? Et ille: Quis es, Dómine? Hinc profectò datur intélligi quia verè circumfúſa erat illi cláritas, non infúſa. Audiébat Paulus vocem Dómini, ſed fáciem Dómini non vidébat, quóniam erudiebátur ad fidem, & ut ipſe póſtea dócuit, fides ex audítu. Quis es, inquit? Ignótum enim perſequebátur, & ideò conſecútus eſt miſericórdiam, quia ignórans in incredulitáte hoc fecit. Díſcite ex hoc, juſtum júdicem Deum, non modò quid fiat, ſed & quo ánimo fiat, conſideráte; & cavéte deinceps, ne quis parva réputet, quámlibet parva ſcienter delinquere videátur.

℟. Cùm funderétur ſanguis Stéphani teſtis tui, * Ego aſtábam, & conſentiébam, & cuſtodiébam veſtiménta interficiéntium illum. ℣. Eduxérunt eum extra civitátem, & lapídibus interfecérunt. * Ego. *Act. 22. III. Reg. 21.*

Lectio vj.

QUis es, Dómine? Et Dóminus ad eum: Ego ſum Ieſus Nazarénus quem tu perſéqueris. Ego ſum ſalvátor quem tu perſequéndo petis. Ego ſum de quo in lege tua legis prædictum, quod neſcis implétum: (quia Nazaræus vocábitur.) Et ille: Dómine, quid me vis fácere? Hæc planè, fratres, perfectæ converſiónis eſt forma. O verbum breve, ſed plenum, ſed vivum & efficax, ſed dignum omni acceptióne! Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ obediéntiæ forma, qui ſuam ita abjécerint voluntátem, ut non quid ipſi, ſed quid Dóminus velit, omni horâ requírant, dicentes ſine intermiſſióne: Dómine, quid me vis fácere? Sic enim decet, ſic omnínò dignum

eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntátem.

℟. Damaſcum pergébam, ut addúcerem indè vinctos in Jerúſalem, ut punirentur: eunte me, médiâ die súbitò de cœlo circumfulſit me lux copióſa; & * Décidens in terram, † Audívi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me perſéqueris? ℣. Aúdiens jacébam conſternátus ſuper fáciem meam, & vultus meus hærébat terræ. * Décidens. Glória Patri. † Audívi vocem. *Act.* 22. *Dan.* 10.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Cùm non vidérem præ claritáte lúminis illíus, ad manum deductus veni Damaſcum. *Act.* 22.

Ant. 8. c. Erat quidam diſcípulus Damaſci, nómine Ananías: & dixit ad illum in viſu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. *Act.* 9.

Ant. 4. A. Dóminus ad eum: Surge, & quære Saulum nómine, Tarſenſem: ecce enim orat. *Act.* 9.

℣. A Dómino factum eſt iſtud: ℟. Et eſt mirábile in óculis noſtris. *Pſ.* 117.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 15

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Non vos me elegiſtis; ſed ego elégi vos, & póſui vos ut eátis, & fructum afferátis; & fructus veſter máneat. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 86. in Joann. Evang. §. 2.

AUdi, ingráte; ingráte, audi: Non vos me elegiſtis; ſed ego elégi vos. Non eſt ut dicas: Ideò electus ſum, quia jam credébam. Si enim credébas in eum, jam elégeras eum. Sed audi: Non vos me elegiſtis. Non eſt ut dicas: Antequàm créderem, jam bona operábar: ideò electus ſum. Quid enim eſt boni óperis ante fidem, cùm dicat Apóſtolus: Omne quod non eſt ex fide, peccátum eſt? Quid ergo dictúri ſumus audiendo: Non vos me elegiſtis; niſi quia mali erámus, & electi ſumus, ut boni per grátiam nos eligentis eſſémus? Non eſt enim grátia, ſi præceſſerant mérita. Eſt autem grátia; hæc ígitur non invénit, ſed effécit mérita.

℟. Dixit ad Ananíam Dóminus: * Vas electiónis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram géntibus; ego enim oſtendam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati. ℣. Abiit vagus in via cordis ſui; vias ejus vidi, & ſa-

návi eum, & reduxi eum. * Vas. *Act.* 9. *1ſ.* 57.

Lectio viij.

Serm. 168. *de Verb. Apoſt.*

Dicit Apóſtolus: Miſericórdiam conſecútus ſum. O confeſſio! Non ait: Miſericórdiam conſecútus ſum, quia fidélis eram: ſed: Ut fidélis eſſem, miſericórdiam conſecútus ſum. Veniámus ad ejus primórdia: videámus Saulum ſævientem: ſpectémus furentem: ſpectémus ódia anhelantem, ſanguinémque ſitientem. Spectémus, fratres, eum: magnum ſpectáculum! Ecce poſt Stéphani necem, poſt effúſum Teſtis Dei lapídibus ſánguinem, ubi veſtimenta ſervábat lapidántium, ut & in eórum étiam mánibus lapidáret, tunc diſperſi ſunt fratres; & ille ſæviens, cui parum erat vidiſſe & fudiſſe ſánguinem Stéphani, accépit litteras à princípibus ſacerdótum, ut iret Damaſcum, & quoſcumque ibi inveníret Chriſtiános, vinctos addúceret. Et ibat. Hæc Pauli via erat, cujus via nondum erat Chriſtus; adhuc Sauli, nondum Pauli. Ibat. Quid habébat in corde? Quid niſi malum? Date mihi mérita ejus. Si mérita quæris, damnatiónis ſunt, non liberatiónis. Ibat ergo ſævíre in membra Chriſti: ibat ſánguinem fúndere; ibat lupus, paſtor futúrus: ſic ibat. Et cùm ſic ámbulat, cógitat, anhélat cædes: ecce vox de cœlo: Saule, Saule, quid me perſéqueris? Ecce quare dixit: Miſericórdiam conſecútus ſum, ut fidélis eſſem. Erat infidélis; parum eſt, erat in ipſa infidelitáte crudélis; ſed miſericórdiam conſecútus eſt, ut fidélis eſſet.

℟. Véniens ad me Ananías dixit: Saule frater, Deus præordinávit te, ut vidéres Juſtum, & audíres vocem ex ore ejus; quia eris teſtis illíus: * Et nunc quid moráris? † Exurge, baptizáre, & áblue peccáta tua, invocáto nómine ipsíus. ℣. Inſíliet in te Spíritus Dómini, & prophetabis, & mutáberis in virum álium. * Et. Glória. † Exurge. *Act.* 22. *1. Reg.* 10.

De S. Prajecto, Claromontano Epiſcopo, & Martyre.

Lectio ix.

Præjectus Arvernus adhùc Diáconus Cáſſii, Victoríni, Anatoliáni & aliórum acta conſcripſit, qui Arvernis martyrio coronáti ſunt, Candidinenſi cœnóbio à Felíce Arvernórum Epíſcopo præpóſitus eſt, & Présbyter ordinátus. Felíci deindè vitâ functo

ſucceſſor datus unánimi ómnium voto & Regis aſſenſu, veri Paſtóris munus adimplévit. Noſocomíum extruxit ac monaſtéria: ſummâ curâ conquisívit mártyrum córpora, ut ea in locum honoratiórem transferret. Ad Regem Childerícum ſecundum profectus, ut Eccléſiæ ſuæ bona contra Héctorem Maſsíliæ Patrícium vindicáret, diversátus eſt in cœnóbio Doroangenſi in Vóſago, ubi Amarínum Abbátem à febre liberávit, qui eum ſecútus eſt ad Arvernos revertentem. Cùm autem rex in Héctorem animadvertiſſet, Agrícius quidam primóres civitátis in Præjectum excitávit; cúmque à ſicáriis apud Volovícum quærerétur, ejus loco Amarínus ab iis trucidátus eſt. Ille, ne corónâ martyrii fraudarétur, percuſsóribus ſe ultrò óbtulit, & Hic eſt, inquit, quem quæritis: impléte quod vobis imperátum eſt. Eórum ſtatim alter pugiónem in pectus ipſi adégit, alter verò cérebrum excuſſit invocanti ac dicenti: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum, quia néſciunt quid fáciunt. In eo pósteà loco Avítus Epíſcopus basílicam & monaſtérium cóndidit.

Te Deum. *pag.* 9.

A D L A U D E S.

Antiphona, 8. *toni*, g.

BAptizátus eſt Saulus; fuit autem cum diſcípulis qui erant Damaſci, per dies áliquot; & contínuò in ſynagógis prædicábat Jeſum. *Act.* 9.

Ant. 7. c. Consílium fecérunt in unum Judæi ut eum interfícerent: notæ autem factæ ſunt Saulo insídiæ eórum. *Act.* 9.

Ant. 1. G. Cuſtodiébant Judæi portas die ac nocte: accipientes autem eum diſcípuli nocte, per murum dimisérunt eum, ſubmittentes in ſporta. *Act.* 9.

Ant. 2. D. Cùm veniſſet.

Canticum II. *Reg.* 22.

TOnábit de cœlo Dóminus: * & excelſus dabit vocem ſuam.

Miſit ſagittas, & diſſipávit eos; * fulgur, & conſumpsit eos.

Et apparuérunt effuſiónes maris, * & reveláta ſunt fundamenta orbis.

Ab increpatióne Dómini, * ab inſpiratióne ſpíritûs furóris ejus.

Miſit de excelſo, & aſſumpſit me: * & extraxit me de aquis multis.

Gloria Patri.

Ant. Cùm veniſſet in Jeruſalem, omnes timébant eum; non credentes quòd eſſet diſcípulus; Bárnabas autem apprehenſum illum

duxit ad Apóſtolos. *Act.* 9.

Ant. 3. c. Narrávit illis Bárnabas quómodò in via vidiſſet Dóminum, & quia locútus eſt ei; & quómodò in Damaſco fiduciáliter égerit in nómine Jeſu. *Act.* 9.

Capitulum. I. Tim. 1.

Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus: Quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum primus ego ſum.

Hymnus.

Quæ glorióſum tanta cœlis évocat
Te, Chriſte, cauſa? Túne rurſùm víſere
Mundum redemptor? Túne judex ſéculi?
Novúmne prodis ultor hoſtem pérdere?

Heu! quàm cruentús perſecútor! quàm ferox
Inſurgit! horret ac fugit grex quâ premit:
Humána tanto nulla par hoſti manus:
Te, Chriſte, ſparſæ vindicem poſcunt oves.

Hunc ergo voce victor unâ ſúbjicis:
Totum ſed uno ſubdis in Saulo tibi
Vincíſque mundum: ſternis, ut mox érigas,
Agníſque prædam dívidat lupus tuis.

Sit Trinitáti ſempiterna glória,
Honor, poteſtas atque jubilátio,
In Unitáte, quæ gubernans ómnia,
Per cuncta regnat ſeculórum ſécula. Amen.

℣. Miſericórdias Dómini, ℟. In æternum cantábo. *Pſ.* 88.

Ad Bened. Ant. 5. a. Miſericórdiam Dei conſecútus ſum, quia ignórans feci in incredulitáte: ſuperabundávit autem grátia Dómini noſtri cum fide & dilectióne quæ eſt in Chriſto Jéſu. *I. Tim.* 1.

Oratio.

Illa, quæſumus, Dómine, grátia corda noſtra ad te convertat, quæ beátum Apóſtolum tuum Paulum de perſecutóre vas electiónis effécit: Per.

Comm. S. Prajecti. Ant. Bonum. ℣. Cantábo. *Orat.* Fac nos, *pag.* xv. & xiv.

AD PRIMAM.

Ant. 8. g. Baptizátus eſt.

AD TERTIAM.

Ant. 7. c. Consílium fecérunt.

Capitulum. Act. 26.

Non fui incrédulus cœleſti viſióni; ſed his qui ſunt Damaſci primùm, & Jeroſólymis & in omnem regiónem Judææ, & géntibus annuntiábam ut pœniténtiam ágerent.

℟. *br.* Intónuit * De cœlo Dóminus, ℣. Et Altíſ-

ſimus dedit vocem ſuam. * De cœlo Dóminus. Glória. ℟. Intónuit. *Pſ.* 17.

℣. Magnus es tu, Dómine, & fáciens mirabília; ℟. Tu es Deus ſolus. *Pſ.* 85.

AD SEXTAM.

Ant. 1. G. Cuſtodiébant.

Capitulum. Galat. 1.

ERam ignótus fácie Eccléſiis Judææ quæ erant in Chriſto: tantùm autem audítum habébant, quóniam; Qui perſequebátur nos aliquando, nunc evangelízat fidem quam aliquandò expugnábat: & in me clarificábant Deum.

℟. *br.* Bonitátem * Feciſti cum ſervo tuo, Dómine, ℣. Secundùm verbum tuum. * Feciſti. Glória. ℟. Bonitátem.

℣. Cogitávi vias meas, ℟. Et converti pedes meos in teſtimónia tua. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

Ant. 3. c. Narrávit illis.

Capitulum. Act. 9.

STupébant omnes qui audiébant, & dicébant: Nonne hic eſt qui expugnábat in Jerúſalem eos qui invocábant nomen iſtud?

℟. *br.* Exultábo * In miſericórdia tua, Dómine; ℣. Quóniam reſpexiſti humilitátem meam. * In miſericórdia tua, Domine. Glória. ℟. Exultábo. *Pſ.* 10.

℣. Poteſtas Dei eſt; ℟. Et tibi, Dómine, miſericórdia. *Pſ.* 61.

AD II. VESPERAS.

Antiph. 1. *toni*, D.

DIſſipátum eſt vas quod figulus faciébat è luto mánibus ſuis: converſúſque fecit illud vas álterum. *Jerem.* 18.

Ant. 3. a. Bona in mala convertens inſidiátur, & in electis imponet maculam. *Eccli.* 11.

Ant. 8. g. Vidit Deus præſumptiónem cordis ejus, quóniam mala eſt: adimplévit propitiatiónem ſuam in illo, & oſtendit ei viam æquitátis. *Eccli.* 18.

Ant. 4. E. Tu revertéris & audies vocem Dómini Dei tui. *Deut.* 30.

Ant. 5. C. Laudábis Deum, & gloriáberis in miſeratiónibus illius. *Eccli.* 17.

Capitulum I. Tim. 1.

IDeò miſericórdiam conſecútus ſum; ut in me primo oſténderet Chriſtus Jeſus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri ſunt illi in vitam ætérnam.

Hymnus, Paſtóre percuſſo, *pag.* 552.

℣. Pſallam tibi in natiónibus, Dómine; ℟. Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua. *Pſ.* 107.

Ad Magnif. Ant. 6. F.

Cùm plácuit ei qui me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuam ut reveláret Fílium ſuum in me, ut evangelizárem illum in géntibus; contínuò non acquiévi carni & ſánguini. *Galat.* 1.

Deindè fit Commemoratio S. Polycarpi, Epiſcopi & Martyris.

Ant. Angelo Smyrnæ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit primus & noviſſimus; qui fuit mórtuus & vivit: Scio tribulatiónem tuam & paupertátem tuam; ſed dives es. *Apoc.* 2. 8.

℣. Juſtus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuam. *Pſ.* 36.

Oratio, Deus, mundi, *ut infrà, pag.* 562.

DIE XXVI.

In Feſto S. POLYCARPI, Smyrnenſis Epiſcopi, & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, pag. viij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio ij. Cap. 27.

POlycarpus, Joannis Apóſtoli diſcípulus, & ab eo Smyrnæ Epíſcopus ordinátus, totíus Aſiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apoſtolórum, & eórum qui víderant Dóminum, magiſtros habúerit & víderit. Hic propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiónes, ſub Imperatóre Antoníno Pio, Eccléſiam in urbe regente Anicéto, Romam venit, ubi plúrimos credéntium, Marciónis & Valentíni perſuaſióne deceptos, redúxit ad fidem. Cúmque ei fortúitò óbviam fuiſſet Márcion, & díceret: Cognoſcis nos? reſpondit: Cognoſco primogénitum diáboli. Póſteà verò, regnante Marco Antoníno, & Lúcio Aurélio Cómmodo, quartâ poſt Nerónem perſecutióne, Smyrnæ, ſedente Procónſule, & univerſo pópulo in amphitheátro adversùs eum perſonante, igni tráditus eſt. Scripſit ad Philippenſes valdè útilem Epíſtolam quæ uſque hódie in Aſiæ conventu légitur.

De Epíſtola Eccléſiæ Smyrnenſis ad Eccléſias Ponti. *Apud Euſ. Hiſt. Eccl. l.* 4.

Lectio iij.

POlycarpus, cùm ad tribúnal Procónſulis adductus fuiſſet, inſtábat Procónſul dicebátque: Jura, & prótinùs te dimittam: dic convícia adversùs Chriſtum. Polycarpus reſpon-

dit: Sex & octoginta contínuos annos ei miniſtrávi, nec ullâ me unquàm affécit injúriâ: & quómodò poſſum ímpiè loqui advérsùs Regem meum, Auctorémque ſalútis meæ? Urgente rursùs Procónſule, ac dicente: Jura per génium Cæſaris; Polycarpus dixit: Síquidem ambitiósè contendis ut ego per génium quem vocas Cæſaris, jurem, símulans te ignoráre quis ſim, audí líberè profiténtem: Chriſtiánus ſum. Quo audíto, ſtatìm universa multitúdo gentílium ac Judæórum incredíbili furóre acclamávit, ut Polycarpus vivus combureréur. Extructo ígitur rogo, Polycarpus, veſte depóſitâ, cùm eum clavis affígere vellent: Sínite me, inquit: qui enim mihi vires dat ad ignis ſupplícium fórtiter ſuſtinendum, idem dabit ut immótus rogo inſiſtam. Proindè, omiſſis clavis, vínculis duntaxat eum aſtrinxérunt. Ille ígitur manus poſt tergum connectens, & ad palum revinctus, oráre cœpit. Cujus oratióne complétâ, miniſtri rogum accendunt. Cúmque ingens flamma exarſiſſet, mira res viſa eſt... Ignis enim fórnicis ſpéciem præbens, tanquàm velum navis ventórum flatu ſinuátum, circùm corpus Mártyris ſtetit: quod quidem in médio póſitum, non ut caro aſſa videbátur, ſed velut aurum aut argentum, quod in fornáce excóquitur. Cernentes autem ímpii ac profáni hómines corpus flammis non poſſe consúmi, confectórem própiùs accédere, enſémque altè in corpus adígere juſsérunt. Quo facto, tanta vis sánguinis effluxit, ut ignis prorsùs extingueréтur... Porrò cùm Centúrio pertináciam Judæórum animadvérteret, corpus in médio collocátum concremávit. Atque ita nos demùm oſſa íllius gemmis pretioſíſſimis carióra, & quovis auro purióra colligentes, uti decébat, condídimus.

Ad Laud. poſt Hymn.

℣. Cepérunt ánimam meam; ℟. Irruérunt in me fortes. *Pſ.* 58.

Ad Benedict. *Ant.* 1. G. Nihil horum tímeas quæ paſsúrus es: eſto fidélis uſque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. *Apoc.* 2.

Oratio.

Deus, mundi creátor & rector, qui hunc diem beáti Pontíficis Polycarpi martyrio conſecraſti, concéde propítius, ut omnes qui martyrii ejus mé-

rita venerantur, interceſſiónibus ejus, ab æternis gehennæ incéndiis liberentur; Per Dóminnm.

Commem. Virg. Deip.

. *Vesperæ à Capitulo de ſequenti.*

Pro Commem. S. Polycarpi.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Qui habet aurem, aúdiat quid Spíritus dicat Eccléſiis: Qui vícerit, non lædétur à morte ſecundâ. *Apoc.* 2.

℣. Poſuiſti, Dómine, in cápite ejus, ℟. Corónam de lápide pretióſo. *Pſ.* 20.

Oratio, ut ſuprà.

Deindè Comm. V. Deip.

DIE XXVII.

In Feſto SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI, Conſtantinopolitani Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, pag. xxxiv. *exceptis quæ ſequuntur. Oratio*, Da nobis, *infrà.*

Lectio ij.

JOannes, Antiochíæ natus, in adoleſcéntia baptizátus à ſancto Melétio Epíſcopo, per annos áliquot in ſolitúdine vitam egit. Quinto poſt ſuſceptum Diaconátum anno, Présbyter Antiochénæ Eccléſiæ à Flaviáno creátus, homílias hábuit ad pópulum tantâ cum eloquéntiâ, ut inde Chryſóſtomus ſit appellátus. Exactis eo in múnere annis duódecim, Antiochíæ ſubductus, in ſede Conſtantinopolitána, mórtuo Nectário, invítus ſufficitur. Forma gregis factus, reſécuit ſumptus inútiles Eccléſiæ ac famíliæ Epiſcopális; & quod indè ſupérerat, in paúperum cómmodum convertit, præſertìm infirmórum, quibus & noſocomía conſtruxit. Sex Aſiæ Epíſcopos ab Antoníno Epheſíno per ſimóniam ordinátos, in Epheſína ſynodo exauctorávit: ac pari ánimi fortitúdine óbſtitit ne Ariánis, Gaínæ ducis Gothórum præſídio elátis, baſílica concederétur. Fidem in Scythia prædicandam, idolórum templa in Phœnícia diruenda curávit. Cùm autem vitam inſtituiſſet áſperam & ſevéram, ac depravátos ómnium órdinum mores corrígere niterétur, multórum ſúbiit invídiam, Eudóxiæ Auguſtæ in primis; quæ conciónantis verba quædam quaſi in ſe contumelióſa indignè ferébat. Quare hábita eſt apud Quercum, Chalcedónis ſubúrbium, Epiſcopórum áliquot Chryſóſtomo infensórum tumultuária ſynodus; in qua, agente Theóphilo Alexandríno, annitente Eudóxiâ, depó-

ſitus, ejectus eſt in exílium; quem pópulus incredíbili ſtúdio, nocte licèt urgente, longè proſecútus eſt. Sed paulò pòſt, facto terræ motu, & coortâ ſeditióne plebis, ab exílio revocátur.

Lectio iij.

CUm autem pérditos mores argúere non deſiſteret, & ad argénteam Eudóxiæ ſtátuam in foro ſanctæ Sóphiæ erectam hiſtriónes lúdere, & à vulgi clamóribus divínam pſalmódiam interturbári mínimè paterétur, ídque públicâ oratióne reprehendiſſet, in Epiſcopórum conventículo íterum damnátus eſt, quòd in ſedem ſuam abſque novæ ſynodi judício rediiſſet: &, ipsâ nocte Páſchatis, Eccléſiâ pulſus, Arcádii imperatóris juſſu, paucis pòſt ménſibus Cucúſum in Arméniam amandátur. Epíſcopi autem quadraginta aliíque complúres qui ipſi adhæſerant, hincque Joannítæ dicebantur, váriis torméntis affiiciuntur. Interìm contínuâ febre debilitátus Joannes, cœptum iter perágere cógitur, donec Cæſaréam Cappadóciæ venit; ubi cùm per áliquot dies commorátus eſſet, remíttere paúlulùm vis morbi cœpit: ſed Cæſarienſis Epíſcopi, monachorúmque factióne rursùm exagitátus, réddere ſe itíneri, atque Iſaurórum regiónem vaſtántium immanitáti ſe expónere coactus eſt. Cucúſum tandem, quò amandátus fúerat, pervénit: ibíque hyemis incleméntiâ penè enectus, Arméniæ paúperes frumento & cœleſti verbo páſcere non déſtitit. Hinc, propter crebras Iſaurórum incurſiónes, Arabiſſum munítius óppidum, non ſine perículo, tranſlátus eſt, deindè Pityuntem; ut aſſíduis itínerum labóribus conficerétur. Cománâ cùm adventaſſet, pernoctávit in Eccléſia ſancti Baſílìſci; ubi beátus Martyr ſic eum in ſomnis affátus eſt: Confíde, frater Joannes; cras enim ſimul érimus. Sumptis poſtrídiè cœléſtibus Sacramentis, conſignans ſe in modum crucis, ánimam Deo réddidit, décimâ quartâ die Septembris, anno quadringentéſimo ſéptimo. Corpus ejus, poſt áliquot annos, Theodóſius Arcádii filius Conſtantinópolim tránſtulit inſigni pompâ, ſexto calendas Februárii; ejúſque relíquias venerátus, pro paréntibus véniam precátus eſt.

Oratio.

DA nobis, in ſacro miniſtério, Dómine, ſpíritum ſapiéntiæ & fortitú-

dinis, quo beátus Joannes Chrysóſtomus peccantes argúere non déſtitit, & multíplices ærumnas pro tui nóminis amóre ſuperávit; Per Dóminum.... in unitáte ejuſdem....

Commem. Virg. Deip.

In II. Vesp. *Commem. S. Paulæ Viduæ; deindè Virginis Deip.*

Die XXVIII.

In Feſto

SANCTÆ PAULÆ, Viduæ Romanæ.

Simplex.

Omnia ut in Communi SS. Mulierum. pag. lxxix. *Oratio, ut infrà.*

Lectio iij.

PAula Romána ex Scipiónum & Gracchórum génere poſt mortem Toxótii cónjugis, ex quo quátuor filias, Blæſillam, Paulínam, Euſtóchium cognoménto Júliam, & Rufínam, filiúmque unum Toxótium ſuſcéperat, divítias penè omnes in paúperes erogávit. Epiſcopórum autem Paulíni Antiochíæ, & Epiphánii Salamínæ qui tunc Romam vénerant, virtútibus accenſa, poſt annos à morte Toxótii cónjugis quinque, Euſtóchio ſolâ cómite, pátriam relíquit ut loca ſancta inviſeret ac veneraréturr, & apud Béthlehem consédit; ubi tria vírginum monaſtéria, virorúmque unum conſtruxit. Illîc, Hierónymo diſſerente, vetus & novum Teſtamentum cum Euſtóchio perlégit, magnam adepta Hebráicæ linguæ perítiam. Elapſis annis viginti, mortem jam imminentem séntiens; quaſi ad ſuos pérgeret, alienóſque deséreret, has voces, Déficit ánima mea in átria Dómini, alióſque ejuſdem pſalmi versículos, ad extrémum uſque ſpíritum repetébat, digitúmque ad os tenens crucis ſignum exprimébat in lábiis. Obiit anno Dómini quadringentéſimo quarto, & ſepulta eſt apud Béthlehem in médio Eccléſiæ Speluncæ Salvatóris.

Oratio.

DEus, qui dignè tibi ſerviéntium nos imitári præcipis famulátum; da nobis flammâ tuæ caritátis accenſis, ut beátæ Paulæ, quæ tibi plácuit, mereámur obtinére conſórtia; Per Dóminum.

In Laud. Comm. Virg. Deip.

Vesp. de ſequenti. Commem. Virg. Deiparæ.

Die XXIX.

In Feſto

S. FRANCISCI SALESII, Genevenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

[*In Cathedr. Dupl.*

Fit cum tribus Noct. In II. Noct. tres Lectiones, de duabus quæ ſequuntur, diviſione factâ ad Aſteriſcos **. *Reliqua de Communi*].

Omnia de Communi SS. Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ ſequuntur. Oratio, infrà.*

Lectio ij.

FRanciſcus, in Caſtro Saléſio, unde famíliæ cognómen, piis & nobílibus paréntibus natus, à téneris annis morum innocéntiâ & gravitáte cláruit. A púero liberálibus diſciplínis erudítus; mox Philosóphiæ & Theológiæ Parísiis, deindè utríque Juri Patávii óperam dedit. In æde Lauretána perpétuæ virginitátis votum, quo pridem ſe Paríſiis obſtrínxerat, innovávit; à cujus virtútis propóſito nunquam pótuit dimovéri. * In pátriam redux, recusátâ in Sabaúdiæ ſenátu amplíſſimâ dignitáte Clericáli milítiæ nomen dedit. Tum Sacerdótio initiátus, & Genevenſis Eccléſiæ præpoſitúrâ decorátus à Granério Epíſcopo, vindicandis ab hæreſi Calviniána Chaballicénſibus, aliíſque finítimis pópulis divíni verbi præco deſtinátur. Quam expeditiónem álacri ánimo ſuſcípiens, aſpérrima quæque perpeſſus eſt. His in locis, Thunóne máximè, cùm ſacrum fácere non licéret, in arcem Ablingiánam quátuor milliáribus diſtantem ſe recípere cogebátur.

Lectio iij.

PLúrimos ab hæreſi ad Cathólicam fidem reduxit: unde ab hæréticis, calúmniis impetítus, ſæpè étiam ad necem conquisítus eſt. Suſcepto regímine paróchiæ, quam Thunóne eréxerat, cùm eam regiónem dira lues depopularétur, ómnibus ómnia córporis & ánimæ ſubsídia amanter, conſtanter atque indúſtriè procurávit. ** In Coadjutórem à Granério aſcítus, Annecéii ſeminárium Clericórum inſtítuit. Granério mórtuo, Epíſcopus conſecrátus, coégit Synodum, & Eccleſiáſticæ diſciplínæ leges Clero ſanxit. Libros conſcripſit Dei amórem ſpirantes. Inſtítuit Congregatiónem Moniálium, à Viſitatióne Beátæ Maríæ dictárum. Recusáto Coadjutóris Pariſienſis múnere, dum ad diœcéſim revértitur, Lugdúni apopléxiâ correptus, munítus Eccléſiæ Sacramentis, óbiit die vigéſimâ octávâ Decembris, anno ætátis quinquagéſimo ſexto, Chriſti millésimo ſexcentéſimo vigéſimo ſecundo. Quem mi-

ráculis clarum Alexander ſéptimus Sanctórum albo inſéruit: & ejus memóriam ſtátuit colendam die vigéſimo nono Januárii, quo die Annecéii ſepultus fúerat.

Oratio.

DEus, qui ad animárum ſalútem, beátum Franciſcum Saléſium Pontíficem ómnibus ómnia factum eſſe voluiſti: concéde propítius, ut caritátis tuæ dulcédine perfúſi, ejus dirigéntibus mónitis, ac ſuffragántibus méritis, ætérna gáudia conſequámur; Per Dóminum.

In Laud. *Commem. Virg. Deiparæ.*

In Vesp. *fit à Capit. de S. Bathilde Vidua.*

Commem. præced. Deindè S. Aldegundis Virg. Ant. Córpora. ℣. Afferentur, *pag.* lxxi. *Orat.* Intervéniat, *ut infrà ad Laud. Ultimò de B. Virg. Deip.*

[In Cathedr. *Veſpéræ de S. Franciſco Saleſio. Commem. ſequentis.*]

Die XXX.

In Feſto

S. Bathildis, Reginæ Francorum, & Viduæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Mulierum, pag. lxxix. *exceptis quæ ſequuntur. Orat.* Deus, in quem ſperat. *in Comm. pag.* lxxxv.

Lectio ij.

BAthildis, in Anglia Sáxonum génere orta eſt; quæ cùm Erchinoaldo majóri domûs régiæ véndita eſſet, ab eo ad porrigenda ſibi pócula adhíbita eſt, ac demùm, mórtuâ cónjuge, in uxórem expetíta. Quibus illa dùm ſe núptiis ſubtrahit, ad Clodovéi ſecundi conjúgium inſperátò pertráhitur. Mórtuo Clodovéo, trium filiórum Clotárii, Childeríci & Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam geſſit, regnúmque ſapienter moderáta eſt. Fuit in consílio prudens, benigna in pópulum, in egénos liberaliſſima. Simoníacas ordinatiónes abolévit, prohíbuit ne éxteris venderentur Chriſtiáni, plúrimos à ſervitúte redémit: effécit ut in Monaſtério ſancti Germáni Autiſſiodorenſis, & múltis áliis reguláris diſciplína aut ſervarétur, aut reſtitueréntur. Corbéiæ ad Summam cœnóbium extruxit, álterum Calæ ad Mátronam, in quo, relictâ Clotário jam adulto regni adminiſtratióne, ipſa, ſuſcepto religiónis hábitu, ſub obediéntia Bertillæ Abbatiſſæ, tantâ humilitáte vixit, ut

nec à vilióribus officiis abhorréret. Cùm ómnibus & exemplo & admiratióni fuiſſet, mórtua eſt anno ætátis quinquagéſimo quinto.

De S. Aldegunde, Virgine.

Lectio iij.

ALdegundis, Virgo nobilíſſimis paréntibus & opulentíſſimis Waldeberto & Bertiláne, in Bélgio nata, cùm uni ſponſo Chriſto adhærére ſtatuiſſet, Eudónis qui ejus núptias expetíerat, ámbitu rejecto, è villa Curtiſolra, in qua habitábat mater orbáta viro, fugit in ſeceſſum, cui pósteà Malbódii nomen, tunc nemóribus cónſitum ad flúvium Sabim; illícque, cónſcio némine, cùm aliquándiù delituiſſet, Amandum & Autbertum, viros ſanctitáte conſpícuos, in cœnóbio Altimontenſi adivit, acceptóque ab illis ſacro velámine, Malbódium rédiit. * Nec mora: ampliſſimam, quæ ei obvénerat à patre, hæreditátem in conſtituendo Monaſtério conſumpſit; quod ſanctíſſimæ Dei genitríci Maríæ per Autbertum Epíſcopum dicátum eſt. Eò ipſa ſervórum & ancillárum Dei máximam multitúdinem ad amplecténdam religióſam vitam pellexit; quibus, ut paupertátem caritatémque erga egénos ſuo exemplo commendáret, nihil ex iis divítiis quibus affluébat, præter tenuíſſimum victum vilémque veſtitū ſibi ſervávit. ** Sólidos étiam quàm plúrimos ſibi à matre relictos paupéribus erogávit, dícere ſólita: Sátius eſt vel unum ſólidum própriâ manu paupéribus dare, quàm centum poſt mortem relínquere. In villa ſua Curtiſolrâ património quondàm ſuo, dum monaſtérii ſui prædia víſitat, deceſſit & ſepulta eſt. Nec ita multò pòſt Malbódium tranſláta.

Ad Laud. Pro Comm. S. Aldegundis, Ant. Exultábit. ℣. Lætábor. *in Communi Virg. pag.* lxxvj.

Oratio.

INterveniat pro nobis, quæſumus, Dómine, beáta Virgo Aldegundis, quæ pro tui nóminis amóre virginitátis laudandæ propóſitum, intemeráto ſemper córpore & corde, ſervávit; Per Chriſtum.

Comm. Virginis Deip.

FESTA FEBRUARII.

Die I.

In Feſto SANCTI IGNATII, Antiocheni Epiſcopi, & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, *pag.* viij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Oratio, Omnípotens. *pag.* xv.

Lectio ij.

Ignátius, qui & Theóphorus, Apóſtoli Joannis diſcípulus, Antiochénæ Eccléſiæ poſt Evódium Petri ſucceſſórem fuit Epíſcopus. Vir ille planè Apoſtólicus, divínæ lámpadis inſtar, fidélium mentes enarrandis Scriptúris illuminávit. Sub príncipe Domitiáno à multárum perſecutiónum procellis Eccléſiam ſuam oratiónibus & jejúniis deféndcrat: véritus ne quem eórum qui puſillánimes & magis símplices erant, perſecútio proſtérneret. Sed, quia ipſi nondùm contigerat ut ánimam ſuam pro Chriſto póneret, putábat ſe nondùm ad perfectam Dei caritátem perveniſſe. Itaque volens ad Trajánum ductus eſt, cùm is eſſet Antiochíæ feſtínans in Parthos; à quo cùm ſe damnátum ad béſtias audiſſet, dixit exultans: Grátias ago tibi, Dómine, qui me perfectâ tuî caritáte honoráre dignátus es. Vinctus ergo Romam míttitur. Cùm návigans Smyrnam veniſſet, ubi Polycarpus audítor Joannis erat Epíſcopus, Epíſtolas ſcripſit quátuor, unam ad Ephéſios, álteram ad Magneſiános, tértiam ad Trallenſes & quartam ad Romános. Indè cùm Tróadem veniſſet, Epíſtolas tres ſcripſit, unam ad Philadelphienſes, álteram ad Smyrnæos, tértiam verò ad Polycarpum, cui Antiochénam Eccléſiam commendábat. Hos omnes monébat in primis, ut ſibi à pravis hæreticórum opiniónibus cavérent, hortabatúrque ut Apoſtolórum traditiónibus tenáciter inhærérent. In his prætéreà Epíſtolis Cathólicam de Incarnatióne & Euchariſtiâ doctrínam diſertis verbis expónit.

Lectio iij.

Illuſtre in primis eſt quod de ſuo martyrii deſidério ſcripſit ad Romános his verbis. Utinàm iis béſtiis fruar quæ mihi parátæ ſunt, quas équidem opto ut quàm primùm invéniam! Palpatúrus ſum eas, ut me celé-

riter dévorent, neu metu abſtérritæ mihi parcant, quemádmodùm nonnullis pepercérunt. Quòd ſi fortè recusábunt, ego eas vi ádigam. Ignóſcite mihi, filíoli : quid mihi proſit ego ſcio. Nunc tandem incípio eſſe Chriſti diſcípulus. Nihil viſibílium moror, nihil inviſibílium, ut Jeſu Chriſto poſſim potíri. Ignis, crux, beſtiárum ímpetus, óſſium diſtráctio, confráctio membrórum ac totíus córporis contúſio, diáboli dénique ſupplícia in me unum cumulentur, dúmmodò Chriſto frui mihi líceat. Jam datus ad béſtias, cùm audíret leónes rugientes, ardóre patiendi ait : Frumentum ego ſum Dei, & ferárum déntibus molor atque commínuor, ut panis mundus efficiar. Paſſus eſt anno undécimo Trajáni. Relíquiæ córporis ejus Antiochíam relátæ ſunt; in quarum Tranſlatiónis Anniversário ſanctus Joannes Chrysóſtomus elegantem hábuit oratiónem.

Oratio, Omnípotens, *ut in Communi unius Martyris, pag.* xv.

AD LAUD. *Commem. Virg. Deip.*

VESPERÆ de ſequenti, ſine ulla Commem.



DIE II. FEBRUARII.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS DOMINI, ET PURIFICATIONIS B. M. VIRGINIS.

Duplex II. Claſſis.

In Primis Veſperis.

Pſalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni*, D.

STatim véniet ad templum ſuum Dominátor quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis. *Malach.* 3.

Ant. 1. D. Ecce venit, dicit Dóminus exercítuum: & quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans. *Malach.* 3.

Ant. 3. a. Purgábit filios Levi, & colábit eos quaſi aurum & quaſi argentum. *Malach.* 3.

Ant. 4. E. Erunt Dómino offerentes ſacrificia in juſtítia; & placébit Dómino ſacrificium Juda & Jeruſalem. *Malach.* 3.

Ant. 5. a. Non dicent ultrà, Arca teſtamenti Dómini; neque recordabuntur illíus: vocábunt Jeruſalem Sólium Dómini. *Jerem.* 3.

Capitulum. Iſ. 56.

ADdúcam eos in montem ſanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ: holocáuſta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi ſuper altári meo.

℞. Véniet Deſiderátus cunctis géntibus: & implébo domum iſtam glóriâ. * Magna erit glória domûs

iſtíus noviſſimæ plus quàm primæ, dicit Dóminus. ℣. Amplióris glóriæ Jeſus præ Móyſe dignus eſt hábitus, quantò ampliórem honórem habet domûs qui fabricávit illam. * Magna erit. Glória. * Magna. *Agg.* 2. *Hebr.* 3.

Hymnus.

STupete, gentes: fit Deus hóſtia.
Se ſponté legi Légifer óbligat:
Orbis Redemptor nunc redemptus:
Seque piat ſine labe Mater.

De more matrum Virgo puérpera
Templo ſtatútos abſtínuit dies:
Intráre ſanctum quid pavébas,
Facta Dei priùs ipſa templum?

Ara ſub unâ ſe vovet hóſtia
Triplex; honórem Virgíneum ímmolat
Virgo ſacerdos, parva mollis
Membra puer, ſeniórque vitam.

Eheu! quot enſes tranſ-[illegible]digent tuum
Pect[illegible] quot altis nata dolóribus!
O Virgo, quem geſtas in ulnis,
Imbuet hic ſacer Agnus aram.

Christus futúro, corpus adhuc tener,
Prælúdit infans víctima fúneri:
Creſcet; profúſo vir cruóre
Omne ſcelus móriens piábit.

Sit ſumma Patri, ſummaque Fílio,
Sit ſumma ſancto glória Flámini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Benedictiónem dabit Legiſlátor; ℟. Vidébitur Deus deórum in Sion. *Pſ.* 83.

Ad Magníf. *Ant.* 6. *P.* Præparáre in occurſum Dei tui, Iſrael; quia ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians hómini elóquium ſuum: Dóminus Deus exercítuum nomen ejus. *Amos.* 4.

Orat. infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi de Feria.

Hymnus, Virgo, Dei Génitrix, *pag.* xciv.

AD MATUTINUM.

Invitat. Venientem ad templum ſuum Dominatórem & Angelum teſtamenti, * Veníte, adorémus. *Malach.* 3.

Pſalm. Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

TEmpli ſacrátas pande, Sion, fores;

Chriſtus ſacerdos intrat & hóſtia :
Cedant inánes Veritáti,
Quæ ſe ánimis áperit, figúræ.
Non immolandi jam pécudum greges :
Fumábit ater non cruor ámplius :
En ipſe placando Parenti
Ipſe ſuis Deus aſtat aris.
Virgo latentis cónſcia Núminis,
Demiſſa vultus, quem péperit Deum,
Hunc geſtat ulnis; pauperúmque
Múnera fert; téneras vólucres.
Hic omnis ætas, omnis & áſtitit
Sexus, propinquo Númine plénior;
Chriſtúmque anhelantis tot annos
Nunc fidei prétium reportant.
Testes tot inter, magnánimo, Deus,
Tibi litábat, fida ſiléntio,
Verbi ſilentis muta mater :
Quanta ánimo reticébat alto!
Sit ſumma Patri ſummaque Filio :
Sit ſumma ſancto glória Flámini :
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Pſalmi de Officio parvo.

Ant. 1. a. Péperit Filium, & adduxit eum ad domum Dómini : puer autem erat adhuc infántulus. *I. Reg.* 1.

Ant. 2. D. Aſcendit vir ejus, ut immoláret Dómino hóſtiam ſolemnem. *I. Reg.* 1.

Ant. 3. *a.* Obtulérunt púerum, & adoravérunt ibi Dóminum. *I. Reg.* 1.

℣. Pórtio mea, Dómine, ℟. Dixi cuſtodíre legem tuam. *Pſ.* 118.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 13.

Locútus eſt Dóminus ad Móyſen dicens : Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in fíliis Iſrael, tàm de homínibus quàm de jumentis : mea ſunt enim ómnia. Et ait Móyſes ad pópulum : ... Cùm introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, ſicut jurávit tibi & pátribus tuis, & déderit tibi eam; ſeparábis omne quod áperit vulvam Dómino, & quod primitívum eſt in pecóribus tuis : quidquid habúeris maſculíni ſexûs, conſecrábis Dómino. Primogénitum áſini mutábis ove : quòd ſi non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis, prétio rédimes. Cúmque interrogáverit te fílius tuus cras dicens : Quid eſt hoc? reſpondébis ei : In manu

gális puríficet obſervátio, quæ puríſſima facta eſt in ipſo partu immaculáto?

℟. Prióre tabernáculo habente ſtatum, hóſtiæ non poſſunt perfectum fácere ſervientem: * Nunc autem ad deſtitutiónem peccáti, per hóſtiam ſuam Chriſtus appáruit. ℣. Numquid placári poteſt Dóminus in mílibus aríetum? aut in multis míllibus hircórum pínguium? * Nunc autem. *Hebr.* 9. *Mich.* 6.

Lectio v.

Verè, ô beáta Virgo! verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatióne; ſed numquid Fílio tuo opus erat circumciſióne? Eſto inter mulíeres tanquàm una eárum, nam & Fílius tuus ſic eſt in número puerórum. Circumcídi vóluit, & non multò magìs volet offerri? Offer Fílium tuum, Virgo ſacráta, & benedictum fructum ventris tui Dómino repræſenta. Offer ad noſtram ómnium reconciliatiónem, hóſtiam ſanctam, Deo placentem. Omninò acceptábit Deus Pater oblatiónem novam, & pretioſíſſimam hóſtiam, de qua ipſe ait: Hic eſt Fílius meus dilectus, in quo mihi benè complácui.

℟. Sacrifícium & oblatiónem noluíſti, aures autem perfecíſti mihi: * Holocauſtum & pro peccáto non poſtulaſti; tunc dixi: Ecce vénio. ℣. Impoſsíbile eſt ſánguine taurórum & hircórum auferri peccáta. * Holocauſtum. *Pſ.* 39. *Hebr.* 10.

Lectio vj.

Sed oblátio iſta fratres, ſatis delicáta vidétur, ubi tantùm ſiſtitur Dómino, redímitur ávibus, & íllicò reportátur. Véniet quandò non in templo offerétur, nec inter bráchia Simeónis, ſed extra civitátem inter bráchia Crucis. Véniet quando non redimétur alièno, ſed álios rédimet ſánguine próprio: illud erit ſacrifícium veſpertínum; iſtud eſt matutínum. De utróque tamen potes accípere quod Prophéta prædixit: Oblátus eſt, quia ipſe vóluit. Nam & modò oblátus eſt; non quia opus hábuit, non quia ſub legis edicto fuit, ſed quia ipſe vóluit. Et in cruce nihilóminùs oblátus eſt; non quia méruit, non quia Judæus pótuit, ſed quia ipſe vóluit... Sed quid, fratres, nos offérimus? aut quid retribúimus illi pro ómnibus quæ retríbuit nobis? Ille pro nobis óbtulit hóſtiam pretioſiórem quàm hábuit, nimirùm quâ pretióſior eſſe non pótuit. Et

nos ergo faciámus quod póſſumus, óptimum quod habémus offerentes illi; quod ſumus útique noſmetipſi. Duo minúta hábeo, Dómine: corpus & ánimam dico: útinàm hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre!

℟. Chriſtus, qui per Spíritum ſanctum ſemetipſum óbtulit immaculátum Deo, novi teſtamenti mediátor eſt, * Ut repromiſſiónem accípiant, qui vocáti ſunt ætérnæ hæreditátis. ℣. Vétera tranſiérunt, ecce facta ſunt ómnia nova. * Ut. Glória. * Ut repromiſſiónem. *Hebr. 9. II. Cor. 5.*

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Aperíte portas, & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem. *Iſ. 26.*

Ant. 7. d. Ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Símeon: Spíritus ſanctus erat in eo; & venit in ſpíritu in templum. *Luc. 2.*

Ant. 8. g. Anna Propheteſſa, ipsâ horâ ſupervéniens, confitebátur Dómino. *Luc. 2.*

℣. Vidérunt ingreſſus tuos, Deus; ℟. Ingreſſus Dei mei, Regis mei qui eſt in ſancto. *Pſ. 65.*

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore: Poſtquàm impléti ſunt dies purgatiónis Maríæ ſecundùm legem Móyſi, tulérunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Dómino, ſicut ſcriptum eſt in lege Dómini. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſec. Luc. Cap. 2. §. 55.

ET ecce homo erat in Jerúſalem, cui nomen Símeon: & homo iſte juſtus & timorátus, expectans conſolatiónem Iſrael. Non ſolùm ab Angelis & Prophétis, à Paſtóribus & paréntibus, ſed étiam à ſenióribus & juſtis generátio Dómini áccipit teſtimónium. Omnis ætas, & uterque ſexus, eventorúmque mirácula fidem áſtruunt. Virgo génerat: ſtérilis parit: mutus lóquitur: Eliſabeth prophétat: Magus adórat: útero clauſus exultat: vídua confitétur: juſtus expectat.

℟. Símeon, homo juſtus & timorátus, expectans conſolatiónem Iſrael, * Reſponſum accéperat à Spíritu ſancto, non visúrum ſe mortem, niſi priùs vidéret Chriſtum Dómini. ℣. Benedíctio Dómini ſuper caput juſti: expectátio juſtórum lætítia. * Reſponſum accéperat à Spíritu ſancto. *Luc. 2. Prov. 10.*

Lectio viij. §. 58. & 59.

ET benè juſtus, qui non ſuam ſed pópuli grátiam requirébat: cúpiens ipſe corpóreæ vínculis fragilitátis abſolvi, ſed expectans vidére promiſſum; ſciébat enim quia beáti óculi qui eum vidérent. Nunc, inquit, dimitte ſervum tuum. Vide juſtum velut corpóreæ cárcere molis inclúſum velle diſſolvi, ut incípiat eſſe cum Chriſto; diſſolvi enim, & cum Chriſto eſſe multò méliùs.

℟. Cùm indúcerent púerum Jeſum parentes ejus, ut fácerent ſecundùm conſuetúdinem legis pro eo; Símeon * Accépit eum in ulnas ſuas. ℣. Deſidérium cordis ejus tribuiſti ei, Dómine; & voluntáte labiórum ejus non fraudaſti eum. * Accépit. Glória. * Accépit. *Luc.* 1. *Pſ.* 20.

Lectio ix. §. 59. & 60.

SEd qui vult dimitti, véniat in templum, véniat in Jerúſalem, expectet Chriſtum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei, compleċtátur quibuſdam ſuæ fidei bráchiis: tunc dimittétur, ut non vídeat mortem, qui víderit vitam. Vides in omnes úberem grátiam Dómini generatióne diffúſam, & prophetíam incrédulis negátam eſſe, non juſtis. Ecce & Símeon prophétat in ruínam & reſurrectiónem plurimórum veniſſe Dóminum Jeſum; ut juſtórum iniquorúmque mérita diſcernat, & pro noſtrórum qualitáte factórum judex verus & juſtus aut ſupplícia decernat aut præmia.

Te Deum, *pag.* 9.

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

Antiphona, 1. *toni*, a.

EXulta & lauda, habitátio Sion; quia magnus in médio tui Sanctus Iſrael. *Iſ.* 12.

Ant. 6. F. Dóminus in templo ſancto ſuo: síleat à fácie ejus omnis terra. *Habacuc.* 2.

Ant. 3. E. Deſcendiſti, Dómine: occurriſti lætanti & facienti juſtítiam. *Iſ.* 64.

Ant. 4. E. Sion.

Canticum. Sophon. 3.

LAuda, fília Sion: júbila, Iſrael: * lætáre & exulta in omni corde, fília Jerúſalem.

Abſtulit Dóminus judícium tuum: * avertit inimícos tuos.

Rex Iſrael Dóminus in médio tuî: * non timébis malum ultrà.

In die illa dicétur Jerúſalem, Noli timére: * Sion, non diſſolvantur manus tuæ.

Dóminus Deus tuus in

médio tuî : * fortis, ipſe ſalvábit.

Gaudébit ſuper te in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua : * exultábit ſuper te in laude.

Glória Patri.

Ant. Sion, non diſſolvantur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tuî: fortis, ipſe ſalvábit. *Soph.* 3.

Ant. 5. C. Ecce nos venímus ad te; tu enim es Dóminus Deus noſter: verè in Dómino Deo noſtro ſalus Iſrael. *Jer.* 3.

Capitulum. Ezech. 37.

SCient gentes quia ego Dóminus ſanctificátor Iſrael, cùm fúerit ſanctificátio mea in médio eórum in perpétuum.

Hymnus.

FUMANT Sabæis templa
vapóribus :
Nos ſacra poſcunt jam
præit hóſtia :
Sequámur omnes, & viciſſim
Puro ánimo mémores litémus.

LUMEN miniſtret ſplendídior Fides,
Miniſtret ignes flámmea
Cáritas,
Spes thura, nec deſint odóres,
Quos óperum bona fama
fundat.

VITÆ nocentis quid tráhimus moras ?
Sit fas beáto cum Sene cómmori;
Ut quem ſub áris immolátum
Vídimus, hoc étiam fruámur.

SIT ſumma Patri, ſummaque Fílio,
Sit ſumma ſancto glória
Flámini :
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Annúntient in Sion nomen Dómini, ℟. Et laudem ejus in Jerúſalem. *Pſ.* 101.

Ad Bened. *Ant.* 7. G. Sanctificáti ſumus per oblatiónem córporis Jeſu Chriſti. *Hebr.* 10.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, majeſtátem tuam ſúpplices exorámus ut, ſicut Unigénitus Fílius tuus hodiernâ die cum noſtræ carnis ſubſtántia in templo eſt præſentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præſentári; Per eumdem.

AD HORAS.

Hymnorum Doxologia,

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſécula.

Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Exulta.

In ℟. *br.* Qui natus es de María Vírgine.

CANON.

Ex Concílio Mediolanenſi tértio.

Ann. 1573. *tit.* 5.

QUod pietátis & Dei honóris causâ, à ſanctâ matre Ecclésiâ institútum eſt, ut Feſto die Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis candélæ, & palmæ aut olívæ, proùt locórum conſuetúdo eſt, Domínico die qui de Palmis dícitur, in Ecclésia ſolemni ritu benedicantur, hæque candélæ ſtatis illo témpore Proceſſiónibus circumferantur, non ſine ſanctiſſima myſteriórum ſignificatióne; id ut instítúti rátio póſtulat, ita religiósè celebrári debet.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Dóminus.

Capitulum. Hebr. 3.

MOyſes fidélis erat in tota domo Dei tanquàm fámulus, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquàm filius in domo ſua.

[*Póſt Septuag. omittuntur in* ℟. *br. duo* Allelúia].

℟. *br.* Suſcépimus, Deus, * Miſericórdiam tuam, * Allélúia, allelúia. ℣. In médio templi tui. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Suſcépimus.

℣. Sicut audívimus, ſic vídimus, ℟. In civitáte Dómini virtútum. *Pſ.* 47.

AD SEXTAM.

Ant. 3. E. Deſcendiſti.

Capitulum. Sap. 2.

SApiéntia dignos ſe círcuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hiláriter, & in omni providéntia occúrrit illis.

℟. *br.* Lux * Orta eſt juſto, * Allelúia, allelúia. ℣. Et rectis corde lætítia. * Allelúia, allelúia. Glória. ℟. Lux. *Pſ.* 96.

℣. Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, ℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Pſ.* 144.

AD NONAM.

Ant. 5. C. Ecce.

Capitulum. II. Tim. 1.

GRátia manifeſtáta eſt nunc per illuminatiónem ſalvatóris noſtri Jeſu Chriſti, qui illumináuit vitam & incorruptiónem.

℟. *br.* Protector noſter, * Aſpice, Deus, * Allelúia, allelúia. ℣. Et réſpice in fáciem Chriſti tui. * Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℟. Protector. *Pſ.* 83.

℣. Lætábimur in ſalutári tuo, Dómine; ℟. Et in nómine Dei noſtri magnificábimur. *Pſ.* 20.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi de parvo Officio.

Antiphona 1. *toni*, D.

ERat pater Jeſu & mater mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. *Luc.* 2.

Ant. 7. G. Benedixit illis Simeon, & dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce póſitus eſt hic in ruínam, & in reſurrectiónem multórum in Iſrael. *Luc.* 2.

Ant. 3. a. Tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes. *Luc.* 2.

Ant. 4. E. Loquebátur de Jeſu Anna Prophetiſſa ómnibus qui expectábant redemptiónem Iſrael. *Luc.* 2.

Ant. 5. C. Mater ejus conſervábat ómnia verba hæc in corde ſuo. *Luc.* 2.

Capitulum. Hebr. 8.

CUm eſſent qui offerrent ſecundùm legem múnera, nunc Chriſtus mélius ſortítus eſt miniſtérium, quantò & melióris teſtamenti mediátor eſt, quod in melióribus repromiſſiónibus ſancítum eſt.

Hymnus, Stupéte. *in I. Veſperis*, *pag.* 572.

℣. Magnus Dóminus & laudábilis nimìs, ℟. In civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus. *Pſ.* 47.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Ut perfecérunt ómnia ſecundùm legem Dómini, reverſi ſunt in Galilæam in civitátem ſuam Názareth. *Luc.* 2.

Oratio, *ut ſuprà ad Laudes*, *pag.* 579.

AD COMPLETORIUM.

Pſalmi & Capit. de Dominica. Hymn. Virgo, Dei Génitrix. *pag.* xciv.

DIE III.

In Feſto

SANCTI BLASII, Sebaſteni Episc. & Mart.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Martyris, *pag.* viij.

Oratio, Fac nos, *p.* xv.

Lectio iij.

BLáſius, Epíſcopus Sebaſténus in Arménia, vixit tempóribus Diocletiáni Imperatóris. Plúrima ſub eo, pro defenſióne fídei, ſuóque grege tuendo, perpeſſus eſt. Verùm in perſecutióne Licínii Imperatóris, in Epíſcopos potiſſimùm acerbiſſimè deſævientis, Bláſius, juſſu Agrícolæ, Cappadóciæ & minóris Arméniæ Præfecti, pro Chriſto Martyr occúbuit. Illíus cultum apud Orientáles Eccléſias celebérrimum jàm ab antíquis tempóribus fuiſſe patet ex vetuſtiſſimis eórum menológiis. Non minùs célebris fuit per omnes Occidentis, & máximè Galliárum Eccléſias Sancti Bláſii memória, pópulis úndique ad ejus patrocínium confugiéntibus, ex eo máximè témpore quo Sancti Mártyris relíquiæ hùc illùc per Itáliam & Gálliam váriè tranſlátæ ſunt. Ragúſiæ

in Dalmátia diéi illíus Feſti Solémnitas, tanquàm Primárii Civitátis & totíus Reipúblicæ Patróni per quátuor dies íntegros quotannis celebrátur.

DIE V.

In Feſto
SANCTÆ AGATHÆ,
Virginis & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi Virginum, pag. lxviij.

Oratio, Omnípotens, *ut in Communi, p.* lxxvj.

Lectio iij.

AGatha, Cátanæ in Sicília, ſub Imperatóre Décio, júdice Quintiáno, poſt álapas & cárcerem, poſt equúleum & torſiónes, poſt mamillárum abſciſſiónem, poſt volutatiónem in téſtulis ac carbónibus, tandem martyrio in cárcere conſumpta eſt. Carmen de ea ſcripſit ſanctus Dámaſus Papa, in quo teſtátur beátæ Mártyris ope ſervátos ab Ætnæ montis ígnibus cives Catanenſes, oppóſito ſcílicet flammis erumpéntibus velo, quo ſacer Vírginis túmulus obtegebátur. Cátanæ velum illud unà cum exímiæ Mártyris relíquiis religióſè aſſervári créditur: móſque ſolemnis ac pius civitátis háctenùs perſevérat, ubi Ætna mons ignes évomit, flammis erumpéntibus id velum objícere, quo non ſemel ſedátæ leguntur.

DIE VI.

In Feſto
SANCTI AMANDI,
Trajectenſis Epiſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ ſequuntur.*

Oratio, infrà, p. 583.

Pro Comm. S. Vedaſti, Atrebatenſis Epiſc. Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas. *Orat.* Da, quæſumus, *in Communi SS. PP. pag.* xxxij.

Lectio ij.

AMandus, in agro Nannetenſi natus, ſacris lítteris à pueritia erudítus, ſeceſſit in Ogiam ínſulam nunc diœcéſis Rupellenſis; unde Turónes petens ſancti Martíni ſepulcrum veneratúrus, tonſis capillis Clero aſcriptus eſt. Hinc Bitúrigum, deindè Romam pétiit. Unde reverſus in Gálliam, non ad certàm Diœcéſim gubernandam, ſed ad fidem géntibus nondùm Chriſtiánis prædicandam, Tréviris ordinátus eſt Epíſcopus. * Primùm Brabantínis, deindè Sclavis Evangélium annuntiávit. In exílium pulſus à Rege Dagoberto, ob reprehenſam vivendi licéntiam, Váſcones Chriſto acquiſívit: mox à Rege re-

vocátus, conſentiente Epíſcopo Noviomenſi, Gándavis prædicávit fidem. Undè, promovente Sigiberto qui ab eo baptiſmum ſuſcéperat, ad Trajectenſem ſedem aſſumptus eſt anno ſexcentéſimo quadragéſimo nono. ** Ob depravátos Cleri mores, quibus reprimendis impar ſibi videbátur, de ſede deſerendâ cógitans, ſcripſit ad ſanctum Martinum Papam, qui, miſſis decrétis quæ concílium Lateranenſe contra Monothelítas nuper ediderat, eum ad perſeverántiam hortátus eſt. Sed Romam íterùm profectus, & liber à ſede Trajectenſi dimiſſus, várias, prædicandi cauſâ, regiónes peragrávit. Dénique ſénio confectus & clarus miráculis ánimam Deo réddidit.

De S. Vedáſto.

Lectio iij.

VEdaſtus, relictis ab adoleſcéntia paréntibus & prædiis ampliſſimis, ſolitáriam Tulli Leucórum vitam ducébat; cùm Clodovéus, devictis Germánis, Remos ad beátum Remígium baptizandus véniens, eum ſibi cómitem adſcívit, ut in itínere fidei rudiméntis ab ipſo imbuerétur. Remis aliquándiù commorátus, atque à Remígio Atrebatenſis Epíſcopus factus, multos éthnicos Chriſto péperit, multas Eccléſias erexit, in quibus conſtítuit Presbyteros & Diáconos. Exactis in Pontificátu annis quadraginta, febre correptus, & ſacro córporis & sánguinis Chriſti viático confirmátus, clarus miráculis obdormívit in Dómino.

Oratio.

MIſericórdiam tuam nobis, quæſumus, Dómine, ſancti Amandi Pontíficis intercéſſio beáta concíliet; ut qui inceſſábili culpâ offéndimus, ejuſdem aſſíduis précibus, ab omni reátu liberémur; Per.

Ad Laud. pro Comm. S. Vedaſti Epiſcopi, Ant. Beatificávit. ℣. Magna eſt. *pag.* xxxiv. *Oratio*, Da, quæſumus. *in Comm. pag.* xxxij.

Die IX.

In Feſto

Sanctæ APOLLONIÆ, Virginis & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Virginum, *p.* lxviij. *Orat.* Deus, qui inter cétera, *p.* lxxv.

Ex Epíſtola S. Dionyſii, Alexandríni, ad Fábium Antiochénum.

Euſ. Hiſt. Libr. 6. Cap. 41.

Lectio iij.

NEquáquàm ex Décii Imperatóris edicto

perſecútio apud nos cœpta eſt, ſed íntegro anno antevérterat. Nam infauſtus quidam vates ac poëta commóvit Alexándriæ adversùs nos gentílium turbas. Ab illo ígitur ſtimuláti, hanc ſolam pietátem, cultúmque dæmonum ſuórum exiſtimábant, ſi cædibus adversùs noſtros ſævírent. Itaque admirandam illam provectæ jam ætátis Vírginem Apollóniam tunc comprehendérunt; & maxillas quidem ejus percutientes, cunctos ei dentes excuſſérunt. Accenſo autem extra urbem rogo, minabantur vivam ſe illam combuſtúros niſi unà cum ipſis ímpia verba pronuntiáret. At illa véniam deprecári pauliſper viſa, atque ínterim dimiſſa, celériter in ignem insíliit, & conflagrávit.

Vesperæ de Pſalterio. A Capit. de Sta Scholaſtica, Orat. infrà.

Die X.

In Feſto

Stæ SCHOLASTICÆ, Virginis.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Virginum, pag. lxviij.

Orat. Omnípotens, *infrà.*

Lectio iij.

SCholáſtica, Benedicti Abbátis ſoror, Deo ab infántiæ témpore dedicáta, ad fratrem ſemel in anno veníre conſuéverat, ut ejus ſacris collóquiis fruerétur. Ad hanc vir Dei non longè extra jánuam in poſſeſſióne Monaſtérii deſcendébat. Quâdam verò die cùm diútiùs eum apud ſe retinére vellet, & ille non acquiéſceret, inſertas dígitis manus ad oratiónem ſuper menſam póſuit, ut Deus fratris mentem inflécteret. Tanta súbitò tonítrui vis & inundátio plúviæ erúpit, ut Benedictus pedem extrà limen efferre non poſſet; sícque factum eſt, ut totam noctem pervígilem in ſpiritáli collóquio transígerent. Reverſus ad cellam Benedictus, poſt tríduum elevátis óculis vidit ejuſdem ſorória ſuæ ánimam in columbæ ſpécie cœli ſecréta penetráre. Quâ ex viſióne óbitum ejus intélligens, prótinùs fratres miſit qui corpus ejus ad Monaſtérium ſuum deferrent, & in ſepulchro quod ſibi paráverat, pónerent.

Oratio.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui mundi contemptum te diligéntibus inſpiraſti; da nobis in feſtivitáte beátæ Scholáſticæ Vírginis, ejus interceſſióne, terréna deſpícere, & tibi ſoli firmiter adhærére; Per Dóminum.

Die XIII.
In Feſto
SANCTI GILBERTI,
Meldenſis Epiſcopi.
Simplex.
Omnia de Communi SS. Pontificum, p. xxv. *Orat.* Exaudi, *pag.* xxxiij.
Lectio iij.

Gilbertus in Virománduis natus eſt nóbili génere. Ex infántia vix excésſerat, cùm miſſus eſt Quintinópolim ſtudiórum causâ, ubi magnos in lítteris progreſſus fecit, majóres in pietáte. Canonicórum albo inſcriptus exemplo fuit ómnibus morum innocéntiâ, aſſiduitáte pſallendi, & méntis recollectióne. Tantæ virtútis fama pátriæ fínibus continéri non pótuit: pervénit ad aures Arcanrádi Meldenſis Epíſcopi, qui précibus vix obtinére pótuit, ut ſuæ diœcéſis Archidiaconátum ſuſcíperet. Quo in múnere tam prudenter ſe geſſit, ut, ſi quid contra Cánones peccátum foret, id ſummâ moderatióne corrígeret. Quæ res ſic ei ánimos conciliávit, ut mórtuo Arcanrádo ómnium votis ſuffectus ſit, approbante Odóne Meldárum Trecarúmque cómite. Omnes óptimi Præſulis partes implévit Gilbértus. Inter céteras ejus virtútes elucébat máximè ſinguláris cáritas animárum ſibi commiſsárum, quarum ſalútem apud Deum adjuvábat, crebris jejúniis & oratiónibus. Cùm Eccléſiam Meldenſem piè ac ſanctè per annos viginti adminiſtraſſet, plebíque ſuæ verbis & exemplis præluxiſſet, méritis plenus & miráculis clarus obdormívit in Dómino, Idibus Februárii, anno ſalútis milléſimo décimo quinto.

Die XVIII.
In Feſto
S. SIMEONIS,
Hieroſolymitani Epiſcopi,
& Martyris.
Simplex.
Omnia de Communi unius Martyris, pag. viij. *exceptis quæ ſequuntur.*
Oratio, ut infrà. p. 586.
Lectio iij.
Ex libro quinto Commentariórum ſancti Hegeſippi Hiſtoriógraphi.
Apud Euſeb. Hiſt. libr. 5.

Simeon, cognátus Dómini, filius Cléophæ, calúmniam paſſus ab hæréticis, accusátus eſt coram Attico Conſulári: &, per plúrimos dies excruciátus, Martyr effectus eſt; ita ut omnes ſupra modum mirarentur, & ipſe quoque Conſuláris, quómodò is qui centum & viginti annos attígerat, tália pertuliſſet. Tandem verò ſenténtiâ júdicis cruci affixus eſt. Ad

hæc uſque témpora Eccléſia Virgo pura & incorrupta permánſerat, obſcúro adhuc receſſu deliteſcéntibus iis qui rectam ſalutáris prædicatiónis régulam depraváre nitebantur. Poſtquàm autem ſacer Apoſtolórum chorus vário mortis género extinctus eſt, effluxerátque jam ætas hóminum illórum qui divínam ipſam Sapiéntiam ſuis aúribus auſcultáre merúerant, tunc demùm exorta eſt ímpii erróris conſpirátio, nullo vidélicet ampliùs ex Apóſtolis ſupérſtite.

Oratio.

DEus, qui beáto Simeóni Chriſto configi in cruce tribuiſti; præſta, quæſumus, eódem intercedente, ut terréna in nobiſmetipſis deſidéria crucifigentes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per.

Die XXIV.

[*In anno biſſext.* Die xxv.]

In Feſto

SANCTI MATTHIÆ,

Apoſtoli.

Duplex II. Claſſis.

¶ *Si hoc Feſtum venerit in Quadrageſima, anticipatur, ſitque de eo Feriâ III. Quinquageſimæ.*

Omnia de Communi SS. Apoſtolorum, pag. j. exceptis quæ ſequuntur.

In primis Veſperis.

Ad Magníf. *Ant.* 5. a.

Oportet ex viris qui nobiſcum ſunt congregáti, teſtem reſurrectiónis Jeſu nobiſcum fieri unum ex iſtis. Et ſtatuérunt duos, Joſeph qui cognominátus eſt Juſtus, & Matthíam. *Act.* 1.

Oratio, ut infrà. p. 589.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 1.

IN diébus illis, exurgens Petrus in médio fratrum dixit; erat autem turba hóminum ſimul ferè centum viginti: Viri fratres, oportet impléri Scriptúram quam prædixit Spíritus ſanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jeſum, qui connumerátus erat in nobis, & ſortítus eſt ſortem miniſtérii hujus. Et hic quidem poſsédit agrum de mercéde iniquitátis, & ſuſpenſus crépuit médius, & diffúſa ſunt ómnia víſcera ejus. Et notum factum eſt ómnibus habitántibus Jerúſalem, ita ut appellarétur ager ille, linguâ eórum, Hacéldama, hoc eſt, ager ſánguinis. Scriptum eſt enim in libro Pſalmórum: Fiat commorátio eórum deſerta, & non ſit qui inhábitet in ea; &, Epiſcopátum ejus accípiat alter.

Lectio ij.

OPortet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt

congregáti in omni témpore quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jeſus, incípiens à baptíſmate Joannis uſque in diem quâ aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectiónis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. Et ſtatuérunt duos, Joſeph qui vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Juſtus, & Matthíam.

Lectio iij.

ET orantes dixérunt: Tu Dómine, qui corda noſti ómnium, oſtende quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum miniſtérii hujus & Apoſtolátûs de quo prævaricátus eſt Judas ut abíret in locum ſuum. Et dedérunt ſortes eis; & cécidit ſors ſuper Matthíam, & annumerátus eſt cum úndecim Apóſtolis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Commentário S. Joannis Chryſóſtomi in Actus Apoſtolórum.

IN diébus illis exurgens Petrus, tanquàm is cui à Chriſto grex commiſſus fúerat, & tanquàm chori Princeps, ubíque primus, íncipit loqui: Viri fratres, oportébat impléri Scriptúras. Illud consídera quod Petrus agit ómnia ex commúni ſenténtia; nihil ex auctoritáte, nihil cum império. Oportet ígitur ex viris nobiſcum congregátis in omni témpore. Cur commúnicat hoc cum illis? Ne delaberentur in contentiónem; nam ſi his ipſis hoc áccidit, multò magìs accidiſſet illis. Proptéreà ait: Viri fratres, oportet elígere è nobis. Multitúdini permittit judícium; ſimul eos qui eligebantur reddit venerandos, & ſeipſum líberat ab ódio ceterórum. Ex quibus autem facienda ſit eléctio, ipſe interpretátur dicens: Ex viris nobiſcum congregátis in omni témpore. Etenim ſi dixiſſet, Modeſtos oportet adeſſe, céteros affeciſſet contumélià.

Lectio v.

ET ſtatuérunt duos, Joſeph qui vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Juſtus; & Matthíam. Quare non multos? Ne major fieret animórum dejéctio, neve res in multos diſtraherétur. Et verò omnes commúniter precantur dicentes: Tu, Dómine, qui noſti corda ómnium, oſtende. Tu, ínquiunt, non nos. Aptè córdium cognitórem appellant; hinc enim erat eléctio facienda, non ab exterióribus. Neque dixérunt, Elige; ſed, Oſtende electum, hoc eſt, quem tu

elegiſti; ſcientes ómnia præfiníta eſſe à Deo.

Lectio vj.

ET dedérunt eis ſortes. Nondùm judicábant ſe eſſe idóneos ut rem ipſi ſibi permítterent; ideóque cúpiunt áliquo ſigno edocéri. Alióqui, ſi illîc ubi nec erat precátio, neque viri probi, tantùm váluit ſors, eò quòd recto ánimo fieret ſuper Jona; multò magìs hîc explévit chorum, ac perfécit órdinem. Nec alter ille dóluit; non enim celaſſent Apóſtoli próprios defectus, qui de ipſis primóribus non vériti ſunt dícere, quòd álibi commóti fúerint indignatióne, ídque non ſemel, ſed ſæpiùs. Hos ígitur & nos imitémur. Non jam ómnibus loquor; ſed his tantùm qui principátum affectant. Si credis Dei eſſe electiónem, ne indignéris; illi enim indignáris, & irritáris adversùs illum: ille eſt qui elégit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Reſpondens Petrus dixit Jeſu: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. 14. inter Hiem. de Sanctis.

AUdiens à Dómino Petrus, quia dives difficilè intráret in regnum cœlórum, sciénſque ſe cum ſuis condiſcípulis ad íntegrum mundi fallentes ſpreviſſe delícias, vóluit agnóſcere quid vel ipſi vel céteri mundi contemptóres, pro majóre mentis virtúte, majóris præmii ſperáre debérent. Et reſpondens Dómino ait: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te. Ubi ſolerter intuendum quòd non ſolùm ſe ómnia reliquiſſe, ſed & Dóminum ſequi gloriátur: quia ſtultum profectò eſt, juxta Platónem & Diógenem & quoſdam álios philóſophos, vitæ quidem hujus divítias calcáre, & non hæc pro ætérna adipiſcenda vita, ſed pro ináni ágere mortálium laude captanda: ſtultum præſentes labóres ultrò abſque ſpe futúræ ſubíre quiétis & pacis.

Lectio viij.

PErfectus autem ille eſt, qui ábiens vendit ómnia quæ habet, & dat paupéribus, ac véniens ſéquitur Chriſtum: habébit enim theſaurum non deficientem in cœlis. Undè benè inter-

rogante Petro dixit tálibus Jeſus: Amen dico vobis, quòd vos qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in ſede majeſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim judicantes duódecim tribus Iſrael. In hac quippè vita pro ejus nómine laborantes in ália præmium ſperáre dócuit; id eſt, in regeneratióne, cùm vidélicet in vitam immortálem fuérimus reſurgendo regeneráti, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus géniti. Eſt juſta prorsùs retribútio, ut qui hîc pro Chriſto humánæ glóriam celſitúdinis neglexérunt, illîc à Chriſto glorificáti, ſinguláriter júdices cum eo humánæ converſatiónis aſſídeant.

Lectio ix.

NEmo autem putet duódecim tantùm Apóſtolos, quia pro Juda prævaricante Matthías electus eſt, tunc eſſe judicatúros: ſicut nec duódecim ſolæ ſunt tribus Iſrael judicandæ. Alióquin tribus Levi, quæ tertiadécima eſt, injudicáta recédet: & Paulus, qui tértius décimus eſt Apóſtolus, quia pro Juda prævaricante Matthías electus eſt, judicandi ſorte privábitur, cùm ipſe dicat: Neſcítis quóniam Angelos judicábimus: quantò magìs ſeculária? Sciendum namque eſt omnes, qui ad exemplum Apoſtolórum, ſua reliquérunt ómnia, & ſecúti ſunt Chriſtum, júdices cum eo ventúros; ſicut étiam omne mortálium genus eſſe judicandum. Quia enim duodenário ſæpè número ſolet in Scriptúris univérſitas deſignári; per duódecim ſedes Apoſtolórum, ómnium numeróſitas judicántium; & per duódecim tribus Iſrael, univerſitas eórum qui judicandi ſunt, oſténditur.

Ad Bened. *Ant.* 1. J. Orantes Apóſtoli dixérunt: Tu, Dómine, qui corda noſti ómnium, oſtende quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum miniſtérii hujus & Apoſtolátûs, de quo prævaricátus eſt Judas. *Act.* 1.

Oratio.

DEus, qui beátum Matthíam Apoſtolórum tuórum collégio ſociaſti; tribue, quæſumus, ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis ſemper víſcera ſentiámus; Per Dóminum.

Ad Magnif. *Ant.* 6. F. Dedérunt ſortes eis; & cécidit ſors ſuper Matthíam, & annumerátus eſt cum undecim Apóſtolis. *Act.* 1.

FESTA MARTII.

Die I.

In Feſto

SANCTI ALBINI, Andegavenſis Epiſcopi.

Simplex.

[In Cathedr. *Semid. Lectio iij. dividitur ad aſteriſcum* *].

Omnia de Communi SS. Pontificum, p. xxv. *exceptis quæ ſequuntur.*

Orat. Fámulos, *infrà.*

Lectio iij.

Albínus, Venétiæ in Aremóricis claro génere natus, relictis à púero paréntibus in Cincillacenſe monaſtérium ingreſſus eſt. Anno ætátis tricéſimo quinto Abbas creátus, ſingulári vigilántiâ cœnóbium adminiſtrávit annis quinque & viginti. Undè invítus ad Cáthedram Andegavenſem evectus, totus alendis paupéribus, tuendis cívibus, ægris viſitandis, captívis redimendis incúbuit. Eccleſiáſticæ diſciplínæ vindex fuit acérrimus, ádeò ut nec précibus nec minis potentiórum moverétur: quod ei multórum invídiam conflávit. * Váriis in Synodis ac præcípuè in Aurelianenſi tértiâ, plúrimùm laborávit ut inceſtæ núptiæ damnarentur. Cæsárium quoque Arelatenſem ſuper ea re conſultúrus ádiit. Juſſus ab Epíſcopis quoſdam à ſe excommunicátos absólvere, páruit ſacerdotáli judício; ab iiſque rogátus, ut & ipſe ſignáret eulógias quas ad unum ex íllis dirigendas benedíxerant, reſpondit: Etſi ad impérium veſtrum ſignáre compellor, dùm vos cauſam Dei recusátis defféndere, ipſe potens eſt vindicáre. At ille, nondùm acceptis eulógiis, intériit. Explétis demùm Epiſcopátûs annis viginti, ménſibus ſex, ætátis octoginta, mortalitátem éxuit. Corpus ejus primùm in Basílica ſancti Petri, Andégavi, ſepultum, póſtmodùm ab Eutrópio ejus ſucceſſóre & à ſancto Germáno Pariſienſi, aliiſque Epíſcopis, in novam Basílicam tranſlátum eſt.

Oratio.

Famulos tuos; quæſumus, Dómine, interveniente beáto Albíno Pòntífice, tibi fácias toto corde ſubjectos; ut tuæ caritátis Spíritu repléti, à terrénis mundémur cupiditátibus, & cœleſti beatitúdine, te donante, digni efficiámur; Per Dóminum ... in unitáte ejuſdem.

Die III.

In Feſto

SANCTI VINDICIANI, Cameracenſis Epiſcopi.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Pontificum, pag. xxv. *exceptis quæ ſequuntur.*

Oratio, Da, *infrà.*

Lectio iij.

VIndiciánus, in agro Atrebatenſi natus, magnos in lítteris ac pietáte progreſſus fecit, ex eo præſertìm témpore quo ſancti Elígii Novioménſium ac Tornacénſium Epíſcopi diſciplínæ tráditus eſt. Inter Cléricos Atrebatenſes à ſancto Autberto qui Atrebatenſem & Cameracenſem Eccléſiam regébat, aſcriptus, doctrínâ & ſanctitáte ſic refulſit, ut à beáto Antíſtite in partem ſollicitúdinis vocátus, ſpeciálem Diœcéſis Atrebatenſis adminiſtratiónem ſuſcéperit. Eo mórtuo, utriuſque gregis commúnibus votis deſignátus Epíſcopus, quidquid à ſuo prædeceſsóre ad ſuſtentatiónem paúperum, vel ad religiónis increméntum ſalúbriter inſtitútum erat, ſédulò túitus eſt: quidquid inchoátum, diligenti ſtúdio perfécit. Potentiórũ iras non revéritus, Theodoríco tértio Co-Epiſcopórum querimónias de iníqua ſancti Leodegárii nece détulit, eóque regem adduxit ut, pro ſcélere quod perpetrárat regni adminiſter, ſatisfáceret. Idololatríæ relíquias de grege ſuo pénitùs ſúſtulit. Bonórum óperum plenus mortem, quâ labórum finem cogitábat lætus aſpexit: deceſſit octogenárius, ſepultúſque eſt, utì mandáverat, in monte ſancti Elígii non longè ab Atrebáto.

Oratio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, intercedente beáto Vindiciáno Pontífice, Spíritum ſapiéntiæ quibus præeſſe dediſti Eccléſiæ tuæ; ut de profectu ſanctárum óvium fiant gaúdia ætерna Paſtórum; Per... in unitáte ejuſdem.

Die IV.

In Feſto

SANCTÆ GERTRUDIS, Virginis.

Simplex.

Omnia de Communi Virginum pag. lxviij. *exceptis quæ ſequuntur.*

Oratio, Intervéniat, *infrà pag.* 592.

Lectio iij.

GErtrúdis, Pippíni Majóris Auſtráſiæ ſub Clotário, Dagoberto & Sigeberto Régibus, ac beátæ Ittæ filia, grándior facta, núptias filii Ducis Auſtraſiórum detrectávit, uná-

ſtraſiórum detrectávit, uníque ſponſo Chriſto adhærére conſtítuit. Defuncto Pippíno, Itta, cùm velum à ſancto Amando, reluctántibus licèt propinquis, ſuſcepiſſet, atque Nivigellæ cœnóbium ædificaſſet, Gertrúdem totondit in ſimilitúdinem corónæ, & cum áliis Virgínibus velandam Sacerdótibus óbtulit. Quæ ſupra ætátem virtútibus illuſtris, primò cum matre ſua monaſtérium rexit; ac deindè, matre mórtuâ, Abbatiſſæ officio functa eſt. Tunc Româ, ſanctórum relíquias ſacróſque códices ad ſe afferri curávit: & ex Hibérnia erudítos viros, ſacræ legis cántica quæ penè memóriâ complectebátur, ſibi ſuíſque expoſitúros, accersívit. Basílicas multis in locis, imprimíſque Voſſuenſe monaſtérium ad ripam Sabis, beátis Foilláno & Ultáno ſancti Furſei frátribus excipiendis, extruxit. Tribus ante óbitum ménſibus, vigíliis, orationibus, jejúniis, majóri ſtúdio ſeſe exércuit; ac, de hora mortis ab Ultáno præmónita, percepto Córporis & Sánguinis Chriſti Viático, cœlo recepta eſt, anno ſalútis ſexcentéſimo quinquagéſimo nono, ætátis ſuæ trigéſimo tértio.

Oratio.

INterveniat pro nobis, quæſumus, Dómine, beáta Virgo Gertrúdis quæ, pro tui nóminis amóre, Virginitátis propóſitum illibátâ mente ſervávit; Per.

VESPER. *de Feria. A Capitulo de S. Alexandro, Epiſc. & Mart.* Ad Magníf. *Ant.* Qui vícerit. ℣. Juſtus. *pag.* ix.

Oratio.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui beáto Alexandro dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuiſti; fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui ſolus vera vita es, pervenire; Per.

DIE V.

In Feſto

SANCTI ALEXANDRI, Hieroſolymitani Epiſc. & Martyris.

Simplex.

Lectio iij.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

ALexander, Epíſcopus Cappadóciæ, cùm, deſidério ſanctórum locórum, Jerosólymam pérgeret, & Narciſſus Epíſcopus ejuſdem urbis jam ſenex régeret Eccléſiam; Narciſſo & multis Clericórum ejus revelátum eſt álterâ die manè intráre Epíſcopum qui

adjútor SacerdotálisCáthedræ eſſe debéret. Itaque, re ita complétâ, ut prædicta fuerat, cunctis in Palæſtína Epíſcopis in unum congregátis, adnitente quoque ipſo vel máximè Narciſſo, Jeroſolymitánæ Eccléſiæ cum eo gubernáculum ſuſcépit. Hic, in fine cujuſdam Epíſtolæ quam ſcripſit ad Antinoítas ſuper pace Eccléſiæ, ait: Salútat vos Narciſſus qui ante me hìc tenuit Epiſcopálem locum; & nunc mecum eumdem oratiónibus regit annos natus círciter centum séxdecim, & vos mecum precátur ut unum idémque ſapiátis. Scripſit & áliam ad Antiochenſes per Clementem Presbyterum Alexandrínum necnon ad Origenem; & pro Orígene contra Demétrium, eò quòd, juxta teſtimónium Demétrii, eum Presbyterum conſtitúerit. Sed & áliæ ejus ad diverſos feruntur Epíſtolæ. Séptimâ autem perſecutióne ſub Décio, quo témpore Bábylas Antiochíæ paſſus eſt, ductus Cæſaréam, & clauſus in cárcere ob confeſſiónem Chriſti, martyrio coronátur. Hunc Alexandrum eſſe qui in Cánone Miſſæ, poſt Ignátium Mártyrem Antiochénum, invocátur, tàm ipſe invocatiónis ordo, quàm paſſiónis celébritas, & certa fides quæ nulli álii hujus nóminis cómpetit, ſufficienter oſtendunt.

DIE VII.

In Feſto

SANCTARUM PERPETUÆ ET FELICITATIS, Martyrum.

Simplex.

Omnia de Communi SS. Mulierum, pag. lxxix. *exceptis quæ ſequuntur.*

Pridie Ad Magníficat.

Ant. 1. G. Timor Dómini, cum electis féminis gráditur, & cum juſtis & fidélibus agnóſcitur: firmamentum eſt Dóminus timéntibus eum. *Eccli.* 1. *Pſ.* 24.

℣. Deus noſter refúgium & virtus: ℟. Non timébimus dum turbábitur terra. *Pſ.* 45.

Oratio.

Deus fortitúdo certántium & palma Mártyrum, qui fámulas tuas Perpétuam & Felicitátem contra tormentórum immanitátem mirâ virtúte roboraſti; quæſumus ut, ſicut eórum nos triumpho lætíficas, ità ſemper ſupplicatióne defendas; Per Dóminum.

Lectio iij.

Perpétua & Felícitas, in perſecutióne Sevéri Imperatóris, Carthágine in A-

frica, unà cum Revocáto, Saturníno & Secúndulo, comprehenſæ ſunt, & in tenebricóſum cárcerem detrúſæ; quibus ultrò adjunxit ſe Sátyrus. Erant adhuc Catechúmenæ; ſed paulò pòſt baptizátæ ſunt. Paucis diébus interjectis, è cárcere ad forum deductæ cum sóciis, poſt glorióſam confeſſiónem, ab Hilariáno procuratóre damnantur ad béſtias. Inde hílares deſcendunt ad cárcerem, ubi váriis viſiónibus recreántur, & ad Martyrii palmam accenduntur. Perpétuam, nec patris sénio penè confecti iterátæ preces & lácrymæ, nec erga filium infantem pendentem ad úbera maternus amor, nec ſupplícii atrócitas, à Chriſti fide dimovére unquàm potuérunt. Felícitas verò, inſtante ſpectáculi die, cùm octo jam menſes prægnans eſſet, in magno erat luctu ne differrétur: leges quippe vetábant prægnantes ſupplício áffici. At précibus Commártyrum acceleráto partu, enixa eſt filiam. Cúmque in partu labórans doléret, ait illi quidam ex miniſtris: Quæ ſic modò doles, quid fácies objecta béſtiis? Cui illa: Modò ego pátior quod pátior; illic autem álius erit in me, qui patiétur pro me; quia & ego pro illo paſsúra ſum. In amphitheátrum, toto inſpectante pópulo, producuntur tandem generóſæ mulíeres Nonis Mártii. Ac primùm flagellis cæduntur: tum à ferocíſſima vacca aliquándiu jactátæ, plagis concíſæ, & in terram eliſæ ſunt: demùm cum sóciis qui à váriis béſtiis vexáti erant, gladiatórum énſibus conficiuntur.

AD LAUDES.

Ant. 4. E. Infirma mundi elégit Deus ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conſpectu ejus. *I. Cor.* 7.

℣. Exultavérunt filiæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Pſ.* 96.

Oratio.

DEus, fortitúdo certántium & palma Mártyrum, qui fámulas tuas Perpétuam & Felicitátem contra tormentórum immanitátem mirâ virtúte roboraſti; quæſumus ut, ſicut eórum nos triumpho lætíficas, ità ſemper ſupplicatióne defendas: Per Dóminum.

Die IX.

In Feſtó SS. QUADRAGINTA Militum Sebaſtenſium, Martyrum.

Simplex.

Oratio.

MArtyrum tuórum ſolémnia recenſentes,

ſúpplices te, Dómine, deprecámur ut, ipſis intercedéntibus, in tua caritáte radicáti & fundáti, paſſiónes hujus témporis, invícto ac libenti ánimo ſuſtinére valeámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum.

Lectio iij.

Sermo ſancti Baſílii, Epíſcopi.

Hom. in 40. Mart.

QUadraginta Chriſti Mílites magnitúdine córporis, & ætátis flore ac virtúte céteris ómnibus præcellentes, ad militáres órdines regendos promóti ſunt; &, propter militárem experiéntiam animíque fortitúdinem, jam primos honóres apud Imperatóres obtinébant. Ubi verò ímpium edíctum denuntiátum eſt ne quis Chriſtum profiterétur; tunc horum quílibet in médium procédens: En, ait, Chriſtiánus ſum. Quæ ut aúdiit bárbarus judex, cùm conſideráſſet regiónis natúram quòd eſſet frígida, & anni tempus quòd hibernum, & noctem in qua Bóreas máximè ſpiráret, juſſit omnes nudos ſub dio in média civitáte congelandos mori. Qui, loco ſummâ cum lætítiâ conſpecto, últimum étiam amíctum alácriter abjicientes, ad mortem properârunt. Una autem erat ómnium orátio: Quadraginta in ſtádium ingreſſi ſumus, quadraginta, ô Dómine, coronémur. Unus autem ex eórum número vacillans ad pœnam deſertor ábiit, luctum inconſolábilem Sanctis relinquens. Verùm Dóminus eórum preces írritas eſſe non permíſit. Nam Cuſtos Mártyrum cùm eventum obſerváret, mirum vidit ſpectáculum, Virtútes quaſdam è cœlis deſcendentes, & tanquàm à Rege magna dona milítibus diſtribuentes: quæ áliis quidem ómnibus dona dividébant, unum verò ſolum indonátum dimiſérunt; qui ſtatìm dolóres detrectans, ad adversários transfúgit. Lictor autem ut illum defeciſſe vidit & ad bálneum accurriſſe, ſeipſum in deſertóris locum ſubſtítuit; & abjíciens veſtes, nudis ſe adjunxit, eamdémque cum Sanctis vocem emíſit: Chriſtiánus ſum. Hic baptíſma ſuſcépit; non ab ullo, ſed à própria fide; non in aqua, ſed in próprio ſánguine. Sícque, illuceſcente die, adhuc ſpirantes igni tráditi ſunt; & ignis relíquiæ in flúvium projectæ.

Oratio.

MArtyrum tuórum ſolémnia recenſentes, ſúpplices te, Dómine, deprecámur ut, ipſis intercedéntibus, in tua caritáte radicáti & fundáti, paſſiónes hujus témporis, invicto ac libenti ánimo ſuſtinére valeámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

COMMUNE SANCTORUM.

COMMUNE APOSTOLORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

[*In hoc Communi & in cæteris, ad I. Veſperas Pſalmi ſemper de Feriâ*].

Antiphona, 1. G.

VOs Sacerdótes Dómini vocabímini, miniſtri Dei noſtri: fortitúdinem géntium comedétis. *Iſ.* 61.

Ant. 6. F. Vocabuntur fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificandum. *Iſ.* 61.

Ant. 8. g. Ædificábunt deſerta à ſéculo, & ruínas ántiquas érigent, & inſtaurábunt civitátes diſſipátas. *Iſ.* 61.

Ant. 2. D. Pópulos vocábunt ad montem: ibi immolábunt víctimas juſtítiæ. *Deut.* 33.

Ant. 7. d. Omnes qui víderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dóminus. *Iſ.* 61.

Capitulum. Iſ. 66.

HÆc dicit Dóminus: Annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros de cunctis géntibus donum Dómino.

In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà, ℟. Póſuit Dóminus óculum ſuum ſuper corda illórum, oſténdere illis magnália óperum ſuórum; * Ut nomen ſanctificatiónis collaudent, & magnália enarrent óperum ejus. ℣. Fecit ut eſſent duódecim cum illo, & ut mítteret eos prædicáre * Ut nomen. Glória Patri. * Ut nomen. *Eccli.* 17. *Marc.* 3.

[*In Duplic.* 1. *Claſſ. & ſuprà, poſt* ℣. Glória Patri. *reſumitur, non reclamatio, ſed* ℟. *uſque ad* ℣.

Et ſic pro alio quolibet Communi].

Hymnus.

CŒLESTIS aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Biſſéna mundi lúmina,
Olim futúri júdices:
MERSIS gravi calígine

Per vos dies renáſcitur:
Quos vanus error lúſerat,
Illúſtrat ipſa Véritas.

Non vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus,
Verbo ſed irríſæ Crucis
Chriſto rebelles ſúbditis.

Quibus gemébat súbditus,
Rumpuntur orbis víncula:
Jam gaudet excuſſo jugo,
Liber Dei ſub légibus.

Vulgata terris ómnibus
Per vos Dei myſtéria;
Sic veſtra terris ómnibus
Præclára facta pérſonant.

Uni ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra;
℟. Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo qui naſcétur. *Pſ.* 21.

Duplicatur Ant. ſequens in Feſtis Duplicib. 2. *Claſſ. & ſuprà; & ſic in quolibet Communi.*

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid fáciat dóminus ejus; vos autem dixi amícos, quia ómnia quæcumque audívi à Patre meo, nota feci vobis. *Joann.* 15.

Oratio propria eſt.

Ad Completorium, *ſemper dicuntur Pſalmi Feriales.*

[*In Annualibus, Ant.* 3. c. Vos eſtis lux mundi: lúceat lux veſtra coram homínibus. *Matth.* 5.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Vox ſpeculatórum Sion: parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum in óculis ómnium géntium. *Iſ.* 52.]

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Apoſtolórum Magiſtrum & Dóminum, * Veníte, adorémus, *Joann.* 13.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 1.

Hymnus.

Supreme, quales, Arbiter
Tibi miniſtros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vaſis amas committere!

Hæc nempe plena lúmine
Tu vaſa frangi præcipis:
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu nube ſciſsâ fúlgura.

Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruſcant, pérpluunt.

Christum ſonant, verſæ ruunt
Arces ſuperbæ dæmonum.
Circùm tubis clangéntibus,
Sic verſa quondam mœnia.

Fac, Chriſte, cœleſtes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accenſa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.
Uni ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

[*In Annualibus & Duplicib.* 1. *Claſſ. ad Officium Noctur. & ad II. Veſperas Pſalmi de Dominica, niſi proprii deſignentur.*

Ad Laudes, Horas & Completorium, ſemper Pſalmi de Dominica.

In Duplicib. 2. *Claſſ. & infrà, Pſalmi Feriales in toto Officio, & ſic in quolibet Communi*].

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Erat Jeſus pernoctans in oratióne Dei: & cùm dies factus eſſet, vocávit diſcípulos ſuos. *Luc.* 6.

Ant. 5. a. Elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. *Luc.* 6.

Ant. 6. F. Dedit illis virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & ut languóres curárent; & miſit illos prædicáre regnum Dei. *Luc.* 9.

℣. Conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram: ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Pſ.* 44.

Pater noſter.

Abſolutio & Benedictiones habentur ad calcem Pſalterii.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente, ſi propriæ non aſſignentur. [*In Annualibus poſt repetitam j. iij. vj. & viij. Reſp. reclamationem, dicitur* Glória Patri. *Deinde reſumitur, non reclamatio, ſed Reſponſor. uſque ad* ℣. *In Duplicib. autem* 1. *Claſſis, illud idem obſervatur in ultimo Matutini Reſponſorio tantùm.*

Et ſic in quolibet Communi].

℟. *j.* Non vos me elegiſtis; ſed ego elégi vos, & póſui vos ut eátis, & fructum afferátis, * Et fructus veſter máneat. ℣. In hoc clarificátus eſt Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis. * Et fructus. *Joann.* 15.

℟. *ij.* In viam géntium ne abiéritis; ſed pótiùs * Ite ad oves quæ periérunt domûs Iſrael. ℣. Diſperſæ ſunt oves meæ, eò quòd non eſſet paſtor; & factæ ſunt in devoratiónem. * Ite. *Matth.* 10. *Ezech.* 34.

℟. *iij.* Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum: * Eſtóte ergo prudentes ſicut ſerpentes, & símplices ſicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini pruden-

tia & ſciéntia ; & próteget gradientes ſimplíciter. * Eſtóte. Glória. * Eſtóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine ; & quod in aure audítis, prædicáte ſuper tecta. *Matth.* 10.

Ant. 1. G. Qui vos audit, me audit ; & qui vos ſpernit, me ſpernit : qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. *Luc.* 10.

Ant. 8. c. Dico vobis amícis meis : Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & poſt hæc non habent ámpliùs quid fáciant. *Luc.* 12.

℣. Eruet eos Dóminus à peccatóribus, & ſalvábit eos ; ℟. Quia ſperavérunt in eo. *Pſ.* 36.

Pater noſter.

Abſolutio & Benedictiones habentur ad calcem Pſalterii.

Tres Lectiones in Proprio Sanctorum.

℟. *iv.* Mementóte ſermónis mei, quem ego dixi vobis ; * Non eſt ſervus major dómino ſuo : ſi me perſecúti ſunt, & vos perſequentur. ℣. Locúti ſunt advérsùm me linguâ dolóſâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me. * Non eſt. *Joann.* 15. *Pſ.* 108.

℟. *v.* Nolíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis : * Salus autem mea in ſempiternum erit : ego, ego ipſe conſolábor vos. ℣. Tradémini à paréntibus & amícis ; & morte afficient ex vobis : & éritis ódio ómnibus propter nomen meum. * Salus. *Iſ.* 51. *Luc.* 21.

℟. *vj.* Cùm tradent vos, nolíte cogitáre quómodò aut quid loquámini : * Non enim vos eſtis qui loquímini, ſed Spíritus Patris veſtri qui lóquitur in vobis. ℣. Spíritus meus erit in médio veſtrûm, nolíte timére. * Non enim. Glória Patri. * Non enim. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Quicumque volúerit inter vos major fíeri, ſit veſter miniſter : ſicut Fílius hóminis non venit miniſtrári, ſed miniſtráre. *Matth.* 20.

Ant. 2. D. Ego Dóminus & Magiſter exemplum dedi vobis, ut quemádmodùm ego feci vobis, ita & vos faciátis. *Joann.* 13.

Ant. 8. g. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta ſunt vobis, dícite : Servi inútiles ſumus ; quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis ; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Pſ.* 113.

Pater noſter.

Abſolutio & Benedictiones ad calcem Pſalterii.

Evangelium & Homilia in Proprio Sanctorum.

℟. *vij.* Ecce dedi vobis poteſtátem ſuper omnem virtútem inimíci: * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére; gaudéte autem quòd nómina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen & in laudem ómnibus pópulis terræ. * Verúmtamen. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

℟. *viij.* In regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in ſede majeſtátis ſuæ, * Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicantes duódecim tribus Iſrael. ℣. Judícium ſedébit, ut poteſtas & magnitúdo regni detur pópulo ſanctórum. * Sedébitis. Glória. * Sedébitis. *Matth.* 19. *Dan.* 7.

[*Poſt ix. Lectionem dicitur immediatè* Te Deum. *& ſic in quolibet Communi*].

AD LAUDES.

Antiphona, 6. F.

JEſus locútus eſt úndecim Diſcípulis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; euntes ergo docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

Ant. 8. c. Prædicáte Evangélium omni creatúræ; baptizantes eos, docentes ſerváre ómnia quæcumque mandávi vobis. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

Ant. 8. g. Quorum remiſéritis peccáta, remittuntur eis: & quorum retinuéritis, retenta ſunt. *Joann.* 20.

Ant. 1. G. Accipiétis.

Canticum Iſ. 52.

QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis * & prædicantis pacem;

Annuntiantis bonum, prædicantis ſalútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox ſpeculatórum tuórum: * levavérunt vocem, ſimul laudábunt.

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte ſimul, deſerta Jerúſalem; * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum * in óculis ómnium géntium.

Et vidébunt omnes fines terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Ant. Accipiétis virtútem ſuperveniéntis Spíritûs ſancti in vos, & éritis mihi teſtes uſque ad últimum terræ. *Act.* 1.

Ant. 3. a. Ecce ego vobiſcum ſum ómnibus diébus uſque ad conſummatiónem séculi. *Matth.* 28.

Capitulum. Epheſ. 4.

CHriſtus dedit quoſdam quidem Apóſtolos, quoſdam autem Prophétas; álios verò Evangeliſtas, álios autem Paſtóres & Doctóres ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti.

Hymnus.

QUi venit in terras Deus,
Ut morte nos ſervet ſuâ,
Amóris hic fidos ſui
Vos éligit vicários.

Occisus Agnus à lupis
Vos miſit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Veſtris eam ſudóribus,
Veſtro piaſtis sánguine.

Hoc rore facta pínguior
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta ſurrexit ſeges!
Et iſta nos ſeges ſumus.

Quam ſi bonus reſpéxeris,
Qui das rigátis créſcere,
Frumenta nos cœléſtibus
Matúra condes hórreis.

Uni ſit & trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ. 95.*

Duplicatur Antiph. ad Bened. in Feſtis Duplicibus 1. Claſſ. & ſuprà; & ſic in quolibet Communi.

Ad Benedictus, *Ant.* 1. D. Prædicábant ut pœniténtiam ágerent, & dæmónia multa ejiciébant, & ungébant óleo multos ægros, & ſanábant. *Marc. 6.*

Oratio propria eſt.

[*Ad Horas, Antiphonæ ſumuntur ex Laudibus, quartâ prætermiſsâ, & ſic in omni alio Communi*].

AD PRIMAM.

Antiph. 6. F. Jeſus.

Capitulum, Regi ſæculórum.

CANON Ferialis.

Cætera ut in Pſalterio.

AD TERTIAM.

Antiph. 8. c. Prædicáte.

Capitulum. Rom. 1.

PEr Jeſum Chriſtum accépimus grátiam & Apoſtolátum, ad obediendum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus.

[*In Duplicib. 1. Claſſis & ſuprà, ac per Octavas quaſcumque, (niſi aliter notetur) adduntur* ℟℟. *brevibus Tertiæ, Sextæ & Nonæ, duo* Allelúia; *& ſic in quolibet Communi*].

℟. *br.* In omnem terram * Exívit ſonus eórum. ℣. Et in fines orbis terræ ver-

ba eórum. * Exívit. Glória. ℟. In omnem.

℣. Non ſunt loquélæ neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18.

Oratio propria eſt.

AD SEXTAM.

Antiph. 8. g. Quorum.

Capitulum. 2. *Cor.* 5.

POſuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecrámus pro Chriſto, reconciliámini Deo.

℟. *br.* Veníte, * Et vidéte ópera Dómini. ℣. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. * Et vidéte. Glória. ℟. Veníte. *Pſ.* 45.

℣. Subjécit pópulos nobis, ℟. Et gentes ſub pédibus noſtris. *Pſ.* 46.

AD NONAM.

Antiph. 3. a. Ecce.

Capitulum. Epheſ. 2.

JAm non eſtis hóſpites & ádvenæ; ſed eſtis cives ſanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundamentum Apoſtolórum & Prophetárum, ipſo ſummo angulári lápide Chriſto Jeſu.

℟. *br.* In convertendo Dóminus captivitátem Sion, * Facti ſumus ſicut conſoláti. ℣. Magnificávit Dóminus fácere cum eis, * Facti ſumus. Glória. ℟. In convertendo.

℣. Magnificávit Dómiminus fácere nobiſcum; ℟. Facti ſumus lætantes. *Pſ.* 125.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 6. F.

INjecérunt manus in Apóſtolos, & poſuérunt eos in cuſtódia. *Act.* 5.

Ant. 2. D. Cæſis denuntiavérunt, ne omnínò loquerentur in nómine Jeſu. *Act.* 5.

Ant. 4. E. Ibant gaudentes à conſpectu concílii, quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. *Act.* 5.

Ant. 1. G. Loquebantur verbum Dei cum fidúcia; & virtúte magnâ reddébant teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti. *Act.* 4.

Ant. 3. a. Tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act.* 15.

Capitulum. 1. *Cor.* 4.

DEus nos Apóſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinátos; quia ſpectáculum facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

Hymnus, Qui venit in terras, Deus; &c. *ut ad Laudes ſupra, pag.* vj.

℣. Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟.

Nimis confortátus eſt principátus eórum, *Pſ.* 138.

Duplicatur Ant. in Feſtis Dupl. 2. Claſſ. & ſuprà. Et ſic in quolibet Communi.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. In fundamentis duódecim civitátis ſanctæ Jerúſalem nómina duódecim Apoſtolórum Agni. *Apoc.* 21.

Orátio ut in Proprio.

[*In Annualibus*, AD COMPLET. & *ad* Nunc dimittis. *Ant. propria ut ſuprà, ad Complet. poſt I. Veſp. Et ſic in omni alio Communi*].

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN PRIMIS VESPERIS.

[*In Feſtis Semiduplicibus, Antiphona unica, eaque prima, niſi aliter notetur: & ſic in qualibet Communi*].

Antiphona, 1. *toni*. D.

SI quis venit ad me, & non odit ánimam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcípulus. *Luc.* 14.

Ant. 4. E. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. *Matth.* 10.

Ant. 2. D. Qui perdíderit ánimam ſuam propter me, & Evangélium, ſalvam fáciet eam. *Marc.* 8.

Ant. 3. a. Hæc eſt grátia, ſi propter Dei conſciéntiam ſuſtinet quis triſtitias, pátiens injuſtè. 1. *Petr.* 2.

Ant. 3. g. Uſque in tempus ſuſtinébit pátiens; & póſteà rédditio jucunditátis. *Eccli.* 1.

Capitulum. Apoc. 3.

QUi vícerit, veſtiétur veſtimentis albis, & non delébo nomen ejus de libro vitæ, & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà, ℟. Beátus vir qui ſuffert tentatiónem, quóniam * Cùm probátus fúerit, † Accípiet corónam vitæ quam repromíſit Deus diligéntibus ſe. ℣. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur. * Cùm. Glória. † Accípiet. *Jac.* 1. *Tob.* 3.

Hymnus.

EX quo, ſalus mortálium,
Fluxit ſacer Dei cruor,
Homo redemptus æmulum
Deo litávit ſánguinem.

NON jam crucis Chriſti pudet;
Quin ſurgit ingens glória,

Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iſte plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

Parata ſpectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupente laſſat júdice;
Et tortus ipſis qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Chriſte, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia;
Da ſuſtinére pro tuo
Quodcumque durum nómine.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Juſtus cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuam. *Pſ.* 36.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Qui vícerit, dabo ei ſedére mecum in throno meo; ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3.

Oratio, ut infrà ad Laudes, niſi propria ſit.

Si eodem die occurrat Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad Benedictus, *&* ℣. *ex Laudibus, cum ea Oratione quæ in Proprio Sanctorum aſſignata eſt. Quod ſervatur in omni alio Communi.*

[*In Annualibus*, AD COMPLET. (*in quo ſemper dicuntur Pſalm. Feriales.*) *Ant.* 3. c. Qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris; ſed habébit lumen vitæ. *Joann.* 8.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Ego ad Dóminum aſpíciam; expectábo Deum Salvatórem meum. *Mich.* 7].

AD MATUTINUM.

Invitat. Chriſtum qui dat vincenti manna abſcónditum, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

Felix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo diffícilem rúmpere amas viam;
Et ſignáre cruóre
Quam Chriſto déderas fidem.

Pœnis victa quibus deficeret fides?
Tu pœnas avidâ mente præóccupas:
Cui non ſúfficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege ſua magnánimum mori,
Te Chriſtus púgilem ſpectat ab æthere;
Ne ſuccúmbere poſſis,

Tecum prælia ſúſtinet.
Et nos delícias vana per
ótia,
Gens infída Deo, quæri-
mus ánxii:
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxci-
tat
Semper máxima laus in-
génito Patri;
Semper laus génito máxi-
ma Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

[*In Duplicibus ſimpliciter dicitur Antiphona unica in unoquoque Nocturno, eaque prima de tribus uniuscujuſque Nocturni, ſi Feſtum occurrat Feriâ II. aut V. ſecunda, ſi Feriâ III. aut VI. & tertia, ſi Feriâ IV. aut Sabbato. In Semiduplicibus & Simplicibus, tres Antiphonæ ad Nocturnum, Verſiculus & duo* ℟℟. *ſumuntur ex uno eodemque Nocturno, juxta Feriam, id eſt, ſi Feſtum occurrat Feriâ II. vel V. tres Antiph. Verſiculus & Reſponſoria* j. & iij. *de I. Nocturno: ſi Feriâ III. aut VI. tres Ant. Verſic. &* ℟℟. iv. & vj. *de II. Noct. ſi autem Feriâ IV. aut Sabbato, tres Ant. Verſic. &* ℟℟. *de III. Noct. & ſic in quolibet Communi*].

Ant. 1. a. Bonus Dóminus; & confortans in die tribulatiónis, & ſciens ſperántes in ſe. *Nahum.* 1.

Ant. 3. c. Qui confídit in Dómino, & erit Dóminus fidúcia ejus; non timébit cùm vénerit æſtus. *Jerem.* 17.

Ant. 2. D. In tentatióne Deus illum conſervábit, & liberábit à malis. *Eccli.* 33.

℣. Parátum cor ejus ſperáre in Dómino; ℟. Confirmátum eſt cor ejus, non commovébitur. *Pſ.* 111.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Probávit me Dóminus quaſi aurum quod per ignem tranſit: * Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus; viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoſcendum Chriſtum & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus: * Veſtígia. *Job.* 23. *Philipp.* 3.

℟. *ij.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. ℣. Confortátus eſt fide, dans glóriam Deo, * Ut vínceret. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. *iij.* Cuſtodívit illum Dóminus ab inimícis: * Deſcendit cum illo in fóveam, & † In vínculis non derelíquit illum. ℣. Erat

Deus cum eo, & eripuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * Deſcendit. Glória. † In vínculis. *Sap.* 10. *Act.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13.

Ant. 6. F. Víncula & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. *Act.* 20.

Ant. 1. G. Non fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me, dúmmodò conſummem curſum meum. *Act.* 20.

℣. In Deo ſperávi; ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Pſ.* 55.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 311. *in nat. Cypr. Mart.* *Lectio iv.*

ISTum nobis feſtum diem páſſio beatíſſimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in iſtum locum devotíſſimos congregávit. Sed celebrátio ſolemnitátis Mártyrum, imitátio debet eſſe virtútum. Fácile eſt honórem Mártyris celebráre; magnum eſt fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc ſic agámus, ut illud optémus: hoc ſic celebrémus, ut illud pótiùs diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia uſque ad mortem pro veritáte certávit, & ideò vicit. Blandientem mundum contempſit, ſævienti non ceſſit: ideò victor ad Deum acceſſit.

℟. iv. Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in neceſſitátibus, in perſecutiónibus, in anguſtiis pro Chriſto; * Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. ℣. In Dómino ſperans, non infirmábor. * Cùm enim. 2. *Cor.* 12. *Pſ.* 25.

Lectio v.

ABundant in iſto ſéculo errores & terróres: beatíſſimus Martyr erróres ſapiéntiâ, terróres patiéntiâ ſuperávit. Magnum eſt quod fecit: ſecútus Agnum, leónem vicit. Quando perſecútor ſæviébat, leo fremébat: ſed quia Agnus ſursùm attendebátur, leo deorsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe, & pro iſta prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inferret, damna, exília, víncula, tormenta, flammas, béſtias, cruces, mortes.

℟. v. Ego non ſolùm alligári, ſed * Et mori parátus ſum propter nomen Dómini Jeſu. ℣. Ego áni-

mam & corpus meum trado pro pátriis légibus. * Et mori. *Act.* 21. 2. *Mach.* 7.

Lectio vj.

ALius moriebátur, ut álius honorarétur; álius occidebátur, ut álius colerétur. Numquid hoc fácerent, niſi flagrántiâ caritátis de conſciéntia veritátis? Prædicavérunt mórtuū quem ſciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam; ſciébant pro qua felicitáte ferrent tranſitóriam infelicitátem; pro quibus præmiis iſta damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodeſt hómini, ſi totum mundum lucrétur, ánimæ autem ſuæ detrimentum patiátur?

℟. *vj.* Secundùm expectatiónem & ſpem meam in nullo confundar; ſed * Magnificábitur Chriſtus in córpore meo ſive per vitam, ſive per mortem. ℣. E cœlo membra iſta poſſídeo, ſed propter Dei leges hæc ipſa deſpício. * Magnificábitur. Glória. * Magnificábitur. *Philipp.* 1. 2. *Mach.* 7.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Fórtiter vitâ excedéndo exemplum forte relinquam. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. d. Prompto ánimo pro graviſſimis ac ſanctiſſimis légibus honeſtâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6.

Ant. 8. F. Si ímmolor ſupra ſacrifícium & obſéquium fídei, gaúdeo: idipſum & vos gaudéte, & congratulámini mihi. *Philipp.* 2.

℣. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam; ℟. Quia Deus ſuſceptor meus es. *Pſ.* 58.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 35. *in Evangelia.*

QUia Dóminus ac Redemptor noſter novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ étenim noſtræ véteri in vítiis enutrítæ contrarietátem oppóſuit novitátis ſuæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat? niſi ſua retinére, aliéna rápere, ſi poſſet; concupíſcere, ſi non poſſet. Sed cœleſtis médicus ſíngulis quibuſque vítiis obviántia ádhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cá-

lidis curantur : ita Dóminus noſter contrária oppóſuit medicamenta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracundis manſuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℟. vij. Eſto fidélis uſque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ : * Qui vícerit, non lædétur à morte ſecunda. ℣. Uſque ad mortem certa pro juſtítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. * Qui vícerit. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

Lectio viij.

CErtè cùm ſe ſequéntibus nova mandáta proponeret, dixit : Niſi quis renuntiáverit ómnibus quæ póſſidet, non poteſt meus eſſe diſcípulus. Ac ſi apertè dicat : Qui per vitam véterem aliéna concupíſcitis, per novæ converſatiónis ſtúdium & veſtra largímini. Quid verò in hac lectióne dicat, audiámus. Qui vult poſt me veníre, ábneget ſemetipſum. Ibi dícitur, ut abnegémus noſtra ; hìc dícitur ut abnegémus nos. Et fortaſſe laborióſum non eſt hómini relinquere ſua : ſed valde laborióſum eſt relínquere ſemetipſum. Minùs quippe eſt abnegáre quod habet ; valde autem multum eſt, abnegáre quod eſt.

℟. viij. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo ; * Et ſalvum fáciet in regnum ſuum cœleſte. ℣. In die tribulatiónis exultábo in Deo Jeſu meo : ſuper excelſa dedúcet me victor, * Et ſalvum. Glória. * Et. 2. *Tim.* 4. *Hab.* 3.

Lectio ix.

AD ſe autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus noſtris : quia quicumque ad fidei agónem venímus, luctámen contra malignos ſpíritus súmimus. Nihil autem maligni ſpíritus in hoc mundo próprium póſſident ; nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam ſi veſtítus quiſquam cum nudo luctátur, cítiùs ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim ſunt terréna ómnia, niſi quædam córporis indumenta ? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, veſtimenta abjíciat, ne ſuccumbat.

AD LAUDES.

[*In Semiduplicibus & infrà Antiphona unica, eaque quarta ; & ſic in quolibet Communi*].

Antiphona, 8. g.

PRopter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens ánimam ſuam. *Philipp.* 2.

Ant. 3. a. Patienter ſúſti-

nens deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Mach.* 6.

Ant. 1. a. Magis éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, invisíbilem tanquam videns ſuſtínuit. *Hebr.* 11.

Ant. 5. C. Glorioſíſſimam.

Canticum. Eccli. 51.

Confitébor tibi, Dómine rex, * & collaudábo te Deum ſalvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protector factus es mihi.

Et liberaſti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium; * & in conſpectu aſtántium factus es mihi adjútor.

Et liberaſti me ſecundùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui * à rugiéntibus præparátis ad eſcam:

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

Ant. Glorioſíſſimam mortem magis quàm odíbilem vitam compleċtens, voluntáriè præíbat ad ſupplícium. 2. *Mach.* 6.

Ant. 6. F. Hoc modo vitâ deceſſit, univerſæ genti memóriam mortis ſuæ ad exemplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. *II. Mach.* 6.

Capitulum. Rom. 8.

Fratres, exíſtimo quòd non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis.

Hymnus.

Jam non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco
Fulgentes hábitas domos.

Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber Súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

Nec te dira fames, nec ſitis ámpliùs,
Nec probróſa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Paſcit Chriſtus, & índuit.

Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundíſque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.

Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Fílio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Cantábo, Dómine

fortitúdinem tuam; ℟. Et exultábo manè miſericórdiam tuam. *Pſ.* 58.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi: in réliquo repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ. 2. *Tim.* 4.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítia cólimus, interceſſióne ejus in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui beátum Mártyrem tuum *N.* virtúte conſtántiæ in paſſióne roboraſti; ex ejus imitatióne tribue pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus adverſa formidáre; Per Dóminum.

Si ſit Pontifex, Oratio.

FAc nos, Dómine, imitári ſacerdotálem conſtántiam beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem ſervantes quam dócuit, ejuſdem corónæ conſortes efficiámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui beáto *N.* dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuiſti; fac nos ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui ſolus vera vita es, perveníre; Per Dóminum.

[*Si facienda ſit Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad* Magníficat, *&* ℣. *II. Veſperarum. Quod ſervatur in omni alio Communi*].

AD PRIMAM.

Antiph. 8. g. Propter.

AD TERTIAM.

Antiph. 3. a. Patienter.

Capitulum. 2. *Tim.* 2.

LAbóra ſicut bonus miles Chriſti Jeſu; nam & qui certat in agóne, non coronátur, niſi legitimè certáverit.

℟. *br.* In Deo ſalutáre meum, * Et glória mea. ℣. Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt. *Et glória. Glória. ℟. In Deo. *Pſ.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, ℟. Et ſperábo in eum. *Pſ.* 17.

AD SEXTAM.

Antiph. 1. a. Magis.

Capitulum. 2. *Tim.* 1.

PAtior, ſed non confúndor; ſcio enim cui crédidi, & certus ſum quia potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem.

℟. *br.* Si conſiſtant adversùm me caſtra, * Non timébit cor meum. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego ſperábo. * Non. Glória. ℟. Si.

℣. Dóminus illuminátio

mea & ſalus mea; ℟. Quem timébo? *Pſ.* 26.

AD NONAM.

Antiph. 6. F. Hoc modo.

Capitulum. Tob. 3.

POſt tempeſtátem tranquillum facis, Dómine; & poſt lacrymatiónem & fletum exultatiónem infundis. Sit nomen tuum, Deus Iſrael, benedíctum in ſécula.

℟. *br.* Factus es, Dómine, * Suſceptor meus. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. * Suſceptor. Glória. ℟. Factus es. *Pſ.* 58.

℣. Tu, Dómine, adjuviſti me, ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85.

AD II. VESPERAS.

[*In Semiduplicibus, Antiph. unica, eaque prima, niſi aliter notetur. Et ſic in quolibet Communi*].

Antiphona, 4. f.

CUm à morte poſſem liberári, duros córporis ſuſtíneo labóres; ſecundùm ánimam verò libenter hæc pátior. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. a. Gaúdeo in paſſiónibus, & adímpleo ea quæ deſunt paſſiónum Chriſti in carne mea. *Col.* 1.

Ant. 5. a. Replétus ſum conſolatióne, ſuperabundo gáudio in omni tribulatióne. 2. *Cor.* 7.

Ant. 8. g. Dóminus mihi áſtitit, & confortávit me: & ſalvum fáciet in regnum ſuum cœleſte. 2. *Tim.* 4.

Ant. 4. f. Eripuiſti me de témpore iníquo; proptéreà confitébor & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini. *Eccli.* 51.

Capitulum. 1. *Joann.* 5.

OMne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum; & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra.

Hymnus, Jam non te lácerant, *ut in Laudibus*, *pag.* xiv.

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum. *Pſ.* 33.

Ad Magnificat, *Ant.* 6. F. Juſtum à peccatóribus liberávit Dóminus, & non derelíquit illum, & dedit illi claritátem æternam. *Sap.* 10.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

In primis Veſperis.

Antiphona, 2. D.

VEnit hora ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Deo. *Joann.* 16.

Ant. 3. a. Injícient vobis manus ſuas, & perſequentur trahentes ad reges & præſides. *Luc.* 21.

Ant. 4. f. Occídent vos, & éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. *Matth.* 24.

Ant. 5. a. In mundo preſſúram habébitis; ſed confídite, ego vici mundum. *Joann.* 16.

Ant. 1. D. In patiéntia veſtra poſſidébitis ánimas veſtras. *Luc.* 21.

Capitulum. 1. *Petr.* 4.

SI exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis; quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, ſuper vos requieſcit.

In Duplicibus 2. Claſſis & ſuprà. ℟. Dignè Evangélio Chriſti conversámini, & in nullo terreámini ab adversáriis; * Quia † Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. ℣. A verbis viri peccatóris ne timuéritis: confortámini, & viríliter ágite in lege. * Quia. Glória. † Vobis. *Philipp.* 1. 1. *Mach.* 2.

Hymnus.

FOrtes cadendo Mártyres,
Quos empta fuſo ſánguine
Cœleſtis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

Implere vos omnes decet
Paſſo Deo quod défuit:
Per tot neces læſo Patri
Fit plena Chriſtus hóſtia.

Quem lictor insánus ſitit,
Quem cæcus effundit furor;
Amor ſacerdos pródigum
Chriſto cruórem cónſecrat.

Et ille mixtus ſánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non ceſſat Deum.

Sic, Chriſte, robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuóſque múnerans, tua
Æquus corónas múnera.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Multæ tribulatiónes juſtórum; ℟. Et de omni-

bus his liberábit eos Dóminus. *Pſ.* 33.

Ad Magníficat *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte & exultáte; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. *Luc.* 6.

Oratio, ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.

In Annualibus, AD COMPLETORIUM. *Ant.* 3. c. Complebuntur dies luctûs tui, Sion: non óccidet ultrà ſol tuus. *Iſ.* 60.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Sérvient Deo ſervi ejus, & vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum legítimè certantes coronantem, * Veníte, adorémus. *II. Tim.* 2.

Pſalmus Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

QUAM vincla ſunt hæc fórtia
Quæ Mártyres Deo ligant!
Non vita, mille non neces
A caritáte séparant.

VIX corpus unum ſúfficit:
Non eſt ſatis ſemel mori;
Quot ſciſſa membra, tot litant
Deo placentes víctimas.

SÆVIT tyrannus, állicit;
Temnunt minas, temnunt preces
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem díligunt.

ACTI procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur; &, Chriſto duce,
Portus beátos óccupant.

FAC, Chriſte, ſemper mens tibi
Inter cruces adhæreat:
Fac dura quæ corpus premunt,
Ad te magis nos érigant.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni tempóre.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Ecce natiónes convenérunt adversùm nos, ut nos diſperdant: quómodò potérimus ſubſiſtere, niſi tu, Deus, ádjuves nos? 1. *Mach.* 3.

Ant. 5. a. Séquimur te in toto corde, & timémus te, & quærimus fáciem tuam: érue nos, & da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3.

Ant. 8. g. Omnes qui oſtendunt ſervis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua, & ſciant quia tu es Dóminus Deus ſolus. *Dan.* 3.

℣. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Nos ſtulti propter Chriſtum : maledícimur, & benedícimus ; * Perſecutiónem pátimur, & ſuſtinémus ; blaſphemámur, & obſecrámus. ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die : æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. * Perſecutiónem. 1. *Cor.* 4. *Pſ.* 43.

℟. *ij.* Quis nos ſeparábit à caritáte Chriſti ? tribulátio ? an angúſtia ? an fames ? an perſecútio ? an gládius ? * Neque mors, neque vita póterit nos ſeparáre à caritáte Dei. ℣. Hæc ómnia venérunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, Dómine. * Neque mors. *Rom.* 8. *Pſ.* 43.

℟. *iij.* Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, * Módicùm paſſos ipſe perficiet : ipſi glória & impérium † In ſécula ſeculórum. ℣. Rex mundi defunctos nos pro ſuis légibus in æternæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit : * Módicùm. Glória. † In ſécula. 1. *Petr.* 5. *II. Mach.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. b. In mortem trádimur propter Jeſum, ut & vita Jeſu manifeſtétur in carne noſtra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 5. b. Paráti ſumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7.

Ant. 6. F. Propítius ſit nobis Deus : non eſt nobis útile relínquere legem, & juſtítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem ; ℟. Et ipſe ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Pſ.* 59.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 335. *in nat. Mart.*

Lectio iv.

QUóniam dies ſanctórum Mártyrum eſt, unde pótiùs áliquid delectet nos dícere, niſi de glória ipsórum ? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò ante beátum Apóſtolum Paulum prædicantem : Quis nos ſeparábit à caritáte Chriſti ? (Iſta vox eſt Mártyrum.) Tribulátio ? an angúſtia ? an perſecútio ? an fames ? an núditas ? an perículum ? an gládius ? Sicut ſcriptum eſt : Propter te morte afficimur totâ die ; deputáti ſumus ut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus per eum qui diléxit nos. Hæc eſt vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de ſe nihil præſúmere : illum dilígere qui glorificátur in ſuis ; ut qui gloriá-

tur, in Dómino gloriétur.

℟. *iv.* Abſit à nobis ut relinquámus Dóminum, & ſerviámus diis aliénis: * Dómino Deo noſtro ſerviémus, & obediéntes érimus præcéptis ejus. ℣. Et ſi ſunt qui dicántur dii, ſive in cœlo, ſive in terra, nobis tamen unus Deus. * Dómino. *Joſ.* 24. 1. *Cor.* 8.

Lectio v.

NOvérunt & illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti. Si juſti in Dómino lætantur, injuſti non novérunt lætári niſi in ſéculo. Sed ipſa eſt prima ácies debellanda: primò vincendæ ſunt delectatiónes, & póſteà dolóres. Quómodò poteſt ſuperáre mundum ſævientem, qui non poteſt ſuperáre blandiéntem? Blanditur hic mundus pollicendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus intentando dolóres, egeſtátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodò ſuperáre poteſt quod minátur?

℟. *v.* Dóminus Deus aſpíciet veritátem, & conſolábitur in nobis. * Pótius eſt ab homínibus morti datos ſpem expectáre, à Deo, íterùm ab ipſo reſuſcitandos. ℣. Sicut abundant paſſiónes Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolátio noſtra. * Pótius eſt. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

Lectio vj.

HAbent delectatiónem ſuam divítiæ: quis néſciat? Sed plus habet delectatiónis juſtítia. Delectáre divítiis cum juſtítia. Ubi autem talis artículus tentatiónis inciderit, ut duo hæc véniant in contentiónem, divítiæ & juſtítia, & non poſſis habére utrumque; ſed ſi míſeris manum ad divítias, neceſſe eſt ut admittas juſtítiam; ſi míſeris manum ad juſtítiam, péreant divítiæ: modò élige, modò pugna; modò videámus ſi non ſine cauſa cantaſti: Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti: modò videámus ſi non ſine cauſa audiſti: Quis nos ſeparábit à caritáte Chriſti? Et quidem prætermíſit ómnia quibus blandítur mundus, & te vóluit ea commemoráre, quibus ſævit mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum prænuntiábat: illa ubique certámina ubi vicérunt perſecutiónem, famem, ſitim, egeſtátem, ignomíniam; ad extrémum timórem mortis & hoſtem ſæviſſimum.

℟. *vj.* Exhibeámus noſ-

metipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, * In neceſſitátibus, in angúſtiis, in plagis, in carcéribus. ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles. * In neceſſitátibus, in angúſtiis, in plagis, in carcéribus. Glória. * In neceſſitátibus. 2. *Cor.* 6. *Judith.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Elegérunt magis mori, & noluérunt infríngere legem Dei ſanctam, & trucidáti ſunt. *I. Mach.* 1.

Ant. 1. f. Et ſi coram homínibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3.

Ant. 4. a. Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtamento vitæ æternæ effecti ſunt. *II. Mach.* 7.

℣. Non derelinquet Dóminus ſanctos ſuos; ℟. In æternum conſervabuntur. *Pſ.* 36.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm audiéritis prælia & ſeditiónes, nolíte terréri: opor- tet primùm hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 35. *in Evang.*

AUdítis tot terróribus, turbári póterant infirmórum corda, atque ídeò conſolátio adjúngitur: Pœnite ergo in córdibus veſtr, non præmeditári quemádmodum reſpondeátis. Ego enim dabo vobis os & ſapiéntiam, cui non póterunt reſíſtere & contradícere omnes adverſárii veſtri. Ac ſi apertè membris ſuis infirmántibus dicat: Nolíte terréri, nolíte pertiméſcere: vos ad certámen accéditis, ſed ego prælior: vos verba éditis, ſed ego ſum qui loquor.

℟. *vij.* Ludíbria & vérbera experti, ínſuper & víncula & cárceres: * Lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. ℣. Tradidérunt córpora ſua ne ſervírent, & ne adorárent omnem Deum, excepto Deo ſuo. * Lapidáti ſunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

Lectio viij.

SEquitur: Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte afficient ex vobis. Sed quia dura ſunt quæ prædicuntur de afflictióne mortis, prótinùs conſolátio ſúbditur de gáudio reſurrectiónis, cùm dicitur:

Capillus de cápite veſtro non peribit; vidélicet apertè dicens: Cur timétis ne péreat quod incíſum dolet, quando & illud in vobis períre non poteſt, quod incíſum non dolet? Séquitur: In patiéntia veſtra poſſidébitis ánimas veſtras. Idcircò poſséſſio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur, quia radix ómnium cuſtoſque virtútum patiéntia eſt. Per patiéntiam verò poſſidémus ánimas noſtras; quia dum nobis ipſis dominári díſcimus, hoc ipſum incípimus poſſidére quod ſumus.

℟. *viij.* Antíquus diérum judícium dedit ſanctis Excelſi; * Et † Regnum obtinuérunt ſancti. ℣. Per fidem operáti ſunt juſtítiam, adepti ſunt repromiſſiónes. * Et. Glória. † Regnum. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

Lectio ix.

Et nos ſine ferro eſſe póſſumus Mártyres, ſi patiéntiam veráciter in ánimo cuſtodímus.... Serváte ergo, fratres, in mente patiéntiam, eamque, cùm res éxigit, exercéte in operatióne. Nullum veſtrûm ad ódium próximi contumelióſa verba commóveant, nullum periturárum rerum damna perturbent. Si enim mansúra damna pertiméſcitis; damna rerum tranſeúntium grávia non putátis. Si ætérnæ retributiónis glóriam concupíſcitis, de temporáli injúria non dolétis. Toleráte ergo adversários veſtros: ſed ut fratres dilígite, quos tolerátis. Ætérna præmia pro dámnis temporálibus quærite.

AD LAUDES

Antiphona, 7. d.

Vidi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter teſtimóniũ quod habébant. *Apoc.* 6.

Ant. 1. a. Stabant ante thronum in conſpectu Agni, & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 2. D. Datæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis ut requiéſcerent. *Apoc.* 6.

Ant. 6. F. Hi ſunt.

Canticum. Sap. 3.

Juſtórum ánimæ in manu Dei ſunt, * & non tanget illos tormentum mortis.

Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori, * & æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum;

Et quod à nobis eſt iter, extermínium: * illi autem ſunt in pace.

Et ſi coram homínibus tormenta paſſi ſunt, * ſpes illórum immortalitáte plena eſt.

In paucis vexáti, in mul-

tis benè diſponentur ; * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe.

Tanquam aurum in fornáce probávit illos, & quaſi holocauſti hóſtiam accépit illos ; * & in témpore erit reſpectus illórum.

Fulgébunt juſti, * & tanquam ſcintillæ in arundinéto diſcurrent.

Judicábunt natiónes & dominabuntur pópulis ; * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Ant. Hi ſunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7.

Ant. 8. c. Non esúrient neque sítient ámpliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus. *Ibid.*

Capitulum. Jac. 1.

OMnæ gáudium exiſtimáte, Fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis : ſcientes quòd probátio fidei veſtræ patiéntiam operátur ; patiéntia autem opus perfectum habet.

Hymnus.

QUAM, Chriſte, ſignaſti viam
Primus, profúſo sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem ſequuntur mílites.

Fossus manus, foſſus pedes,
Ovans ad aſtra tránſvolas ;
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triumpho ſe tuo.

Omnes in oſtro ſpléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt :
Accepta monſtrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

Audire ſi nos réſpuis,
Quos críminum moles gravat ;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

Fac, ſi tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipſis tyrannis ſævior.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

℣. Salus juſtórum à Dómino : ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Pſ.* 36.

Ad Bened. *Ant.* 8. g. Beáti qui perſecutiónem patiuntur propter juſtítiã, quóniam ipsórum eſt regnum cœlórum. *Matth.* 5.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſanctórum Mártyrum tuórum *N.* & *N.* quorum celebrámus victórias, participémus & præmiis ; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, cujus grátiâ ſancti Mártyres tui *N.* & *N.* mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti ſunt; da nobis ut te ſolum diligentes, próſpera mundi ſimul & adverſa deſpiciámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 7. d. Vidi.

AD TERTIAM.

Ant. 1. a. Stabant.

Capitulum. Sap. 3.

TAnquam aurum in fornáce probávit illos, & quaſi holocauſti hóſtiam accépit illos, & in témpore erit reſpectus illórum.

℟. *breve.* Probaſti nos, Deus: * Igne nos examinaſti. ℣. Sicut examinátur argentum. * Igne. Glória. ℟. Probaſti. *Pſ.* 65.

℣. Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliaſti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Pſ.* 89.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Datæ ſunt.

Capitulum. Sap. 10.

REddidit juſtis Deus mercédem labórum ſuórum, & deduxit illos in via mirábili, & fuit illis in velamento diéi: tránſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit illos per aquam nímiam.

℟. *br.* Transívimus * Per ignem & aquam. ℣. Et eduxiſti nos, Deus, in refrigérium. * Per. Glória. ℟. Transívimus. *Pſ.* 65.

℣. Salvaſti nos, Dómine, de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in ſéculum. *Pſal.* 43.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Non esúrient.

Capitulum. Iſ. 9.

LÆtabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victóres captâ prædâ, quando dívidunt ſpólia.

℟. *breve.* Qui séminant in lácrymis, * In exultatióne metent. ℣. Euntes ibant & flebant mittentes sémina ſua. * In. Glória. ℟. Qui.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos ſuos. *Pſ.* 125.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 5. a.

LÆtítia ſempiterna ſuper caput eórum, gaúdium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus. *Iſ.* 35.

Ant. 3. c. In perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum. *Sap.* 5.

Ant. 1. D. Judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum. *Sap.* 3.

Ant. 4. E. Qui vicérunt, habent cítharas Dei, & cantant

tant cánticum Agni. *Apoc.* 15.

Ant. 8. g. Agnus qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7.

Capitulum. Iſ. 65.

OBlivióni tráditæ ſunt angúſtiæ prióres, & non erunt in memória prióra, & non aſcendent ſuper cor; ſed gaudébitis & exultábitis uſque in ſempitérnum.

Hymnus. Quam, Chriſte, *ut in Laudibus, pag.* xxiij.

℣. Exultent juſti in conſpectu Dei, ℟. Et delectentur in lætítia. *Pſ.* 67.

Ad Magníficat, *Ant.* 7. d. Ecce quómodò computáti ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt. *Sap.* 5.

COMMUNE SS. PONTIFICUM.

In primis Veſperis.

Antiphona, 5. a.

SUſcitábo ſuper oves meas Paſtórem unum; ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtórem. *Ezech.* 34.

Ant. 8. g. Elégi eum ex ómnibus mihi in ſacerdótem, ut aſcénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incenſum. 1. *Reg.* 2.

Ant. 6. F. Pones tiáram in cápite ejus, & ſanctificábo eum ut ſacerdótio fungátur mihi. *Exod.* 29.

Ant. 2. D. Juxta cor meum & ánimam meam fáciet, & ambulábit coram Chriſto meo cunctis diébus. 1. *Reg.* 2.

Ant. 3. c. Geſtábit judícium filiórum Iſrael in péctore ſuo in conſpectu Dómini ſemper. *Exod.* 28.

Pars Hiemalis.

Capitulum. Hebr. 5.

NEc quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificávit ut Póntifex fíeret, ſed qui locútus eſt ad eum: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm órdinem Melchíſedech.

[*In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà*, ℟. Locútus es ſanctis tuis, Dómine, & dixiſti: Invéni ſervum meum, * Oleo ſancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus teſtimónium pérhibens dixit: Invéni virum ſecundùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Pſ.* 88. *Act.* 13].

Hymnus.

CHriste, Paſtórum caput atque princeps,
Præſulis feſtam veneráta lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu;
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocante,
Sumpſit honórem.

Strenuum bello púgilem superni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, poſuítque ſanctam
Páſcere gentem.

Fit gregis Paſtor, pater atque forma.
Omnium curas levat & labóres;
Lætus impendit ſua ſeque, cunctis
Súfficit unus.

Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapſos, tenebráſque pellit.
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hoſtem.

Fac, ut illíus précibus juvémur,
Chriſte; fac, Patrem paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Elégit Dóminus ſervum ſuum, ℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77.

Ad Magníficat. *Ant.* 4. E. Ipſum elégit Dóminus ab omni vivente, offerre ſacrifícium Deo, incenſum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo ſuo. *Eccli.* 45.

Oratio, ut infrà ad Laudes, niſi propria aſſignetur.

[*In Annualib.* ad Completorium, *Ant.* 3. a. Ténebræ tuæ erunt ſicut merídies; & réquiem tibi dabit Dóminus ſemper. *Iſ.* 58.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 7. G. Cùm vénerit Dóminus & pulſáverit, beáti ſervi quos invénerit vigilantes. *Luc.* 12].

AD MATUTINUM.

Invitat. Chriſtum Epíſcopum animárum noſtrárum, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2.

Pſalmus Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

CHriste, decréto Patris inſtitútus,
Póntifex ſummo, tibi ſegregátos
Ponis, & formas pópulis regendis
Ipſe miniſtros.

Hunc juvat feſto celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis coruſcans,

Sumpſit invítus, trepidante
dextrâ,
Pondus honóris.
Noverat quantis páteat
períclis
Ille qui, ſummos ápices
adeptus,
Omnium curas, ſibi raptus
uni,
Súſtinet omnes.
Fecerat fervens amor in-
quiétum.
Quò gregis cari pia cura
poſcit,
Advolat promptus; mora
non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte,
monſtrat;
Cómprobat factis ſua dicta
magnis,
Et domum ſanctam bene
olente Chriſti
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen
labanti,
Una ſpes lapſo, míſero le-
vámen,
Próvidus cunctis pater,
omnibúſque
Omnia factus.
Christe, Paſtórum bo-
nus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio
cruóre,
Fac ut æternæ súbeant
opíma
Páſcua vitæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Vocávit eum Dóminus, & ait: Vidi afflictiónem pópuli mei; veni, & mittam te ut edúcas pópulum meum. *Exod.* 3.

Ant. 1. G. Dixit ad Deum: Quis ſum ego ut vadam & edúcam fílios Iſrael? Qui dixit ei: Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. 8. G. Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Iſrael: ſcito quòd míſerim te. *Jud.* 6.

℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Póntifex ſuper cujus caput fuſum eſt unctiónis óleum, * Non contaminábitur, ne pólluat ſanctuárium Dómini. ℣. Oportet Epíſcopum ſine crímine eſſe, ſicut Dei diſpenſatórem. * Non. *Levit.* 21. *Tit.* 1.

℟. *ij.* Speculatórem dedi te dómui Iſrael; * Aúdiens ergo ex ore meo ſermónem, annuntiábis eis ex me. ℣. In mente habe quáliter accéperis & audíeris, & ſerva. * Aúdiens ergo. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. *iij.* Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo; * Offer holocauſtum, & † Deprecáre pro te & pro pópulo. ℣. Debet Póntifex quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro ſemetipſo offerre pro peccátis.

* Offer. Glória. † Deprecáre. *Levit. 9. Hebr. 5.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Dedit illi Dóminus in præceptis ſuis poteſtátem, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſrael. *Eccli. 45.*

Ant. 5. a. In lege Dómini congregatiónem judicávit, & in fide ſua probátus eſt Prophéta, & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis. *Eccli. 46.*

Ant. 6. F. Confirmávit omnes húmiles pópuli ſui, & legem exquisívit, & ábſtulit omnem iníquum & malum. 1. *Mach.* 14.

℣. Invocábant Dóminum ſacerdótes ejus : ℟. Ipſe exaudiébat eos, & loquebátur ad eos. *Pſ.* 98.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Homil. 10. *in Epiſt.* 1. *ad Tim.*

Lectio iv.

SI quis Epiſcopátum áppetit, non principátûs ac dominatiónis faſtu, ſed pro cura regíminis & caritátis affectu, non ímprobo : bonum quippe desíderat opus. Quippe & Móyſes eamdem rem appetiviſſe cognóſcitur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitúmque dominandi nequáquam quæsívit ; ſed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cùm illi dicerétur : Quis te conſtítuit príncipem & júdicem ſuper nos ? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Epiſcopátus enim ex eo dícitur, quòd omnes inſpíciat, cúnctaque ſpeculétur. Oportet ígitur Epíſcopum irreprehensíbilem eſſe. Hoc único verbo genus omne virtútum expreſſit. Itaque qui ſibi vel levis culpæ cónſcius eſt, malè profectò facit, eam rem áppetens, quâ indignum ſe per ópera facit. Non enim decet hujúſmodi régere, ſed pótiùs regi. Eum quippe qui regendos álios ſúſcipit, tantâ decet glóriâ virtútis excéllere ut, inſtar ſolis, céteros, véluti ſtellárum ignículos, in ſuo fulgóre obſcúret. Debet hujúſmodi vitam habére immaculátam atque compóſitam, ut omnes in illum & in ejus vitam, véluti in exemplum áliquod excellens, intueántur.

℟. iv. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis ; & dedi ei timórem, & tímuit me. * Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non eſt inventa in lábiis ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo ejus tanquam fámulus, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant : * Lex. *Malach.* 2. *Hebr.* 3.

Lectio v.

VIgilantem eſſe neceſſe eſt eum qui non tantùm ſuî curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet eſſe pervígilem eum qui ejúſmodi eſt, ac ſpíritu vívere, & affectûs ſui flammam opéribus ipſis oſténdere, ſollicitúdine atque induſtriâ præcéllere; ut die noctúque exércitum & caſtra perluſtret, labóret, & ſui offícii munus diligentíſſimè ímpleat, atque ómnium curam & ſollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, & hoſpitalitátis amatórem. Iſta & in súbditis plerumque vídeas. Verùm quóniam oportet eum & ea quæ ſunt rectóris habére, idcircò ſubjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur: céterùm illi ante ómnia adeſſe debet, qui ejúſmodi ſuſcépit offícium.

℟. *v.* Dedit pópulis legem, ne obliviſcerentur præcepta Dómini; &, ut non exerrárent méntibus, hortabátur * Ne legem amovérent à corde ſuo. ℣. Hic erat edoctus viam Dómini, & fervens Spíritu loquebátur. * Ne legem. 2. *Mach.* 2. *Act.* 18.

Lectio vj.

IDcircò nos elégit Deus, ut ſimus quaſi luminária, ut véluti fermentum evadámus, ut magiſtri ceterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus & púeris, quaſi ſpirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio noſtro ingéntia lucra conquírant; ut ſémina ſimus, ut fructum lætíſſimũ afferámus. Non opus eſſet verbis, ſi in hunc modum vita noſtra ſanctitátis luce fulgéret. Nihil magiſtris opus eſſet, ſi virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentílis eſſet, ſi ipſi, ut oportet, Chriſtiáni eſſe curarémus; ſi Dei mónitis ac ſcitis obtemperarémus; ſi injúrias perpeſſi, vicem non referrémus; ſi maledictis laceſſiti, benedicerémus; ſi pro malis bona redderémus. Nemo eſſet ita fera béllua, ut non ſtatim ad cultum veræ religiónis accúrreret, ſi vidéret hæc ab ómnibus fieri. Atque ut diſcas ita eſſe, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attraxit ad Dei notítiam. Si omnes eſſémus hujúsmodi, quot terrárum orbes & ipſi attráhere poſſémus?

℟. *vj.* In pace & in æquitáte ambulávit, & multos avertit ab iniquitáte. * Lábia enim ſacerdótis cuſtó-

dient ſciéntiam, & legem requírent ex ore ejus, quia † Angelus Dómini exercítuum eſt. ℣. Oportet Epíſcopum ampleсti eum qui ſecundùm doctrínam eſt, fidélem ſermónem, ut potens ſit exhortári in doctrína ſana. * Lábia. Glória. † Angelus. *Malach.* 2. *Tit.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quæſívit bona genti ſuæ; & plácuit illis poteſtas ejus & glória ejus ómnibus diébus. 1. *Mach.* 14.

Ant. 4. A. In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto & Excelſo in verbo glóriæ. *Eccli.* 47.

Ant. 1. a. Inventus eſt perfectus, juſtus, & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44.

℣. Juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo péregrè proficiſcens vocávit ſervos ſuos, & trádidit illis bona ſua. Et uni dedit quinque talenta, álii autem duo, álii verò unum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 9. *in Evangel.*

LEctio ſancti Evangélii, fratres cariſſimi, ſollícitè conſideráre nos ádmonet, ne nos qui plus céteris in hoc mundo accepiſſe áliquid cérnimur ab auctóre mundi, gráviùs inde judicémur. Cùm enim augentur dona, ratiónes étiam creſcunt donórum. Tantò ergo eſſe humílior, atque ad ſerviendum Deo prómptior quiſque debet ex múnere, quantò ſe obligatiórem eſſe cónſpicit in reddenda ratióne. Ecce homo qui péregrè proficíſcitur, ſervos ſuos vocat, iiſque ad negótium talenta partítur. Poſt multum verò témporis poſitúrus cum eis ratiónem revértitur: benè operantes pro apportáto lucro remúnerat, ſervum verò à bono ópere torpentem damnat.

℟. *vij.* Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem; & * Super cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquemque; * Super. *Iſ.* 21. *Act.* 20.

Lectio viij.

QUis itaque iſte homo eſt, qui péregrè pro-

ſciſcitur ; niſi Redemptor noſter qui ſervis ſuis bona ſua trádidit, quia fidélibus ſuis ſpirituália dona conceſſit ? Et uni quidem dedit quinque talenta, álii duo, álii verò commíſit unum.... Sed is qui quinque talenta accéperat, ália quinque lucrátus eſt.... Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, & abſcondit pecúniam Dómini ſui.

℟. *viij.* Omnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos : * Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus efficiar. ℣. Zelátus ſum bonum, & non confundar ; proptéreà bonam poſſidébo poſſeſſiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

Lectio ix.

TAlentum in terra abſcóndere eſt acceptum ingénium terrénis áctibus implicáre, lucrum ſpiritále non quærere ; cor à terrénis cogitatiónibus nunquam leváre. Servus qui gemináta talenta rétulit, à Dómino laudátur, atque ad ætemam remuneratiónem intromíttitur. Piger verò ſervus per pœnam, in exterióres ténebras cadit, qui per culpam ſuam ſponte in interióres cécidit. Et illic coactus pátitur ténebras ultiónis, qui hìc libenter ſuſtínuit ténebras voluptátis. Sciendum verò eſt, quòd nullus piger ab hac talenti acceptióne ſecúrus eſt. Nullus namque eſt qui veráciter dicat : Talentum mínimè accépi, non eſt unde ratiónes pónere cogar. Talenti enim nómine cuílibet paúperi étiam hoc ipſum reputábitur, quod vel mínimum accépit.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. f.

SAcerdos magnus in vita ſua ſuffulſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50.

Ant. 2. D. Zelando zelum Dei, accépit teſtamentum ſacerdótii ætemi. 1. *Mach.* 2.

Ant. 3. a. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum, & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 7. d. In aſcenſu.

Canticum. Eccli. 50.

SAcerdos magnus in aſcenſu altáris ſancti, * glóriam dedit ſanctitátis amictum.

In accipiendo autem partes de manu Sacerdótum, * & ipſe ſtans juxta aram.

Et circa illum coróna fratrum, * quaſi plantátio cedri in monte Líbano.

Sic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ ; * &

omnes filii Aaron in glória ſua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum, * coram omni ſynagóga Iſrael.

Et conſummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excelſi Regis.

Porrexit manum ſuam in libatióne, * & libávit de sánguine uvæ.

Effúdit in fundamento altáris odórem divínum * excelſo príncipi.

Ant. In aſcenſu altáris ſancti, glóriam dedit ſanctitátis amictum. *Eccli.* 50.

Ant. 6. F. Abſtulit abominatiónes, & fecit omnes ſervíre Dómino Deo ſuo. 2. *Paral.* 34.

Capitulum. Eccli. 45.

FActum eſt illi in teſtamentum æternum ſicut dies cœli, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus.

Hymnus.

JEsu Sacerdótum decus,
In hac die quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adeſto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua,
Victumque præbet: aúdiunt,
Sequuntur, & vivunt oves.

Quam ſentit errantem, jugis
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet frementes béſtias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Offert frequentem víctimam
Cum plebe Paſtor ínnocens;
Secúmque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

Supreme Chriſte Póntifex,
Jugis tibi ſit glória:
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo;
℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88.

Ad Benedictus *Ant.* 5. C. Sacerdótes tui induantur ſalútem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem Chriſti tui: memento miſericordiárum ſervi tui. 2. *Paral.* 6.

Oratio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, intercedente beáto *N.* Pontífice, Spíritum ſapiéntiæ, quibus præeſſe dediſti Eccléſiæ

tuæ; ut de profectu ſanctárum óvium fiant gaúdia æterna Paſtórum; Per... in unitáte ejuſdem Spíritûs.

Alia Oratio.

EXaudi, quæſumus, Dómine, preces noſtras, quas in beáti *N.* Pontíficis feſtivitáte deférimus; & ejus qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos abſolve peccátis; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Antiph. 1. f. Sacerdos.

AD TERTIAM.

Antiph. 2. D. Zelando.

Capitulum. Hébr. 5.

OMnis Póntifex ex homínibus aſſumptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis.

℟. *br.* Introíbo * Ad altáre Dei. ℣. Ad Deum qui lætíficat juventútem meā. * Ad. Glória Patri. ℟. Introíbo. *Pſ.* 42

℣. Altária tua, Dómine virtútum, ℟. Rex meus & Deus meus. *Pſ.* 83.

AD SEXTAM.

Antiph. 3. a. De omni.

Capitulum. Eccli. 50.

MAnus ſuas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Iſrael, dare glóriam Deo à lábiis ſuis, & in nómine ipſíus gloriári; & iterávit oratiónem ſuam, volens oſténdere virtútem Dei.

℟. *br.* In ſancto, Dómine, * Appárui tibi. ℣. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. * Appárui. Glória. ℟. In. *Pſ.* 62.

℣. Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Pſ.* 25.

AD NONAM.

Antiph. 6. F. Abſtulit.

Capitulum Eccli. 49.

IPſe eſt directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis; & gubernávit ad Dóminum cor ipſíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. ℣. Et in intelléctibus mánuum ſuárum deduxit eos. * In. Glória. ℟. Pavit. *Pſ.* 77.

℣. Deduxit eos in viam rectam, ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Pſ.* 106.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 7. a.

DEdit illi Dóminus ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45.

Ant. 2. D. Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50.

Ant. 7. d. Sacrifícia ipſíus conſumpta ſunt igne quotídie. *Eccli.* 45.

Ant. 5. C. Quaſi ſol reſulgens, ſic ille efful-ſit in templo Dei. *Eccli.* 50.

Ant. 8. g. Ad ejus erudit ióne m omnis Iſraël ſanctificabátur Dómino. 2. *Paralip.* 35.

Capitulum. Eccli. 45.

IN bonitáte & alacritáte ánimæ ſuæ plácuit Deo pro Iſraël: ídeo ſtátuit illi teſtamentum pacis, príncipem ſanctórum & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum.

Hymnus, Jeſu ſacerdotum decus, *ut in Laudibus*, *pag.* xxxij.

℣. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo, ℟. Glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum. *Pſ.* 20.

Ad Magnificat Ant. 1. D. Beatificavit illum Deus in glória, & induit eum ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45.

COMMUNE SS. DOCTORUM.

In primis Veſperis.

Antiphona, 5. a.

MElior eſt ſapiéntia cunctis pretioſíſſimis; & omne deſiderábile ei non poteſt comparári. *Prov.* 8.

Ant. 4. D. Doctrix eſt diſciplínæ Dei: prudéntiam docet, & juſtítiam & virtútem. *Sap.* 8.

Ant. 8. g. Beátus vir qui in ſapiéntia morábitur, & in ſenſu cogitábit circumſpectiónem Dei. *Eccli.* 14.

Ant. 1. D. Danti mihi ſapiéntiam, dabo glóriam: dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, : in ipſa laudábo eum.

introíbit

et Deus:

qui audit illam, judicábit gentes. *Eccli.* 4.

Capitulum. Sap. 7.

DEus ipſe ſapiéntiæ dux eſt, & ſapiéntium emendátor. In manu enim illíus & nos & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia & diſciplína.

[*In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà*, ℟. Dóminus dat ſapiéntiam ſapiéntibus, & ſciéntiam intelligéntibus diſciplínam: * Ipſe revélat profúnda & abſcóndita; & lux cum eo eſt. ℣. Spíritus ómnia ſcrutátur, étiam profúnda Dei. * Ipſe. Glória. * Ipſe. *Dan.* 2. *I. Cor.* 2].

Hymnus.

O Qui perpétuus nos mónitor doces,

Vox æterna Patris Chriſte, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene ſuffícis!

HI ſemper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fídei virgíneũ decus.
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His cuſtódibus íntegra.

INFAMES ábolent rellíquias deûm,
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúſerat hæreſis.

PATRUM canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides.
Quæ ſunt priſca, docent; quæ nova, ſúbruunt:
Servant depóſitum Dei.

SIT ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum quando foris ſonas,
Nullo vocis egens corda doces ſono,
Et te méntibus ínſeris. Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine;
℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Sápiens in pópulo hæreditábit honorem, & nomen illíus erit vivens in ætęrnum. *Eccli.* 37.

Oratio ut infrà ad Laudes, p. xlj. *niſi ſit propria.*

[*In Annualibus*, AD COMPLET. *Ant.* 6. ç. Qui vigiláverit propter ſapiéntiam, citò ſecúrus erit. *Sap.* 6.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 2. D. Oriétur in ténebris lux tua. *Iſ.* 58].

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Fontem ſapiéntiæ Verbum Dei, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

JAM nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer ſídereum, Relígio, caput.
Quot ſunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.

CUM per mille neces ímpietas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres;
Cùm per mille dolos décipit hæreſis,
Doctóres tibi [illegible].

QUANDO ſparſa lues úndique [illegible];
Hi gliſcens [illegible]
[illegible]
Quando plúrima [illegible]
[illegible],
Hi [illegible]
[illegible]
[illegible],

Monſtrant tuta procul líttora naúfragis.
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixére tuis cónſona ſénſibus,
Noſtris illa, Deus, córdibus ímprime.
Quos terris cólimus, quos ſéquimur duces,
Fac nos móribus áſſequi.
Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum quando foris ſonas,
Nullo vocis egens corda doces ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Sapiéntia non eſt multis manifeſta; quibus autem cógnita eſt, permanet uſque ad conſpectum Dei. *Eccli.* 6.

Ant. 4. E. Os prudentis quæritur in Ecclésia; & verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. *Eccli.* 21.

Ant. 2. D. Vir ſápiens plebem ſuam érudit, & fructus ſenſûs illíus fidéles ſunt. *Eccli.* 37.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam; ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Pſ.* 36.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Sápiens apériet os ſuum in oratióne: * Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter: * Si enim. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

℟. *ij.* Ipſe tanquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ: ipſe * Palàm fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ, & in lege teſtamenti Dómini gloriábitur. ℣. Bonus miniſter Chriſti Jeſu, enutrítus verbis fidei, & bonæ doctrínæ. * Palàm. *Eccli.* 39. 1. *Tim.* 4.

℟. *iij.* Omnis ſcriba doctus in regno cœlórum, * Símilis eſt hómini patrifamílias, qui † Profert de theſauro ſuo nova & vétera. ℣. In corde prudentis requieſcit ſapiéntia, & indoctos quoſque erúdiet: * Símilis eſt. Glória. † Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Sciéntia ſapientis tanquam inundátio abundábit, & consílium ejus ſicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

Ant. 5. a. Beátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ. *Proverb.* 3.

Ant. 7. d. Qui moderátur ſermónes ſuos, doctus & prudens eſt, & pretióſi ſpíritûs vir erudítus. *Prov.* 17.

℣. Beátus vir qui diſpónet ſermónes ſuos in judício; ℟. In æternum non commovébitur. *Pſ.* 111.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi contra Juliánum.

Ex libro 2. *Cap.* 10.

Lectio iv.

SAnctos & in ſancta Eccléſia illuſtres Antíſtites Dei, non Platónicis & Ariſtotélicis & Zenónicis aliiſque hujuſcémodi, vel Græcis vel Latínis, quanquam & iſtis áliquos eórum, verùm omnes ſacris lítteris erudítos, nominàtìm ſicut oportébat expreſſi: eorumque ſenténtias, quantùm ſufficere videbátur, ſine ulla éditas ambiguitáte digeſſi; ut in eis tímeas non ipſos, ſed illum qui ſibi eos utília vaſa formávit, & ſancta templa conſtruxit: qui tunc de iſta cauſa judicavérunt, quando eos nemo poteſt dícere pérperam cuíquam vel adverſári vel favére potuiſſe. Nullas nobiſcum vel vobiſcum amicítias attendérunt vel inimicítias exercuérunt; neque nobis neque vobis iráti ſunt; neque nos, neque vos miſeráti ſunt. Quod invenérunt in Eccléſia, tenuérunt: quod didicérunt, docuérunt: quod à pátribus accepérunt, hoc fíliis tradidérunt.

℟. *iv.* Cùm eſſet ſapientíſſimus, dócuit pópulum: quæſívit verba utília, * Conſcripſit ſermónes rectíſſimos ac veritáte plenos. ℣. Potens exhortári in doctrína ſana, & eos qui contradícunt argúere. * Conſcripſit. *Eccli.* 12. *Tit.* 1.

Long. poſt præd. Lectio v.

ISti Epíſcopi ſunt docti, graves, ſancti, veritátis acérrimi defenſóres adversùs gárrulas vanitátes; in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuiſti, non potes inveníre quod ſpernas. Si epiſcopális ſynodus ex toto orbe congregarétur, mirum ſi tales poſſent illîc fácilè tot ſedére. Quia nec iſti uno témpore fuérunt: ſed fidéles, & multis excellentióres paucos diſpenſatóres ſuos Deus per diverſas ætátes témporum, locorúmque diſtántias, ſicut ei placet atque expedíre júdicat, ipſe diſpenſat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriente & Occidente congregátos vides, non in locum quo navigáre cogantùr hómines, ſed in librum qui navigáre poſſit ad hómines.

℟. *v.* Fuit gratus Deo, & erudítus omni ſapiéntia, & erat potens in verbis & in opéribus ſuis. * Hic eſt

qui accépit verba vitæ dare nobis. ℣. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit in códice; renovávit ſapiéntiam de corde ſuo. * Hic eſt. *Act.* 7. *Eccli.* 50.

Lectio vj.

QUantò tibi eſſent iſti júdices optabilióres, ſi tenéres cathólicam fidem; tantò tibi ſunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem; quam in lacte ſuxérunt, quam in cibo ſumpſérunt, cujus lac & cibum parvis magníſque miniſtravérunt; quam contra inimícos, étiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelámini, apertíſſimè ac fortíſſimè defendérunt. Tálibus poſt Apóſtolos ſancta Eccléſia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, paſtóribus, nutritóribus crevit. Ideò profánas voces veſtræ novitátis expávit; & cauta ac sóbria, ex admonitióne apoſtólica, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtútiâ ſuâ, ſic & mens ejus corrumperétur à caſtitáte quæ eſt in Chriſto; cathólicæ fidei virginitáte insídias veſtri dógmatis ſurrepentis exhórruit, & tanquam caput cólubri, calcávit, obtrívit, abjécit.

℟. vj. Qui fécerit & docúerit, hic * Magnus vocábitur in regno cœlórum. ℣. Parávit cor ſuum ut inveſtigáret legem Dómini, & fáceret & docéret. * Magnus. Glória. * Magnus. *Matth.* 5. *I. Eſdr.* 7.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Propóſui ſapiéntiam addúcere mihi ad convivendum; ſciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea; & efflóruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

Ant. 1. f. Inventi ſunt ſermónes tui, Dómine, & comédi eos; & factum eſt mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

℣. Os meum loquétur ſapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Pſ.* 48.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 1. *de Serm. Domini in Monte. Cap.* 6.

OStendit Dóminus fátuos eſſe judicandos, qui temporálium bonórum vel cópiam ſectantes, vel inópiam metuentes, amit-

ſunt æterna, quæ nec dari poſſunt ab homínibus, nec auferri. Itaque ſi ſal infatuátum fúerit, in quo ſaliétur? id eſt, ſi vos, per quos condiendi ſunt quodámmodò pópuli, metu perſecutiónum temporálium amiſéritis regna cœlórum; qui erunt hómines, per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat ceterórum?

℟. *vij.* Super ſalútem & ſpéciem dilexi ſapiéntiam, & * Propóſui pro luce habére illàm: venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ deſursùm eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis. * Propóſui. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

Lectio viij.

Ergo ad níhilum valet ſal infatuátum, niſi ut mittátur foràs, & calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus qui pátitur perſecutiónem; ſed qui perſecutiónem timendo infatuátur. Calcári enim non poteſt niſi inférior: ſed inférior non eſt, qui quamvis córpore multa in terra ſuſtíneat, corde tamen fixus in cœlo eſt.

℟. *viij.* Optávi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & ſédibus, * Et divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. ℣. Exíſtimo ómnia detrimentum eſſe propter eminentem ſciéntiam Jeſu Chriſti Dómini mei. * Et divítias. Glória. * Et divítias. *Sap.* 7. *Philipp.* 3.

Lectio ix.

Vos eſtis lumen mundi. Quómodò dixit ſupériùs Sal terræ, ſic nunc dicit Lumen mundi. Nam neque ſupériùs iſta terra accipienda eſt, quam pédibus corpóreis calcámus; ſed hómines qui in terra hábitant vel étiam peccatóres quorum condiendis & extinguendis putóribus Apoſtólicum ſalem Dóminus miſit in mundum. Et hîc mundum, non cœlum & terram, ſed hómines qui ſunt in mundo vel díligunt mundum, oportet intélligi, quibus illuminandis Apóſtoli miſſi ſunt.

AD LAUDES.

Antiphona, 8. g.

Dedit ſe ad diligéntiam lectiónis legis & Prophetárum, & aliórum librórum qui nobis à paréntibus noſtris tráditi ſunt. *Prolog. Eccli.*

Ant. 4. f. Vóluit & ipſe ſcríbere áliquid eórum quæ ad doctrínam & ſa-

piéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

Ant. 7. d. Dedit illi Sapiéntia ſciéntiam ſanctórum, honeſtávit illum in labóribus. *Sap.* 10.

Ant. 1. a. Fuit.

Canticum. Eccli. 15.

CIbábit illum Deus pane vitæ & intellectûs, * & aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum.

Et firmábitur in illo, & non flectétur; * & continébit illum, & non confundétur.

Et exaltábit illum apud próximos ſuos, * & in médio eccléſiæ apériet os ejus.

Et adimplébit illum ſpíritu ſapiéntiæ & intellectûs, * & ſtolâ glóriæ véſtiet illum.

Jucunditátem & exultatiónem theſaurizábit ſuper illum, * & nómine æterno hæreditábit illum.

Ant. Fuit máximus in ſalútem electórum Dei, expugnáre inſurgentes hoſtes, ut conſequerétur hæreditátem Iſrael. *Eccli.* 46.

Ant. 2. D. Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſéculum non delébitur. *Eccli.* 39.

Capitulum. Eccli. 51.

A Juventúte mea inveſtigábam ſapiéntiam; inclinávi módicè aurem meam, & excépi illam: multam invéni in meipſo ſapiéntiam, & multùm profèci in ea.

Hymnus.

VOs ſuccenſa Deo
ſplèndida lúmina:
Vos ſal, nos hómines quo
ſápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

PER vos Rellígio túta-
que Véritas,
Per vos virgíneis fulget
honóribus.
Per vos Chriſtus amat pándere dívites
Theſauros ſapiéntiæ.

VESTRIS unda fluit
pura canálibus;
Chriſti floret ager, munda
nitet ſeges.
Lac aptum púeris, & ſólidum viris
Cauti ſufficitis cibum.

HI ſunt, ſumme Deus,
qui tibi mílitant,
Hi unt, qui ſtábiles ædíficant domos,
Unâ docta cohors arma
tenet manu,
Muros cónſtruit álterâ.

VICISTIS ſtygias vos
quibus hæreſes,
Hæc nos accípimus tela
ſupérſtites.
His pugnámus adhuc nec
dúbio éxitu;
His armis quoque vincimus.

Sɪᴛ ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum quando forìs ſonas,
Nullo vocis egens corda doces ſono,
Et te méntibus ínſeris. Amen.

℣. Deus, docuiſti me à juventúte mea; ℟. Et uſque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Pſ.* 70.

Ad Benedictus *Ant.* 1. J. Sapiéntia & fortitúdo Dómini ſunt. Tibi, Deus, confiteor, teque laudo, quia ſapiéntiam & fortitúdinem dediſti mihi. *Dan.* 2.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, intercedente beáto *N.* tuórum corda fidélium; ut ſacris intenta doctrínis, & ſtúdeant amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per.

Alia Oratio.

TUa nos, quæſumus, Dómine, intercedente beáto *N.* véritas ſemper illúminet, & ab omni pravitáte defendat; Per.

AD PRIMAM.

Antiph. 8. g. Dedit.

AD TERTIAM.

Antiph. 4. f. Vóluit.

Capitulum. Eccli. 24.

DOctrínam quaſi prophetíam effundam, & relinquam illam quæréntibus ſapiéntiam; & non déſinam in progénies illórum uſque in ævum ſanctum.

℟. *br.* Os meum annuntiábit * Juſtítiam tuam, Dómine. ℣. Totâ die ſalutáre tuum. * Juſtítiam. Glória. ℟. Os meum annuntiábit. *Pſ.* 70.

℣. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, ℟. Quia ómnia mandáta tua æquitas. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

Antiph. 7. d. Dedit.

Capitulum. Eccli. 51.

ANimam meam direxi ad ſapiéntiam, & in agnitióne invéni eam: poſſédi cum ipſa cor ab inítio; propter hoc non derelinquar.

℟. *br.* Bonum mihi * Lex oris tui. ℣. Super míllia auri & argenti. * Lex. Glória. ℟. Bonum.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui; ℟. In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Collaudábunt.

Capitulum. Eccli. 39.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem: ſapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléſia.

℟. *br.* Annuntiávi juſtítiam tuam * In eccléſiâ

magna. ℣. Veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi. * In. Glória. ℟. Annuntiávi. *Pſalm.* 39.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum : ℟. Dico ego ópera mea regi. *Pſal.* 44.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 2. D.

DOminus dedit mihi linguam erudítam, ut ſciam ſuſtentáre eum qui laſſus eſt, verbo. *Iſ.* 50.

Ant. 5. a. Doctrínam quaſi antelucánum illúmino ómnibus, & enarrábo illam uſque ad longinquum. *Eccli.* 24.

Ant. 3. c. Auxílio adjútus Dei ſto, teſtíficans minóri atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti ſunt. *Act.* 26.

Ant. 6. F. Sermo meus non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne Spíritûs & virtútis. 1. *Cor.* 2.

Ant. 4. f. Non judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2.

Capitulum. Eccli. 14.

BEátus vir qui excógitat vias ſapiéntiæ in corde ſuo, vadens poſt illam quaſi inveſtigátor, & in viis illíus conſiſtens : protegétur ſub tégmine illíus, & in glória ejus requieſcet.

Hymnus, O qui perpétuus, *ut in primis Veſperis, pag.* xxxiv.

℣. Ignítum elóquium tuum, Dómine ; ℟. Et ſervus tuus diléxit illud. *Pſ.* 118.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quaſi ſplendor firmamenti : & qui ad juſtítiam erúdiunt multos, quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

COMMUNE SS. PRESBYTERORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 7. *d.*

LOcútus eſt Dóminus ad Móyſen : Tribum Levi conſtítue ſuper tabernáculum teſtimónii, & quidquid ad cæremónias pértinet. *Num.* 1.

Ant. 6. F. Cunctórum conſecrábis manus, ſanctificabíſque illos, ut ſacerdótio fungantur mihi. *Exod.* 28.

Ant. 1. a. Stabunt in conſpectu meo, ut ófferant mihi ádipem, & cuſtódiant cæremónias meas. *Ezech.* 44.

Ant. 3. *a.* Tuli eos pro cunctis primogénitis Iſrael; ut ſérviant mihi pro Iſrael in tabernáculo fœderis, & orent pro eis. *Num.* 8.

Ant. 5. a. Sancti erunt Deo ſuo, & non pólluent nomen ejus: incenſum enim Dómini & panes Dei ſui ófferunt. *Levit.* 21.

Capitulum. Hebr. 7.

Reprobátio fit præcedentis mandáti propter infirmitátem ejus & inutilitátem; nihil enim ad perfectum adduxit lex.

[*In Duplicib. II. Claſſ. & ſuprà*, ℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es ſacerdos in ætérnum ſecundùm órdinem Melchiſedech. ℣. Non ſecundùm legem mandáti carnális factus. * Tu es. Glória. * Tu es. *Pſ.* 109. *Hebr.* 7].

Hymnus.

Jam ſatis fluxit cruor hoſtiárum:
Príſtinæ ceſſent holocauſta legis.
Chriſte, quos formas, melióra libant
Sacra miniſtri.

Elicit flammas Elías ab alto:
Myſta nunc major jubet, & potenti
Obſequens verbo Deus aſtat aris,
Hóſtia factus.

Pingue libámen, novus & Sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolátur:
Se manu noſtrâ litat incruento
Fúnere Chriſtus.

Tale nil priſcis pátribus tribútum:
Angelis nuſquàm data par poteſtas.
Se manu noſtrâ Deus ipſe cunctis
Præbet in eſcam.

Christe, fac ſemper tua ſacra puro
Corde tractémus, manibuſque puris.
Cáritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.

Luminis ſplendor, Patris una proles
Chriſte, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Iſrael, non accípiam de domo tua vítulos; ℟. Immola Deo ſacrificium laudis. *Pſ.* 49.

Ad Magníficat *Ant.* 5. *a.* Ab ortu ſolis uſque ad occáſum, in omni loco ſacrificátur & offertur nómini meo oblátio munda, dicit Dóminus. *Malach.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes, p. xlix. *niſi ſit propria.*

[*In Annualib.* AD COM-

plet. *Ant.* 3. c. Lucerna pédibus meis verbum tuũ, Dómine. *Pſ.* 118.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 6. C. Verbum tuum, Dómine, lumen ſémitis meis. *Pſ.* 118].

AD MATUTINUM.

Invitat. Sacerdótem in æternum Jeſum Chriſtum, *Veníte, adorémus. *Heb.* 5.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Jam ſatis fluxit, *ut in I. Veſperis, pag.* xliij.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. c. Sacerdótes qui accédunt ad Dóminum, ſanctificentur. *Exod.* 19.

Ant. 1. a. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo ſuo, nec accédet ad miniſtérium ejus. *Levit.* 21.

Ant. 2. D. Diſcant bonis opéribus præeſſe, ut non ſint infructuóſi. *Tit.* 3.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; ℟. In ſécula ſeculórum laudábunt te. *Pſ.* 83.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Notum fáciet Dóminus qui ad ſe pertíneant, & ſanctos applicábit ſibi; & * Quos elégerit, appropinquábunt ei. ℣. Hi probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. *Quos. *Num.* 16. 1. *Tim.* 3.

℟. *ij.* Non erit eis hæréditas; * Ego hæréditas eórum: & poſſeſſiónem non dábitis eis in Iſrael; ego enim poſſéſſio eórum. ℣. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. *Ego. *Ezech.* 44. *Joann.* 17.

℟. *iij.* Surrexit quaſi ignis, * Et verbum ipſíus † Quaſi fácula ardébat. ℣. Docébat diligenter ea quæ ſunt Jeſu. * Et. Glória. † Quaſi. *Eccli.* 48. *Act.* 18.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Impleſtis manus veſtras Dómino: accédite, & offerte víctimas & laudes in domo Dómini. 2. *Paral.* 29.

Ant. 8. g. Date Dómino glóriam: leváte ſacrifícium, & veníte in conſpectu ejus; & adoráte Dóminum in decóre ſancto. 1. *Paral.* 16.

Ant. 4. f. Erit vobis hoc legítimum ſempitérnum, ut orétis pro fíliis Iſrael, & pro cunctis peccátis eórum. *Levit.* 16.

℣. Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, ℟. Et ſperáte in Dómino. *Pſ.* 4.

Lectio iv.

Sermo ſancti Gregórii Papæ.

7. *in Ev. ad Epiſcopos, in Fonte Lateranenſi.*

DEbémus pensáre continuò quod à Dómino ſanctis dicitur Apóſtolis, & per Apóſtolos nobis: Vos eſtis ſal terræ. Si

ergo ſal ſumus, condíre mentes fidélium debémus. Curáre namque Sacerdótem neceſſe eſt, quæ síngulis dicat, unumquemque quáliter admóneat: ut quiſquis Sacerdóti júngitur, quaſi è ſalis tactu ætérnæ vitæ ſapóre condiátur. Sal étenim terræ non ſumus, ſi corda audiéntium non condímus. Quod profectò condiméntum ille próximo veráciter impendit, qui prædicatiónis verbum non ſúbtrahit.

℟. *iv.* Nolíte neglígere; * Vos elégit Dóminus ut ſtetis coram eo, & miniſtrétis illi. ℣. Superædificámini domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offerre ſpirituáles hóſtias, acceptábiles Deo. * Vos. 2. *Paral.* 29. 1. *Petr.* 2.

Lectio v.

SEd tunc verè áliis recta prædicámus, ſi dicta rebus & exemplis oſténdimus; ſi nos ipſi divíno amóre compúngimur, & humánæ vitæ quæ ſine culpa transíri nequáquam poteſt, quotidiánas lácrymis máculas lavámus. Nullum autem puto, fratres chariſſimi, ab áliis majus præjudícium quàm à ſacerdótibus tólerat Deus; quando eos, quos ad aliórum correctiónem póſuit, dare de ſe exempla pravitátis cernit: quando ipſi peccámus, qui compéſcere peccáta debúimus: nulla animárum lucra quærimus, ad noſtra quotídie ſtúdia vacámus, terréna concupíſcimus, humánam glóriam intentâ mente captámus.

℟. *v.* Miniſtráte in ſanctuário, & ſanctificáti immoláte: * Fratres étiam veſtros, ut poſſint juxta verba quæ locútus eſt Dóminus fácere, præparáte. ℣. Dignè Evangélio Chriſti conversámini, collaborantes fidei Evangélii. * Fratres. 2. *Par.* 35. *Phil.* 1.

Lectio vj.

ET quia eo ipſo quo cæteris præláti ſumus ad agenda quælibet majórem licéntiam habémus; ſuſceptæ benedictiónis miniſtérium vértimus ad ambitiónis argumentum: Dei cauſas relínquimus; ad terréna negótia vacámus: locum ſanctitátis accípimus & terrénis áctibus implicámur. Implétum eſt in nobis profectò quod ſcriptum eſt: Et erit ſicut pópulus, ſic ſacerdos. Sacerdos enim non diſtat à pópulo, quando nullo mérito vitæ ſuæ vulgi tranſcendit actiónem.

℟. *vj.* Invocávit Dóminum omnipoténtem * In oblatióne Agni invioláti.

℣. Debet pro pópulo & pro ſemetipſo offerre pro peccátis * In oblatióne. Glória. * In oblatióne. *Eccli.* 46. *Hebr.* 5.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Secundùm eum qui vocávit vos, Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis. 1. *Petr.* 1.

Ant. 8. g. Qui benè præſunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur; máximè qui labórant in verbo & doctrína. 1. *Tim.* 5.

Ant. 6. F. Qui benè miniſtráverint, gradum bonum ſibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu. 1. *Tim.* 3.

℣. Qui ſtatis in domo Dómini, ℟. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta. *Pſ.* 133.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore; Deſignávit Dóminus & álios ſeptuaginta duos; & miſit illos binos ante fáciem ſuam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipſe ventúrus. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 17. *in Evang. n.* 3.

MIſſis prædicatóribus quid Dóminus dicat, audiámus. Meſſis quidem multa; operárii autem pauci: rogáte ergo Dóminum meſſis, ut mittat operários in meſſem ſuá. Ad meſſem multam operárii pauci ſunt; quod ſine gravi mœróre loqui non póſſumus: quia, etſi ſunt qui bona áudiant, deſunt tamen qui dicant: Ecce mundus Sacerdótibus plenus eſt; ſed tamen in meſſe Dei rarus valdè invenítur operátor; quia officium quidem ſacerdotále ſuſcípimus, ſed opus officii non implémus. Sed penſáte, fratres cariſſimi, penſáte quod dícitur: Rogáte Dóminum meſſis ut mittat operários in meſſem ſuam. Vos pro nobis pétite, ut digna in vobis operári valeámus; ne ab exhortatióne lingua tórpeat; ne poſtquam prædicatiónis locum ſuſcépimus, apud juſtum júdicem noſtra nos tacitúrnitas addícat.

℟. *vij.* Vos eſtis lux mundi: * Sic lúceat lux veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona, & gloríficent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. ℣. Juſtórum ſémita quaſi lux ſplendens procédit, & creſcit uſque ad perfectam diem. * Sic lúceat. *Matth.* 5. *Prov.* 4.

Lectio viij.

SÆpè enim pro ſua nequítia, prædicántium

lingua reſtríngitur : ſæpè verò ex ſubjectórum culpa ágitur, ut eis qui præſunt prædicatiónis ſermo ſubtrahátur. Ex ſua quippe nequítia prædicántium lingua reſtríngitur, ſicut Pſalmiſta ait : Peccatóri autem dixit Deus : Quare tu enarras juſtítias meas ? Et rursùm ex vítio ſubjectórum vox prædicántium ſubtráhitur, ſicut ad Ezechiélem Dóminus dicit : Linguam tuam adhæréſcere fáciam paláto tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objurgans; quia domus exáſperans eſt. Ac ſi apertè dicat : Idcircò tibi prædicatiónis ſermo tóllitur, quia dum me in ſuis áctibus plebs exáſperat, non eſt digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri ſermo ſubtrahátur, non fácilè cognóſcitur; quia verò Paſtóris tacitúrnitas, aliquando ſibi, ſemper autem ſubjectis, nóceat, certíſſimè ſcitur.

℟. *viij.* Sitis ſine reprehenſióne in médio natiónis pravæ & perverſæ; * Inter quos † Lucétis ſicut luminária in mundo. ℣. Dilígite lumen ſapiéntiæ, omnes qui præeſtis pópulis. * Inter quos. Glória. † Lucétis ſicut. *Philipp.* 2. *Sap.* 6.

Lectio ix. n. 8.

SEd quid nos (quod tamen ſine dolóre dícere non poſſum) quid nos, ô Paſtóres, ágimus, qui & mercédem conſéquimur, & tamen operárii nequáquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccléſiæ in ſtipéndio quotidiáno percípimus; ſed tamen pro ætérna Eccléſia mínimè in prædicatióne laborámus. Penſémus cujus damnatiónis ſit, ſine labóre hîc percípere mercédem labóris. Ecce in oblatióne fidélium vívimus; ſed quid pro animábus fidélium laborámus? Illa in ſtipéndium noſtrum súmimus, quæ pro redimendis peccátis ſuis fidéles obtulérunt; nec tamen contra peccáta éadem, vel oratiónis ſtúdio, vel prædicatiónis, ut dignum eſt, inſudámus. Vix pro ſua culpa quémpiam apertâ voce reprehéndimus. Et adhuc (quod grávius eſt) aliquando ſi perſóna in hoc mundo potens ſit, ejus fórſitan erráta laudámus, ne ſi adverſétur, per iracúndiam munus súbtrahat, quod impendébat.

AD LAUDES.

Antiphona, 8. c.

O Homo Dei, ſectáre juſtítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiã; manſuetúdinem. 1. *Tim.* 6.

A *t*. 1. G. Noli neglígere grátiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi cum impoſitióne mánuum presbytérii. 1. *Tim*. 4.

Ant. 7. *d*. Nemo adoleſcéntiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidélium. 1. *Tim*. 4.

Ant. 5. a. Vigila.

Canticum. Malach. 2.

PActum meum fuit cum eo vitæ & pacis; * & dedi ei timórem, & tímuit me, & à facie nóminis mei pavébat.

Lex veritátis fuit in ore ejus, * & iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus.

In pace & in æquitáte ambulávit mecum, * & multos avertit ab iniquitáte.

Lábia enim Sacerdótis cuſtódient ſciéntiam, & legem requírent ex ore ejus; * quia Angelus Dómini exercítuum eſt.

Ant. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangeliſtæ, miniſtérium tuum imple: ſóbrius eſto. 2. *Tim*. 4.

Ant. 7. G. Beátus ille ſervus, quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit ſic facientem. *Matth*. 24.

Capitulum. 2. *Tim*. 3.

PErmane in iis quæ didiciſti, & crédita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris; & quia ab infántia ſacras lítteras noſti, quæ te poſſunt inſtrúere ad ſalútem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Hymnus.

O Sacerdótum veneranda jura!
Ceu vices Chriſti téneant, ſalútis
Arbitri claudunt, reſeréntque nobis
Atria cœli.

OMNE pendentes ſcelus in ſtatéra,
Cùm reum ſolvunt, Deus ipſe ſolvit:
Cùm ligant ſontem, Deus ipſe ſontis
Víncula nectit.

QUAM manus morbis ádhibent perítas!
Cùm ſecant, ſemper pia dextra cædit;
Cùm fovent, ſemper pia lenit ungens
Vúlnera dextra.

VERBA dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri:
Nempè divínæ ſacra verba legis
Mente recondunt.

IRRUENS prompti cohibére fulmen,
Stant ab adverſo, Domintúmque placant,
Vindices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

DUM Sacerdótes tua ſacra tractant,
Chriſte, fac ſacris quibus applicaſti,
Cónſonent

Cónſonent mores; populíque fiat
Forma Sacerdos.
Luminis ſplendor, Patris una proles,
Chriſte, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Voluntáriè ſacrificábo tibi, ℟. Et confitébor nómini tuo, Dómine. *Pſ.* 53.

Ad Benedíctus *Ant.* 1. J. Euge, ſerve bone & fidélis; quia ſuper pauca fuiſti fidélis, ſuper multa te conſtítuam: intra in gáudium Dómini tui. *Matth.* 25.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut Sacerdótio tibi fungerétur à pópulo ſegregaſti; præſta, quæſumus, ut ejus exempla ſectantes, regále Sacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis éffici mereámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

PRæſta, quæſumus, miſéricors Deus, ut beáti *N.* Sacerdótis tui précibus adjúti, hóſtia ſancta tibi conſecrémur; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. O homo Dei.

AD TERTIAM.

Ant. 1. G. Noli.

Pars Hiemalis.

Capitulum. II. Tim. 1.

ADmóneo te ut resúſcites grátiam Dei, quæ eſt in te per impoſitiónem mánuum meárum.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? ℣. Cálicem ſalutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo. * Pro ómnibus. Glória. ℟. Quid.

℣. Vota mea Dómino reddam, ℟. Coràm omni pópulo ejus. *Pſ.* 115.

AD SEXTAM.

Ant. 7. *d.* Nemo.

Capitulum. Tit. 2.

IN ómnibus teipſum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte: verbum ſanum, irreprehenſíbile; ut is qui ex adverſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. *br.* Dómine, dilexi * Decórem domûs tuæ; ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. * Decórem domûs tuæ. Glória. ℟. Dómine.

℣. Ego in innocéntia mea ingreſſus ſum: ℟. Rédime me, & miſerére meî. *Pſ.* 25.

AD NONAM.

Ant. 7. G. Beátus.

Capitulum. I. Tim. 4.

EXerce teipſum ad pietátem: nam corporális

exercitátio ad módicum útilis eſt; píetas autem ad ómnia útilis eſt, promiſſiónem habens vitæ quæ nunc eſt, & futúræ.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. ℣. Et miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo. * Benedictiónem. Glória. ℟. Hic. *Pſ.* 23.

℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 8. G.

NAtus eſt homo firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum pópuli. *Eccli.* 49.

Ant. 2. D. De omni corde ſuo laudávit Dóminum; & diléxit Deum qui fecit illum, & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 5. a. Operátus eſt bonum & rectum, & verum coràm Dómino Deo ſuo in univerſa cultúra miniſtérii domûs Dómini; & proſperátus eſt. *II. Paral.* 31.

Ant. 1. D. Obtulit holocauſta ſuper altáre; odoratuſque eſt Dóminus odórem ſuavitátis. *Gen.* 8.

Ant. 7. d. Confirmávit omnes húmiles pópuli ſui, & legem exquiſívit, & ábſtulit omnem iníquum & malum: ſancta glorificávit. *I. Mach.* 14.

Capitulum. Eccli. 50.

COnſummatióne fungens in ara, amplificáre oblatiónem excelſi Regis, porrexit manum ſuam in libatióne, & libávit de ſánguine uvæ: effúdit in fundamento altáris odórem divínum excelſo Príncipi.

Hymnus, O Sacerdótum, *ut in Laudibus, pag.* xlviij.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui. ℟. Et holocauſtum tuum pingue fiat. *Pſ.* 19.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. F. In lege Dómini congregatiónem judicávit, & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis; & invocávit Dóminum omnipotentem, in oppugnando hoſtes circumſtantes úndique, in oblatióne agni invioláti. *Eccli.* 46.

COMMUNE SS. ABBATUM, Monachorum, Cœnobitarum & Anachoretarum.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 1. D.

DOminus ponet deſertum Sion quaſi delícias, & ſolitúdinem ejus quaſi hortum Dómini. *Iſ.* 51.

Ant. 3. a. Gaúdium & lætítia inveniétur in ſolitúdine, gratiárum áctio & vox laudis. *Iſ.* 51.

Ant. 8. g. In cubílibus in quibus priùs dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci; & erit ibi ſémita & via; & Via ſancta vocábitur. *Iſ.* 35.

Ant. 5. a. Exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium: gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans. *Iſ.* 35.

Ant. 1. a. Erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempiternum. *Iſ.* 32.

Capitulum. II. Cor. 6.

EXíte de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis: & ego recípiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios.

[*In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà*, ℞. Suſceptor meus es tu, Dómine, & in verbum tuum ſuperſperávi; * Declináte à me, maligni, & † Scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Magiſter, ſequar te quocumque íeris. * Declináte. Glória. † Scrutábor. *Pſ.* 118. *Matth.* 8].

Hymnus.

FELICES némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio ſecli
Mores læderet íntegros.

UT te poſsídeant, quem ſítiunt Deum,
Urbes, regna, ſuos, ſe quoque déſerunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléſtia cógitant.

NUDI, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vaſtum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.

ÆTERNAS ut opes cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra:

Sano péctore temnunt,
Confíſi melióribus.
Illis ſumma fuit glória déſpici;
Illis divítiæ paupériem pati;
Illis ſumma voluptas
Longo ſupplício mori.
Fac nos, ſumme Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam ſcélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relictâ,
Immortália quærere.
Æternus ſit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio.
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Si ſit Abbas, ℣. Potens in terra erit ſemen ejus; ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Pſ.* 111.

Ad Magníficat *Ant.* 3. E. Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrábo tibi; faciámque te in gentem magnam, & benedícam tibi. *Gen.* 12.

Si non ſit Abbas, ℣. Pinguéſcent ſpecióſa deſerti; ℟. Et exultatióne colles accingentur. *Pſ.* 64.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. c. Habitábit in ſolitúdine judícium; & ſedébit pópulus meus in pulcritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Iſ.* 32.

Oratio, ut infrà ad Laudes, niſi propria aſſignetur.

[*In Annual. ad* Complet. *Ant.* 4. c. Qui hábitant in deſerto, ſecúri dórmient. *Ezech.* 34.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 2. A. Ponam in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezech.* 34].

AD MATUTINUM.

Invit. Jeſum qui ductus eſt in deſertum à Spíritu, *Veníte, adorémus. *Mat.* 4.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Felíces némorum, *ut in I. Veſperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. G. Dixit illi Dóminus: Séquere me; &, relictis ómnibus, ſecútus eſt eum. *Luc.* 5.

Ant. 7. *d.* Fugiébat consórtia hóminum, & adorábat Dóminum Deum Iſrael. *Tob.* 1.

Ant. 8. c. Abjécit veſtimentum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. *Jonæ*, 3.

℣. Beátus vir, cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, ℟. Et non reſpexit in vanitátes & insánias falſas. *Pſ.* 39.

Lect. de Script. occurrente.

℟. *j.* Fúgite de médio Babylónis, & ſalvet unuſquiſque ánimam ſuam, * Quóniam tempus ultiónis eſt à Dómino. ℣. Exíte de illa, pópule meus, ut

ne partícipes ſitis deliĉtórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. * Quóniã. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

℟. *ij*. Fide in cáſulis habitándo cum cohærédibus repromiſſiónis ejuſdem, * Expeĉtábat fundamenta habentem civitátem cujus ártifex & cónditor Deus. ℣. Secéſſerat in deſertum locum, ibique inter feras vitam cum ſuis agébat. * Expeĉtábat. *Hebr.* 11. *II. Mach.* 5.

℟. *iij*. Opéruit cilício carnem ſuam: * Jejunávit & dormívit in ſacco, & ambulávit demiſſo cápite. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. * Jejunávit. Glória. * Jejunávit. *II. Reg.* 21. *II. Cor.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te. *Matth.* 19.

Ant. 8. g. Eſurímus & ſitímus, & nudi ſumus, & laborámus operantes mánibus noſtris. *I. Cor.* 4.

Ant. 7. b. Non defícimus: ſed licèt is qui foris eſt noſter homo, corrumpátur; tamen is qui intùs eſt, renovátur de die in diem. *II. Cor.* 4.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abſcondiſti timéntibus te! *Pſ.* 30.

Sermo ſanĉti Paulíni Epiſcopi.

Epiſt. 24. *ad Sulpit. Sever. aliàs II.* §. 5. 6.

Leĉtio iv.

Bona quæ nobiſcũ non intulerámus in hunc mundum, nec poterámus efferre, quaſi mutuáta reddídimus; nec ut cutem à carne diſtráximus, ſed ut veſtem à córpore depoſúimus. Nunc opus eſt, ut quæ verè noſtra ſunt, dependámus Deo: hoc eſt, cor & ánimam, & córpora noſtra exhibentes in hóſtiam vivam, ut ſcriptum eſt, Dómino; noſque ipſos ædificantes ei in templum ſanĉtum, in ipſo lápide anguliári, qui nobis ſanĉtificatiónis noſtræ fórmulam in ſemetipſo dedit, & ait: Sanĉti eſtóte, quóniam ego ſanĉtus ſum. Quæ ígitur nobis grátia, ſi in aliéno tantùm fidéles fuérimus? niſi de próprio ſerviámus, id eſt, de líbero voluntátis arbítrio, ex toto corde noſtro, ex totis ánimæ noſtræ, ut ſcriptum eſt, víribus diligentes Deum.

℟. *iv*. Exeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portantes: * Non enim habémus hîc manentem civitátem, ſed futúram inquírimus. ℣. Peregríni ſumus coràm te, Deus: dies noſtri quaſi um-

bra ſuper terram. * Non. *Hebr.* 13. *I. Paral.* 29.

§. 7. *Lectio v.*

QUámobrem temporálium, quæ in hoc ſéculo habentur, bonórum relíctio, ſive diſtráctio, non decurſus ſtádii, ſed ingreſſus; nec ut meta, ſed ut jánua eſt. Non enim athléta tum vincit, cùm exúitur; qui ídeò nudátur ut incípiat dimicáre, cùm legítimè certáverit coronandus. Et natátor amnem interpóſitum ſuperatúrus, exúitur, nec tamen hoc tanto apparátu quòd ſe deſpoliáverit, tranſnatábit, niſi totíus córporis niſu torrentis ímpetum ſcindat, & labórem natatiónis exháuriat. Vídeo & in Jacob hujus expeditiónis órdinem proluſiſſe; cùm illum lego, poſteáquàm torrente tranſmiſſo, præmiſſis curárum ſuárum onéribus, id eſt, facultátum & neceſſitúdinum impedimentis, ſolus in tabernáculi loco remánſerat, Deo colluctátum.

℞. *v.* Non ſecundùm carnem ambulámus, ſed ſecundùm Spíritum; quóniam ſapiéntia carnis inimíca eſt Deo: * Qui autem in carne ſunt, Deo placére non poſſunt. ℣. Excelſus Deus, & hábitans cum contríto & húmili ſpíritu. * Qui autem. *Rom.* 8. *Iſ.* 57.

Lectio vj.

ITaque ad corripiendum vitæ viam, capiendúmque Dei verbum, & prævalendum in regnum cœlórum, quod à diébus Joannis vim pátitur, & à diripiéntibus obtinétur, idónei eſſe non póſſumus, niſi ómnia quæ vel amóre, vel curâ, ſi in itínere iſtíus ſéculi nobis adhæreant, impédiunt & retardant, ante óbitûs noſtri véſperam præmittámus, & inde per totam hujus ſéculi noctem apprehéndere & tenére Chriſtum ſollícitâ ſpirituálium óperum ac ſtudiórum contentióne luctémur: nec divellámur à caritáte Chriſti, ſicut Jacob ab ejus amplexu, niſi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad ſalutáris inſigne luctáminis, nervum fémoris noſtri majeſtátis ſuæ timóre percútiat; quo obſtupeſcente, infirmábitur virtus carnis, & ſpiritális grátia convaleſcet.

℞. *vj.* Benedictus Deus, qui * Elégit nos ut eſsémus ſancti & immaculáti in conſpectu ejus in caritáte. ℣. Dóminus noſter pépigit nobiſcum fœdus. * Elégit. Glória. * Elégit. *Epheſ.* 1. *Deut.* 5.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Omnes erant perſeverantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 1. a. Plorábant & jejunábant & orábant in conſpectu Dómini. *Bar.* 1.

Ant. 6. F. Multitúdinis erat cor unum & ánima una; nec quiſquam áliquid ſuum eſſe dicébat, ſed erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Pſ.* 132.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Reſpondens Petrus, dixit Jeſu: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matth. cap. 19.

GRandis fidúcia. Petrus piſcátor erat, dives non fúerat, cibos manu & arte quærébat; & tamen lóquitur confidenter: Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantùm relínquere, jungit (quod perfectum eſt): Et ſecúti ſumus te: fécimus quod juſſiſti; quid ígitur nobis dabis præmii?

℟. *vij.* Sapiéntia direxit ópera eórum: * Iter fecérunt per deſerta quæ non habitabantur; & in locis deſertis fixérunt caſas. ℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egentes, anguſtiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudínibus errantes & in cavernis terræ. *Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

Lectio viij.

JEſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne, cùm ſéderit Fílius hóminis in ſede majeſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicantes duódecim tribus Iſrael. Non dixit: Qui reliquiſtis ómnia; hoc enim & Crates fecit philóſophus, & multi álii divítias contempſérunt; ſed: Qui ſecúti eſtis me (quod própriè Apoſtolórum eſt, atque credéntium) in regeneratióne, cùm ſéderit Fílius hóminis in ſede majeſtátis ſuæ, quando & mórtui de corruptióne reſurgent incorrupti, ſedébitis & vos in ſóliis judicántium, condemnantes duódecim tribus Iſrael; quia, vobis credéntibus, illi crédere noluérunt.

℟. *viij.* Dediſti eis, Dómine, judícia recta & legem veritátis; & ſpíritum tuum bonum dediſti qui

docéret eos : * Paviſti eos in deſerto , nihilque eis défuit. ℣. Erant perſeverantes in doctrína , & communicatióne fractiónis panis & oratiónibus. * Paviſti. Glória. * Paviſti eos. *II. Eſdr.* 9. *Act.* 2.

Lectio ix.

ET omnis qui relíquerit domum , vel fratres , aut ſoróres , aut patrem , aut matrem, aut uxórem , aut fílios , aut agros propter nomen meum , céntuplum accípiet , & vitam æternam poſſidébit. Locus iſte cum illa ſenténtia cóngruit , in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere , ſed gládium ; veni enim ſeparáre hóminem à patre ſuo , & matrem à fília , & nurum à ſocru ; & : Inimíci hóminis doméſtici ejus. Qui ergo propter fidem Chriſti , & prædicatiónem Evangélii , omnes affectus contémpſerint, atque divítias & ſéculi voluptátes ; iſti céntuplum recípient , & vitam æternam poſſidébunt.

AD LAUDES.

Antiphona , 8. c.

DEus dixit ad illum : Exi de terra tua , & de cognatióne tua , & tunc éxiit. *Act.* 7.

Ant. 1. a. Majóres divítias æſtimans theſauro Ægyptiórum impropérium Chriſti , fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11.

Ant. 6. F. Flétibus & lúctui apta indumenta ſuſcépit , cínere implévit caput , & corpus ſuum humiliávit jejúniis. *Eſth.* 14.

Ant. 5. a. Nocte.

Canticum. Thren. 3.

PArs mea Dóminus , dixit ánima mea ; * proptéreà expectábo eum.

Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum , * ánimæ quærenti illum.

Bonum eſt præſtolári cum ſiléntio * ſalutáre Dei.

Bonum eſt viro , * cùm portáverit jugum ab adoleſcéntia ſua.

Sedébit ſolitárius , & tacébit ; * quia levávit ſuper ſe.

Ant. Nocte & ante lucem egrediebátur ad oratiónem , & deprecabátur Dóminum. *Judith.* 12.

Ant. 2. A. In loco ſolitúdinis Dóminus dócuit eum , & cuſtodívit quaſi pupillam óculi ſui. *Deut.* 32.

Capitulum. Hebr. 12.

OMnis diſciplína in præſenti quidem vidétur non eſſe gaúdii , ſed mœróris : póſteà autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ.

Pro Sancto Abbate, Monacho & Cœnobita.

Hymnus.

O Pulchras ácies, cáſtraque fórtia,
Quæ ſpes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege ſub una,
Uno ſub duce mílitant.

Heu! quantis rápiunt aſtra labóribus!
Pulſant perpétuis quéſtibus æthera.
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.

Votis unánimes, vi quoque flétuum
Inſtant, & sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo ſimul ínferunt.

Hæc vis grata Deo: ſic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus, Pater:
Sic duris reſerátur
Cœlum conditiónibus.

Fervent quando die cuncta tumúltibus,
Altum turba ſilet: cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa ſiléntia.

Exercet vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non résides manus.
Tellus culta colónis
Victum ſuppéditat ſuis.

Quin regína ſuî mens quoque ſúbditur
Rectoriſque ſtudet nútibus óbſequi:
Nil ſervat ſibi juris,
Capto libérior jugo.

Æternus ſit honor ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio.
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.

Pro ſancto Anachoreta & Solitario,

Hymnus.

Quid tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? Quid tu vides,
Solúſque tecum cógitas?

Mentis volátu líbero
Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.

Præsens choris cœléſtibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo númini,
Totus colendo tu vacas.

Quam pura, qui te díligunt,
O Chriſte, libant gaúdia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Si ſit Abbas, ℣. Veníte, fílii, audíte me; ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Pſ.* 33.

Ad Benedictus *Ant.* 1. J. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in ſignum & in portentum Iſrael à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. *Iſ.* 8.

Oratio.

INtercéſſio nos, quæſumus, Dómine, beáti *N.* Abbátis commendet; ut quod noſtris méritis non valémus, ejus patrocínio aſſequámur; Per Dóminum noſtrum.

Alia Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, beáti Abbátis *N.* intercesſiónibus ſublevári; ut per quem ſervis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donaſti, per eum nobis ſubsídia perpétuæ ſalútis impendas; Per Dóminum.

Si non ſit Abbas, ℣. Cogitávi dies antíquos; ℟. Et annos ætemos in mente hábui. *Pſ.* 76.

Ad Benedictus *Ant.* 4. E. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Galat.* 6.

Oratio.

DEus, qui nos ádmones exemplo beáti *N.* temporália deſpícere & ad ætema feſtináre; da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipſo pro nobis intercedente, implére valeámus; Per.

Alia Oratio,

DEus, qui nos ánnuâ beáti *N.* feſtivitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Deus.

AD TERTIAM.

Ant. 1. 2. Majóres.

Capitulum. Baruch, 4.

EXui me ſtolâ pacis, índui autem me ſacco obſecratiónis, & clamábo ad Altíſſimum in diébus meis.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum,* Ego cuſtodívi vias duras. ℣. Pérfice greſſus meos in sémitis tuis.* Ego. Glória. ℟. Propter. *Pſ.* 16.

℣. Induébar cilício; ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Pſ.* 34.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Flétibus.

Capitulum. Iſ. 26.

NOmen tuum & memoriále tuum, Dómine, in deſidério ánimæ. Anima mea deſiderávit te in nocte; ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

℟. *br.* Clamávi ad te, Dómine; * Dixi: Tu es ſpes mea. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium.* Dixi. Glória. ℟. Clamávi. *Pſ.* 141.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo, Dómine, ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſ.* 54.

AD NONAM.

Ant. 2. A. In loco.

Capitulum. Deut. 7.

DOminus Deus ipſe eſt fortis & fidélis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus ſe, & his qui cuſtódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

℟. *br.* A judíciis tuis * Non declinávi. ℣. Quia tu legem poſuiſti mihi. * Non. Glória. ℟. A judíciis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucurri, ℟. Cùm dilataſti cor meum. *Pſ.* 118.

AD II. VESPERAS.

Antiphona. 5. a.

IN voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam pro ſalúte Dómino. *Jon.* 2.

Ant. 4. D. Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre, & deprecári in jejúniis, ſacco & cínere. *Daniel.* 9.

Ant. 8. g. Quæ retrò ſunt oblivíſcens, pérſequor ad bravíum ſupernæ vocatiónis Dei in Chriſto Jeſu. *Philipp.* 3.

Ant. 1. D. Curro, non quaſi in incer um; pugno, non quaſi áerem vérberans: ſed caſtígo corpus meum, & in ſervitútem rédigo, ne réprobus effíciar. *I. Cor.* 9.

Ant. 6. F. Spem habens in Deum, ſtúdeo ſine offendículo conſciéntiam habére ad Deum. *Act.* 24.

Capitulum. I. Cor. 9.

OMnis qui in agóne contendit, ab ómnibus ſe ábſtinet: & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant; nos autem incorruptam.

Hymnus, Felíces némorum, *ut in primis Veſperis, pag.* lj.

Si ſit Abbas, ℣. Juſtus ut palma florébit: ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Pſ.* 91.

Ad Magníficat *Ant.* 1. J. Circa illum coróna fratrum: quaſi plantátio cedri in Líbano, ſic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ. *Eccli.* 50.

Si non ſit Abbas, ℣. Abſcondit me in tabernáculo ſuo; ℟. In die malórum protexit me. *Pſ.* 26.

Ad Magníficat *Ant.* 7. d. Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut ſoróres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam poſſidébit. *Matth.* 19.

COMMUNÉ JUSTORUM.

In primis Veſperis.

Antiphona, 7. a.

TEnébit juſtus viam ſuam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17.

Ant. 2. D. Fortitúdo símplicis via Dómini, juſtus in æternum non commovébitur. *Prov.* 10.

Ant. 6. c. Cor ſuum tradet ad vigilandum dilúculò ad Dóminum qui fecit illum. *Eccli.* 39.

Ant. 8. c. Quaſi virens fólium germinábit; fructus juſti, lignum vitæ. *Prov.* 11.

Ant. 3. a. Timenti Dóminum bene erit, & in diébus conſummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1.

Capitulum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces veſtra. Qui timétis Dóminum, ſperáte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis miſericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabúntur corda veſtra.

[*In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà*, ℟. Qui timent Dóminum; non erunt incredíbiles verbo illíus: * Et † Qui díligunt illum, conſervábunt viam illíus. ℣. Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta eſt. * Et. Glória. † Qui díligunt. *Eccli.* 2. *I. Joann.* 2].

Hymnus.

SUmmi puſillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui paternus vos amor
Vult eſſe regni cómpotes.

En regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim século
Ignótus, exóſus ſibi,
Qui pauper, & ſciens pati.

Anguſta pœniténtiæ
Ingreſſus, & viam Crucis,
Per dura Chriſtum prælia,
Per damna non timet ſequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat ſiléntio;
In páuperum, parcus ſibi,
Abſcondit & ſpargit ſinu.

Sapore verbi páſcitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil,
Mens celſa versátur polo.

Hac ſurgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. In nómine tuo exultábunt juſti, Dómine; ℟.

Et in juſtítia tua exaltabuntur. *Pſalm.* 88.

Ad Magníficat *Ant.* 8. g. Omnis qui audit verba mea, & fácit ea, aſſimilábitur viro ſapienti, qui ædificávit domum ſuam ſuprà petram. *Matth.* 7.

Oratio ut infrà ad Laudes.

[*In Annual.* AD COMPLET. *Ant.* 2. A. Vigiláte, & eſtóte paráti; quia quâ neſcítis horâ Fílius hóminis ventúrus eſt. *Matth.* 24.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 6. C. Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectántibus te. *Iſ.* 64.].

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Diligentem juſtos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 145.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

NON parta ſolo ſánguine
Ornat Beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ ſuos
Habent triumphos, prælia.

NON iſte flammas, non cruces,
Non ſentit uncos péctines:
Crudélis & durus ſibi,
Se morte lentâ cónficit.

SI lictor illi défuit,
Si vincla, fuſtes, úngulæ;
Paráta pro Chriſto mori
Hoc ſupplet omne cáritas.

CORPUS ſubégit cáſtitas,
Et líberam mentem fides;
Amor ſupernis ígnibus
Totam litávit hóſtiam.

VENIS apertis ómnibus
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fuſus in fletum cruor.

DA, Chriſte, ſic nos vívere,
Diſcámus ut ſemper mori:
Da, poſt brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Qui habet mandáta mea, & ſervat ea, ille eſt qui díligit me. *Joann.* 14.

Ant. 8. g. Qui díligit me, diligétur à Patre meo; & ego díligam eum. *Joann.* 14.

Ant. 4. A. Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam. *Joann.* 5.

℣. Univérſæ viæ Dómini miſericórdia & véritas, ℟. Requiréntibus teſtamentum ejus & teſtimónia ejus. *Pſ.* 24.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Inítium viæ bonæ

fácere juſtítiam : * Miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas ; & in timóre Dómini declinátur à malo. ℣. Qui vult vitam dilígere & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. * Miſericórdiâ. *Prov.* 16. *I. Petr.* 3.

℟. *ij.* Nihil mélius eſt quàm timor Dei, & nihil dúlcius quàm reſpícere in mandátis Dómini. * Glória magna eſt ſequi Dóminum. ℣. Qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris ; ſed habébit lumen vitæ. * Glória magna eſt. *Eccli.* 23. *Joann.* 8.

℟. *iij.* Qui ámbulat in juſtítiis, & lóquitur veritátem, & claudit óculos ſuos ne vídeat malum ; * Iſte in excelſis habitábit : † Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus. ℣. Qui perſpéxerit in legem perfectam libertátis, non audítor obliviósſus factus, ſed factor óperis, hic beátus in facto ſuo erit.* Iſte. Glória. † Regem. *Iſ.* 33. *Jac.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Qui ſperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem, current & non laborábunt, ambulábunt & non defícient. *Iſ.* 40.

Ant. 2. D. Turris fortíſſima nomen Dómini ; ad ipſum currit juſtus, & exaltábitur. *Prov.* 18.

Ant. 5. a. Benedíctio Dei in mercédem juſti feſtínat, & in hora velóci proceſſus illíus fructíficat. *Eccli.* 11.

℣. Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, ℟. Quóniam tu benedíces juſto. *Pſ.* 5.

Ex libro Morálium ſancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. *Cap.* 16. *Lectio iv.*

DEridétur juſti ſimplícitas. Hujus mundi ſapiéntia eſt, cor machinatiónibus tégere, ſenſum verbis veláre ; quæ falſa ſunt, vera oſténdere ; quæ vera ſunt, fallácia demonſtráre. Hæc nimírùm prudéntia uſu à juvénibus ſcitur, hæc à púeris prétio díſcitur : hanc qui ſciunt, céteros deſpiciendo ſupérbiunt ; hanc qui néſciunt, ſubjecti & tímidi in áliis mirantur : quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérſitas, urbánitas vocátur. Hæc ſibi obſequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs réddere ; cùm vires súppetunt, nullis reſiſténtibus cédere ; cùm virtútis poſſibílitas deeſt,

quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte ſimuláre.

℟. *iv.* In fraude circumveniéntium áſſuit illi, & honeſtum fecit illum. * Cuſtodívit illum ab inimícis, & à ſeductóribus tutávit illum. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Cuſtodívit. *Sap.* 10. *II. Petr.* 2.

Lectio v.

At contrà, ſapiéntia juſtórum eſt, nil per oſtenſiónem fingere, ſenſum verbis aperíre, vera ut ſunt dilígere, falſa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc juſtórum ſimplícitas deridétur: quia ab hujus mundi ſapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur, ab eis procul dúbio ſtultum putátur: & quidquid in ópere véritas appróbat, carnáli ſapiéntiæ fátuum ſonat. Quid namque ſtúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis oſténdere; nil cállidâ machinatióne ſimuláre; nullas injúriis contumélias réddere; pro maledicéntibus oráre; paupertátem quærere; poſſeſſa relínquere; rapienti non resíſtere; percutienti maxillam álteram præbére?

℟. *v.* Oculus Dei reſpexit illum in bono, & * Erexit eum ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus. ℣. Omnis qui ſe humíliat, exaltábitur. * Erexit. *Eccli.* 11. *Luc.* 18.

Poſt pauca. Cap. 16. & 17.

Lectio vj.

Quæ nimirùm juſti ſimplícitas bréviter ſed ſufficienter exprímitur, cùm prótinùs ſubinfertur: Lampas contempta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contingit ut electus quiſque, qui ad ætérnam felicitátem dúcitur, contínuâ hìc adverſitáte deprimátur; non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem oſtendat, nulla ei obſequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véſtium pompa compónat: à cunctis verò deſpicábilis cérnitur, & hujus mundi glóriâ indignus æſtimátur: ſed tamen ante occulti júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruſcat; honorári métuit, déſpici non réfugit; corpus continéntiâ áfficit, ſolâ in ánimo dilectióne pingueſcit: men-

tem ſemper ad patiéntiam præparat, & erectus pro juſtítia de perceptis contuméliis exultat; afflictis ex corde compátitur; de bonórum proſperitátibus quaſi de própriis lætátur; ſacri verbi pábula in mente ſollícitus rúminat; & inquíſitus, quódlibet éloqui dupliciter, ignórat.

℟. vj. Ambulávit in conſpectu tuo in veritáte & juſtítia & recto corde tecum; * Cuſtodiſti ei, Dómine, miſericórdiam tuam grandem. ℣. Ecce verè Iſraelíta in quo dolus non eſt. * Cuſtodiſti. Glória. * Cuſtodiſti. *III. Reg.* 3. *Joann.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Vetus homo noſter crucifixus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto. *Rom.* 6.

Ant. 4. f. Ipſe Spíritus teſtimónium reddit ſpíritui noſtro, quòd ſumus filii Dei; ſi autem filii, & hærédes. *Rom.* 8.

Ant. 8. C. Ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum expectantes, redemptiónem córporis noſtri. *Rom.* 8.

℣. Anima noſtra súſtinet Dóminum; ℟. Quia in eo lætábitur cor noſtrum. *Pſ.* 32.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus veſtris. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. Hom. 13.

DOminus dicit: Sint lumbi veſtri præcincti. Lumbos præcíngimus cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minùs eſt mala non ágere, niſi étiam quiſque ſtúdeat & bonis opéribus inſudáre, prótinùs ádditur: Et lucernæ ardentes in mánibus veſtris. Lucernas quippè ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis noſtris lucis exempla monſtrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Duo autem ſunt quæ jubentur, & lumbos reſtríngere, & lucernas tenére; ut & mundítia ſit caſtitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim noſtro unum ſine áltero placére nequáquam

poteſt, ſi aut is qui bona agit, adhuc lúxuriæ inquinamenta non déſerit; aut is qui caſtitáte præéminet, necdum ſe per bona ópera exercet.

℟. *vij.* Hæc eſt cáritas Dei, ut mandáta ejus cuſtodiámus, & * Mandáta ejus grávia non ſunt. ℣. Guſtáte & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus. * Mandáta.] *I. Joann.* 5. *Pſ.* 33.

Lectio viij.

NEc cáſtitas ergo magna eſt ſine bono ópere, nec opus bonum eſt áliquod ſine caſtitáte. Sed & ſi utrumque ágitur, reſtat ut quiſquis ille eſt, ſpe ad ſupernam pátriam tendat, & nequáquam ſe à vítiis pro mundi hujus honeſtáte contíneat. Qui etſi quædam bona aliquandò pro honeſtáte ínchoat; in ejus tamen intentióne non debet permanére, nec per bona ópera præſentis mundi glóriam quærere; ſed totam ſpem in redemptóris ſui adventum conſtituat. Unde & prótinùs ſúbditur: Et vos ſímiles homínibus expectántibus Dóminum ſuum quando revertátur à núptiis. Ad núptias quippe Dóminus ábiit; quia reſúrgens à mórtuis, aſcendens in cœlum, ſupernam ſibi Angelórum multitúdinem novus homo copulávit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium maniſeſtátur.

℟. *viij.* Noſtra converſátio in cœlis eſt, unde ſalvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui * Reformábit corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ. ℣. Fílii ſanctórum ſumus, & vitam illam expectámus quam Deus datúrus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. * Reformábit. Glória. * Reformábit. *Philipp.* 3. *Tob.* 2.

Lectio ix.

BEne autem de ſervis expectántibus ſúbditur: Ut cùm vénerit & pulſáverit, confeſtìm apériant ei. Venit Dóminus, cùm ad judícium próperat: pulſat verò, cùm jam per ægritúdinis moléſtias mortem vicínam eſſe deſignat. Cui confeſtìm aperímus, ſi hunc cum amóre ſuſcípimus. Aperíre enim júdici pulſanti non vult, qui exíre de córpore trepídat; & vidére eum quem contempſiſſe ſe méminit, júdicem formídat. Qui autem de ſua ſpe & operatióne ſecúrus eſt, pulſanti confeſtìm áperit, quia lætus júdicem ſúſtinet; &

cùm tempus propinquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilaréſcit.

AD LAUDES.

Antiphona, 4. f.

ERat vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum & recédens à malo. *Job*. 1.

Ant. 7. d. Conſervávit legem Excelſi, & in tentatióne inventus eſt fidélis. *Eccli*. 44.

Ant. 5. a. Cuſtodívit ánimam ſuam, & memor fuit Dómini in toto corde ſuo. *Tob*. 1.

Ant. 2. d. Erat.

Canticum. *Eccli*. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces veſtra.

Qui timétis Dóminum, ſperáte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis miſericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * & illuminabuntur corda veſtra.

Reſpícite, fílii, natiónes hóminum; * & ſcitóte quia nullus ſperávit in Dómino, & confúſus eſt.

Quis enim permanſit in mandátis ejus, & derelictus eſt? * aut quis invocávit eum, & deſpexit illum?

Quóniam pius & miſéricors eſt Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * & protector eſt ómnibus exquiréntibus ſe in veritáte.

Ant. Erat religióſus ac timens Deum, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper. *Act*. 10.

Ant. 1. a. Non prætériit de univerſis mandátis, nec unum quidem verbum quod júſſerat Dóminus. *Joſue*. 11.

Capitulum. *Eccli*. 31.

ERit illi glória ætérna, qui pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgreſſus; fácere mala, & non fecit.

Hymnus.

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suſpírat, oblítus ſuî.

Quid ergo gaudes nèctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déſtinas.

Hinc fervet in dies amor,
In vota toti díffluunt:
Ad aſtra feſtinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iſte tardi córporis
Pondus moleſtum ſúſtinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo ſe júngere.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque, Spíritus;

Tibi, Deus, ſit glória. * Amen.

℣. In juſtítia apparébo conſpéctui tuo: ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Pſ.* 16.

Ad Benedictus *Ant.* 6. F. Propter Chriſtum ómnia detrimentum feci, ad cognoſcendum illum; ſi quo modo occurram ad reſurrectiónem, quæ eſt ex mórtuis. *Philipp.* 3.

Oratio.

ADeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, quas in beáti *N.* feſtivitáte deférimus; ut qui noſtræ juſtítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus ſublevémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

PRæſta, quæſumus, miſéricors Deus; ut quam fidélis ſervus tuus *N.* accépit à te juſto júdice corónam, eamdem & nos, ejus interceſſióne, poſt conſummátum ritè curſum recípere mereámur; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 4. f. Erat.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Conſervávit.

Capitulum. Job. 23.

VIam Dei cuſtodívi & non declinávi ex ea; à mandátis labiórum ejus non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris ejus.

℟. *breve.* In via teſtimoniórum tuórum, Dómine, * Delectátus ſum. ℣. Sicut in ómnibus divítiis. * Delectátus. Glória. ℟. In via.

℣. A mandátis tuis intellexi; ℟. Proptéreà odívi omnem viam iniquitátis. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Cuſtodívit.

Capitulum. Eccli. 33.

SApiens non odit mandáta & juſtítias, & non illidétur quaſi in procella navis: homo ſenſátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. *breve.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Qui. Glória. ℟. Beátus. *Pſal.* 111.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non ſupplantabuntur greſſus ejus. *Pſ.* 36.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Non prætériit.

Capitulum. Eccli. 51.

AMbulávit pes meus iter rectum, zelátus ſum bonum, & non confundar.

℟. *breve.* Confitébor tibi, Dómine, * In directióne cordis. ℣. In eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ. * In. Glória. ℟. Confitébor.

℣. Servávi mandáta tua

& teſtimónia tua, ℟. Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. *Pſ.* 118.

AD VESPERAS.

Antiphona, 6. F.

ANte Dóminum qui elégit me, vílior fiam pluſquàm factus ſum; & ero húmilis in óculis meis. 2. *Reg.* 6.

Ant. 3. a. Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus, tímui Deum, & pondus ejus ferre non pótui. *Job.* 31.

Ant. 5. C. Immóbilis in Dei timóre permanſit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Tob.* 2.

Ant. 7. ç. Tu feciſti, Dómine, cum ſervo tuo miſericórdiam magnam. 3. *Reg.* 3.

Ant. 1. G. Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſal.* 34.

Capitulum. Gal. 6.

QUæ ſemináverit homo, hæc & metet: quóniam qui séminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem; qui autem séminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam æternam.

Hymnus, Summi, *ut in I. Veſperis.* p. lx.

℣. In memória æterna erit juſtus; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111.

Ad Magnificat *Ant.* 5. C. Dilectus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne eſt: símilem illum fecit in glória ſanctórum, & oſtendit illi glóriam ſuam. *Eccli.* 45.

COMMUNE VIRGINUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 8. g.

QUid bonum Dómini eſt, & quid pulcrum ejus? niſi frumentum electórum & vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

Ant. 6. F. Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum. *Iſ.* 56.

Ant. 1. f. Dabo eis nomen mélius à filiis & filiábus: nomen ſempitérnum dabo eis. *Iſ.* 56.

Ant. 4. d. Ultrà mori non póterunt; æquáles enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectiónis. *Luc.* 20.

Ant. 7. d. Non omnes cápiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. *Matth.* 19.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

UNuſquiſque própriũ donum habet ex Deo;

ălius quidem ſic, álius verò ſic. Dico autem non nuptis & víduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permáneant.

[*In Duplicibus II. Claſſis & ſuprà*, ℟. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam. * Obliviſcere pópulum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet Rex decórem tuum; † Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. ℣. Spíritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis. * Obliviſcere. Glória. † Quóniam. *Pſ.* 44. *Joann.* 3].

Si ſit Martyr,
Hymnus.

FESTIS læta ſonent ſídera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis, amor! fórtiter ámbiit
Sponſo virgíneum fúndere ſánguinem.
Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præcláræ ſítiens necis.

SIC quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus; quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis íntegram
Teſtári Dómino fidem.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia ſúſtinent,
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Pſ.* 36.

Ad Magníficat *Ant.* 4. E. Infírma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conſpectu ejus. *I. Cor.* 1.

Oratio; infrà ad Laudes.

Si non ſit Martyr,
Hymnus.

VOS ô Vírginei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum Virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite laúdibus.

HÆC eſt ſacra dies, óbvia quâ ſuo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponſo, ſtanſque throno próxima, cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

SOLO digna Deo cónjuge, réſpuit

Mortáles thálamos: ut ſemel óbligat
Seſe fida ſuo, quem benè déperit,
Ultrò ſe Deus óbligat.

Purum ne máculent pectus imágines,
In ſe, tota ſui córporis ímmemor
Mens, ſeſe récipit; nil óculi vident,
Surdis nil ſonat aúribus.

Ægro vix ſua ſunt pábula córpori:
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam ſibi præripit;
Unus ſit Deus ómnia.

Fac, ô Chriſte, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur, viâ.
Qui gens ſancta ſumus, móribus íntegris
Fac ſoli tibi vívere.

Da te, ſumme Pater, tóllere laúdibus;
Da te, Chriſte, ſequi, laúrea Vírginum.
Fac, incenſa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Afferentur Regi Vírgines, ℟. In lætítia & exultatióne. *Pſ.* 44.

Ad Magnificat *Ant.* 3. a. Córpora veſtra membra ſunt Chriſti: membra veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti qui in vobis eſt. *I. Cor.* 6.

Oratio, infrà ad Laudes.

[*In Annualib.* AD COMPLET. *Ant.* 2. A. Ego dórmio, & cor meum vígilat. *Cant.* 5.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? *Pſ.* 38].

AD MATUTINUM.

Invit. Agnum quem ſequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

Pſalmus, Venite, *pag.* 2.

Si ſit Martyr,
Hymnus.

Virginum robur Deus, atque cuſtos,
Sexus imbellis, médios per enſes,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!

Pro tuis aris animóſa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non ſuos ſentit, memor ô tuórum,
Chriſte, dolórum.

Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram poſſunt violáre mentem:
Quin ſacri creſcit magis obſtinátus
Ardor amóris.

Sponsa dilecto placitúra Sponſo,
Déſpicit ruptum laniáta corpus:

Eſt ſuus truncis honor, & venuſtas
Eſt ſua membris.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriuſque Nexus.
Fac, tibi ſemper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

Si non ſit Martyr,

Hymnus.

CŒLESTIS aula pánditur;
En Sponſus: omnes óbviæ
Exíte Sponſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.

HÆC nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat ſíngulis
Jam pléniùs frui Deo.

QUÆ caſta vobis gaúdia,
Quos afflet ignes, dícite;
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit.

HUNC propter unum víluit
Superba regum púrpura.
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O Virgináles núptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi, laus Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas ſigillis fœdera.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum Regem. *Prov.* 22.

Ant. 7. d. Omnis ponderátio non eſt digna continentis ánimæ. *Eccli.* 26.

Ant. 3. a. Beáti mundo corde, quóniam ipſi Deum vidébunt. *Matth.* 5.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Pſ.* 118.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* O quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! *Immortális eſt enim memória illíus; quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines. ℣. Reddet Deus iis qui incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. * Immortális. *Sap.* 4. *Rom.* 2.

℟. *ij.* Dábitur illi fídei donum electum, & ſors in templo Dei acceptíſſima; * Bonórum enim labórum glorióſus eſt fructus. ℣. Fructus Spíritûs eſt cáritas, fides, modéſtia, continéntia, cáſtitas. * Bonórum. *Sap.* 3. *Galat.* 5.

℟. *iij.* Felix eſt incoinquináta; * Habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctárum. ℣. Virgo cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu. * Habébit. Gló-

ria. * Habébit. *Sapient.* 3. *I. Cor.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In caritáte perpétua dilexi te; ídeò attraxi te míſerans. *Jerem.* 31.

Ant. 4. f. Veni de Líbano, ſponſa mea: veni, coronáberis. *Cant.* 4.

Ant. 7. *d.* Sponſábo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dóminus. *Oſ.* 2.

℣. Conféſſio & pulchritúdo in conſpectu Dei; ℟. Sanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus. *Pſ.* 95.

[*Si ſit Martyr, Lectiones de S. Ambr.* Quóniam. Hæc nubes... Quis ígitur... *ut infrà*].

Ex libro S. Cypriáni Epíſcopi & Mártyris, de diſciplína & hábitu Vírginum.

Paulò poſt initium.

Lectio iv.

NUnc nobis ad Vírgines ſermo eſt, quarum quò ſublímior glória eſt, major & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiáſtici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ ſpiritális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptum; Dei imágo reſpondens ad ſanctimóniam Dómini, illúſtrior pórtio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Eccléſiæ matris glorióſa fœcúnditas: quantóque plus copióſa virgínitas número ſuo addit, tanto plus gaúdium matris augeſcit.

℟. iv. Sponſábo te mihi in ſempiternum: * Et ſponſábo te in miſericórdia & in miſeratiónibus. ℣. Sectáre juſtítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, manſuetúdinem: * Et. *Oſ.* 2. *I. Tim.* 6.

Lectio v.

AD has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm poteſtáte: non quòd extrémi & mínimi, & humilitátis noſtræ ádmodum cónſcii, áliquid ad cenſúram licéntiæ vindicémus; ſed quòd ad ſollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infeſtatióne timeámus. Neque enim inánis hæc caútio eſt, & vana formído quæ ad ſalútis viam cónſulit, quæ domínica & vitália præcepta cuſtódit; ut, quæ ſe Chriſto dicáverint, & à carnáli concupiſcéntia recedentes, tam carne, quàm mente ſe Deo vóverint, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinátū: nec ornári jam, aut placére cuíquam niſi Dómino ſuo ſtúdeant, à quo & mercédem virginitátis expectant, dicente ipſo: Non omnes cápiunt verbum, ſed illis quibus datum eſt.

℟.

℟. *v.* Scient quia ego dilexi te : * Tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. ℣. Dedi corónam decóris in cápite tuo, & profeciſti in regnum; quia perfécta eras in decóre meo : * Tene. *Apoc.* 3. *Ezech.* 16.

Lectio vj.

PEr hanc Angeli vocem continéntiæ munus oſténditur, virgínitas prædicátur. Hi ſunt qui cum muliéribus ſe non coinquinavérunt; vírgines enim permanſérunt. Hi ſunt qui ſequuntur Agnum quocumque íerit. Quòd ſi Chriſtum continéntia séquitur, & regno Dei virgínitas deſtinátur; quid eſt illis cum terréno cultu & cum ornamentis? quibus dum homínibus placére géſtiunt, Deum offendunt.

℟. *vj.* Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum, ut ſignáculum ſuper bráchiũ tuum; * Quia † Fortis eſt ut mors diléctio. ℣. Neque inſtántia, neque fortitúdo, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à caritáte Dei; * Quia. Glória. † Fortis eſt. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimittam. *Cant.* 3.

Ant. 4. a. Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. *Jer.* 3.

Ant. 2. A. Anima mea liquefácta eſt, ut diléctus meus locútus eſt. *Cant.* 5.

℣. Cor meum & caro mea, ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Pſ.* 83.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus quæ, accipientes lámpades ſuas, exiérunt óbviam ſponſo & ſponſæ. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

In Evang. Homil. 12.

OMnes lámpades habent, ſed omnes óleũ non habent; quia plerúmquè bona in ſe ópera cum eléctis & réprobi oſtendunt : ſed ſoli ad ſponſum cum óleo véniunt, qui de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per Pſalmiſtam quoque de ſancta electórum eccléſia dícitur : Omnis glória ejus, fíliæ Regis, ab intùs. Moram autem faciente ſponſo, dormitavérunt omnes & dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, elécti & réprobi in mortis ſomno ſopiuntur.

℟. *vij.* Quàm bonus Iſ-

rael Deus, his qui recto ſunt corde! * Mihi adhærére Deo bonum eſt, pónere in Dómino Deo ſpem meam. ℣. Qui adhæret Dómino, unus ſpíritus eſt. * Mihi. *Pſ.* 72. *I. Cor.* 6.

Lectio viij.

Ibidem post pauca.

DE adventu ſponſi clamor in média nocte fit; quia ſic dies judícii ſurrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Undè ſcriptum eſt: Dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines ſurgunt, quia & electi & réprobi à ſomno ſuæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia ſua ſecum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum vírginum extinguuntur, quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu Júdicis intùs obſcurantur: & à Deo retributiónem non invéniunt, qui pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

℟. viij. Dilectus meus electus ex míllibus, totus deſiderábilis, * Et † Ipſe eſt amícus meus, fíliæ Jeruſalem. ℣. Vivo, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus. *Et. Glória. † Ipſe. *Cant.* 5. *Galat.* 2.

Lectio ix.

QUid eſt autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, niſi quòd in adventu Júdicis, cùm ſe intùs vácuas invénerint, teſtimónium foris quærunt? Sed dum irent émere, venit ſponſus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clauſa eſt jánua. O! ſi ſápere in cordis paláto poſſis, quid admiratiónis habet quod dícitur: Venit ſponſus? Quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias? Quid amaritúdinis: Et clauſa eſt jánua? Tunc regni jánua lugéntibus claudétur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperitur. Erit namque & tunc pœniténtia; ſed fructuóſa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam invéniet, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

AD LAUDES.

Antiphona, 2. D.

EGo dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páſcitur inter lília. *Cant.* 6.

Ant. 3. a. Sub umbra illíus quem deſideráveram, ſedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo. *Cant.* 2.

Ant. 7. b. Dilectus meus ordinávit in me caritátem. *Cant.* 2.

Ant. 8. c. Cantábant

Canticum. Iſ. 61.

GAudens gaudébo in Dómino, * & exultábit ánima mea in Deo meo;

Quia índuit me veſtimentis ſalútis, * & indumento juſtítiæ circúmdedit me,

Quaſi ſponſum decorátum corónâ, * & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis.

Sicut enim terra profert germen ſuum, * & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat;

Sic Dóminus Deus germinábit juſtítiam, * & laudem coram univerſis géntibus.

Ant. Cantábant vírgines cánticum novum ante ſédem Dei & Agni. *Apoc.* 14.

Ant. 5. a. Lauda, fília Sion; lætáre & exulta in omni corde, fília Jerúſalem. *Soph.* 3.

Capitulum. Apoc. 14.

VIdi; & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quátuor míllia, habentes nomen ejus & nomen Patris ejus ſcriptum in fróntibus ſuis.

Si ſit Martyr,
Hymnus.

QUID ſacram, Virgo, generóſa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non uno géminum reportas
Hoſte triumphum.
MOLLIOR fregit neque te voluptas,
Impotens flexit neque te tyrannus.
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.
LILIIS Sponſus récubat, roſiſque;
Tu, tuo ſemper benè fida Sponſo,
Et roſas Martyr, ſimul & dediſti
Lília Virgo.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriuſque Nexus:
Fac, tibi ſemper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et póſuit immaculátam viam meam. *Pſ.* 17.

Ad Benedictus *Ant.* 8. G. Caſta generátio in perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam martyrii contuliſti; concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Vírginis

& Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

Alia Oratio.

OMnípotens, ſempiterne Deus, cujus múnere beáta *N.* virginitátis & martyrii palmam adepta eſt: da nobis ejus précibus, ita córporis & mentis ſerváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per Dóminum.

Si non ſit Martyr,
Hymnus.

O Virgo, pectus cui ſacrum
Amóris expers ímpròbi,
In iis ſuis ardóribus
Sanctus peruſſit Spíritus.

Non te volupras dúlcibus
Fallax venénis móllliit,
Solas amantem pérſequi
Cœleſtis Agni núptias.

Sic ille nàtus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.

Beata, cui nunc Cœlitum
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponſi potíri gaúdiis.

Æterne ſponſe Vírginum,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Lætábor, & exultábo in te: ℟. Pſallam nómini tuo, Altíſſimè. *Pſ.* 9.

Ad Benedictus *Ant.* 1. J. Exultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me veſtimentis ſalútis, quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. *Iſ.* 61.

Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituiſti, concéde ut qui fidélis ſponſæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obſéquio, piæ converſatiónis ſequámur exemplo; Per Dóminum.

Alia Oratio.

FIdéles tuos, quæſumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* vírgine tuâ, córpore & mente puríſica; ut, tuâ inſpiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant, atque, ut eárum non capiantur illécebris, tuâ ſemper ſuavitáte paſcantur; Per.

AD PRIMAM.

Antiph. 2. D. Ego.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Sub umbra.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

DE virgínibus præceptum Dómini non hábeo; conſílium autem do, tanquam miſericórdiam conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis.

℟. *br.* Fiat cor meum immaculátum * In juſtifi-

catiónibus tuis. ℣. Ut non confundar. * In. Glória. ℟. Fiat. *Pſ.* 118.

℣. Sitívit in te ánima mea; ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Pſ.* 62.

AD SEXTAM.

Ant. 7. b. Dilectus.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

ÆMulor vos Dei æmulatióne; deſpondi enim vos uni viro vírginem caſtam exhibére Chriſto.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram. ℣. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*Et. Glória. ℟. Quid. *Pſ.* 72.

℣. Súſcipe me ſecundùm elóquium tuum, & vivam; ℟. Et non confundas me ab expectatióne mea. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Lauda.

Capitulum. 2. *Reg.* 22.

QUia complácui Dómino, retríbuet mihi ſecundùm juſtítiã meam; & ſecundùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi.

℟. *br.* Retríbuet mihi Dóminus * Secundùm juſtítiam meam. ℣. Et ſecundùm puritátem mãnuũ meárum. *Secundùm. Glória. ℟. Retríbuet. *Pſ.* 17.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Pſ.* 68.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 4. D.

VIrgines accipientes lámpades ſuas, exiérunt óbviam ſponſo & ſponſæ. *Matth.* 25.

Ant. 3. a. Prudentes accepérunt óleum in vaſis ſuis cum lampádibus, & ornavérunt lámpades ſuas. *Matth.* 25.

Ant. 7. d. Médiâ nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit; exíte óbviam ei. *Matth.* 25.

Ant. 2. D. Venit ſponſus, & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

Ant. 1. D. Vírgines ſequuntur Agnum quocumque íerit; ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Capitulum. Apoc. 14.

AUdívi vocem de cœlo; & vocem quam audívi, ſicut citharœdórum citharizántium in cítharis ſuis: & cantábant quaſi cánticum novum ante ſedem Agni.

Si ſit Martyr, Hymnus Quid ſacram, *pag.* lxxv.

℣. Me propter innocéntiam ſuſcepiſti, ℟. Et confirmaſti me in conſpectũ tuo in æternum. *Pſ.* 40.

Ad Magníficat *Ant.* 2. D. Feciſti viríliter, & confortátum eſt cor tuum, eò quòd caſtitátem amáve-

ris; ídeò & manus Dómini confortávit te. *Judith*, 15.

Si non ſit Martyr, Hymnus, O Virgo, *pag.* lxxvj.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini, ℟. Quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. *Pſ.* 148.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam Deo; quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit ſe. Beáti, qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti ſunt. *Apoc.* 19.

In Officio S. Virginis & Martyris, dicuntur in II. Nocturn. Lectiones quæ ſequuntur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De Virgin. ad Marcellinam Soror. Libr. I.

Lectio iv.

QUóniam hódie natális eſt vírginis, invítat integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus; ne veluti tránſitu quodam præſtricta videátur, quæ principális eſt virtus. Non enim ídeò laudábilis virgínitas, quia & in martyribus reperítur: ſed quia ipſa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam poſſit ingénio comprehéndere, quam nec natúra ſuis inclúſit légibus? aut quis naturáli voce compléсti, quod ſupra uſum naturæ ſit? E cœlo accerſívit quod imitarétur in terris. Nec immérito vivendi ſibi uſum quæſívit è cœlo, quæ ſponſum ſibi invénit in cœlo.

Lectio v.

HÆc nubes, áera, Angelos ſideráque tranſgrédiens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris invénit, & toto hauſit péctore. Nam quis tantum, cùm invénerit, relinquat boni: Unguentum enim exinanitum eſt nomen tuum; proptéreà adoleſcéntulæ dilexérunt te. Poſtrémò, non meum eſt illud, quóniam, Quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur ſi Angelis comparentur, quæ Angelórum Dómino copulantur.

Lectio vj.

QUis ígitur neget hanc vitam fluxiſſe de cœlo, quam non fácilè invenímus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terréni córporis membra deſcendit? Tunc in útero Virgo concépit, & Verbum caro factum eſt, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis: Sed étiam Elías nullius corpórei cóitus fuiſſe permixtus

cupiditátibus invenítur. Ideò ergo curru raptus ad cœlum ; ídeò cum Dómino appáret in glória ; ídeò domínici ventúrus eſt præcurſor adventûs.

COMMUNE SANCTARUM MULIERUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona, 1. J.

MUlierem fortem quis invéniet? Procul, & de últimis fínibus prétium ejus. *Prov.* 31.

Ant. 4. f. Domus & divítiæ dantur à paréntibus ; à Dómino autem própriè uxor prudens. *Prov.* 19.

Ant. 2. D. Grátia ſuper grátiam, múlier ſanćta & pudoráta. *Eccli.* 26.

Ant. 7. d. Grátia verecúndiæ mulíeris ſensátæ & bonæ ſuper aurum. *Eccli.* 7.

Ant. 3. *a.* Múlier fortis oblećtat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26.

Capitulum. Eccli. 26.

FUndamenta ætерna ſupra petram ſólidam ; mandáta Dei in corde mulíeris ſanćtæ.

[*In Duplicibus ſecundæ Claſſis & ſuprà*, ℟. Virum, Dómine, cum timóre tuo, non cum libídine mea conſenſi ſuſcípere : * Sit nomen tuum, Deus Iſrael, benedićtum in ſécula. ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, ſed in ſanćtificatiónem : * Sit. Glória. * Sit. *Tob.* 3. *I. Theſſ.* 4.

Hymnus.

ADESTE, ſanćtæ Cónjuges :
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Triumphat inter Cœlites.

NON illa luxu véſtium,
Non crine torto ſplénduit ;
Cultu nitens ſed ſímplice,
Puris placébat móribus.

SE ſub ſerénis vúltibus
Auſtéra virtus óccultit ;
Timet vidéri, ne ſuum,
Dum pródit, amittat decus.

PASCENDA cœleſti cibo,
Sacris ſtudébat lítteris ;
Templo frequens, ſed ſédula
Redíbat ad curam domûs.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Si ſit Martyr, ℣. Fa&tus es ſpes mea, Dómine, ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Pſ.* 60.

Ad Magníficat *Ant.* 4. D. Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, & de tua miſericórdia præſumentem; ut gentes agnoſcant quia tu es Deus, & non eſt álius præter te. *Judith.* 9.

Oratio, infrà ad Laudes.

Si non ſit Martyr, ℣. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem; ℟. In via tua vivífica me. *Pſ.* 118.

Ad Magníficat *Ant.* 1. A. Exultávit cor meum in Dómino, & dilatátum eſt os meum, quia lætáta ſum in ſalutári tuo. *I. Reg.* 2.

Oratio, infrà ad Laudes.

[*In Annualib.* AD COMPLET. *Ant.* 3. c. Non extinguétur in nocte lucerna ejus. *Prov.* 31.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Deus oſtendet ſplendórem ſuum in te. *Baruch.* 5].

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum in quo ſperant ſanctæ mulíeres, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 3.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

ARDET Deo quæ fémina,
Latére fruſtrà cógitat:
Quot indigentes súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honeſtis ánxia;
Patróna, cuſtos vírginum,
Secunda mater órphanis.

PANNIS latentem vílibus
Chriſtum fovébat hóſpitem:
Quas dura ſubtraxit ſibi,
Opes refundit pródiga.

PACEM domi, pacem forìs
Alto colit ſiléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens ſit ómnibus.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini, & cum electis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

Ant. 2. D. Sápiens múlier ædíficat domum: múlier gratióſa invéniet glóriam. *Prov.* 14.

Ant. 3. *a.* Pars bona múlier bona: in parte timéntium Deum dábitur. *Eccli.* 26.

℣. Ecce ſic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Pſ.* 127.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Grátia mulíeris ſédulæ delectábit virum ſuum: * Diſciplína illíus datum Dei eſt. ℣. Quæ fílios aut nepótes habet, diſcat domum ſuam rége-

re; hoc enim acceptum eſt coram Deo. * Diſciplina. *Eccli.* 26. *I. Tim.* 5.

℟. ij. Os ſuum apéruit ſapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus; * Conſiderávit sémitas domûs ſuæ, & panem otióſa non comédit. ℣. Quod decet mulieres, promittentes pietátem per ópera bona. * Conſiderávit. *Prov.* 31. *I. Tim.* 2.

℟. iij. Fallax grátia & * Vana eſt pulchritúdo: †Múlier timens Dóminum ipſa laudábitur. ℣. Non ſit extrínſecùs capillatúra aut circumdátio auri aut veſtimentórum cultus. * Vana. Glória. † Múlier. *Prov.* 31. *I. Petr.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, tu ſcis quòd nunquam lætáta ſit ancilla tua niſi in te, Dómine Deus. *Eſth.* 14.

Ant. 5. a. Oſtende quóniam non derelinquis præſumentes de te; & præſumentes de ſe, & de ſua virtúte gloriantes humílias. *Judith.* 6.

Ant. 6. F. In consilium iniquórum non véniat ánima mea, & in cœtu illórum non ſit glória mea. *Gen.* 49.

℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, ℟. In médio domûs meæ. *Ps.* 100.

De Epiſtola ſancti Auguſtini Epiſcopi ad Probam viduam.

Epiſt. 130. §. 3. *aliàs* 121.

Lectio iv.

Debes præ amóre veræ vitæ deſolátam te putáre in hoc ſæculo, in quantálibet ejus felicitáte verséris. Nam ſicut eſt illa vera vita, in cujus comparatióne útique iſta quæ multùm amátur, quantúmlibet jucunda atque producta ſit, nec vita dicenda eſt: ſic eſt étiam ſolátium verum, ſine quo ſolátio quæcumque ſunt terréna ſolátia, magis in eis deſolátio quàm conſolátio repéritur.

℟. iv. Adjuva me ancillam tuam, nullum áliud auxílium habentem, niſi te, Dómine. * Noſti quia óderim glóriam iniquórum. ℣. Quæ participátio juſtítiæ cum iniquitáte? * Noſti. *Eſth.* 14. *II. Cor.* 6.

Lectio v.

Divítiæ quippe atque faſtígia dignitátum, cæteráque hujúſmodi quibus ſe felices eſſe putant mortáles, veræ illíus felicitátis expértes, quid áfferunt conſolatiónis, cùm ſit eis indigére quàm eminére præſtántius; quæ plus excrúciant adepta timóre amiſſiónis, quàm concupíta, adeptiónis ardóre.

dore? Talibus bonis non fiunt homines boni; ſed aliunde boni facti, bene utendo faciunt, ut iſta ſint bona. Non ſunt ergo in iis vera ſolatia, ſed ibi potius ubi vera vita.

℞. v. Complacui in veritate tua: * Non ſedi cum concilio vanitatis; odivi eccleſiam malignantium. ℣. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. * Non. *Pſ.* 25. *I. Cor.* 15.

Lectio vj.

HÆc omnia conſiderans, concerta in oratione vincere hoc ſeculum: ora in ſpe, ora fideliter & amanter; ora inſtanter atque patienter; ora ut vidua Chriſti, nondum habens ejus conſpectum, cujus precaris auxilium: & licet ſis ditiſſima, ſicut pauper ora. Nondum enim veras futuri ſeculi divitias habes, ubi nulla damna formides. Si ea quæ ſurſum ſunt quæris & ſapis, æterna & certa deſideras; quæ quamdiu nondum habes, etiam ſalvis omnibus atque obſequentibus tuis, tanquam deſolatam reputare te debes.

℞. vj. Mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia: * Nunquam cum ludentibus miſcui me; neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui. ℣. Gratias ago Deo, cui ſervio in conſcientia pura. * Nunquam. Gloria. * Nunquam. *Tob.* 3. *II. Tim.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum. *Prov.* 31.

Ant. 8. c. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum. *Prov.* 31.

Ant. 8. g. Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. *Prov.* 31.

℣. Anima ejus in bonis demorabitur, ℞. Et ſemen ejus hæreditabit terram. *Pſ.* 24.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo tempore; Dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorii Papæ.

Homil. 11. *in Evang.*

CŒlorum regnum, fratres cariſſimi, idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, ut ex his quæ animus novit, ſurgat ad incognita quæ non novit: quatenus exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat, &

per ea quæ uſu dídicit, quaſi confricátus incaleſcat; ut per hoc quod ſcit notum dilígere, diſcat & incógnita amáre. Ecce enim cœlórum regnum theſauro abſcóndito in agro comparátur; quem qui invenit homo, abſcondit, & præ gaúdio illíus vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.

℟. vij. Confídit in ea cor viri ſui: * De nocte ſurrexit, dedítque prædam doméſticis ſuis, & cibária ancillis ſuis. ℣. Si quis ſuórum, & máximè domeſticórum, curam non habet, fidem negávit, & eſt infidéli detérior. * De nocte. *Prov.* 31. *I. Tim.* 5.

Lectio viij.

Quâ in re hoc quoque notandum eſt, quòd inventus theſaurus abſcónditur, ut ſervétur: quia ſtúdium cœleſtis deſidérii à malignis ſpirítibus cuſtodíre non ſufficit, qui hoc ab humánis laúdibus non abſcondit. In præſenti enim vita quaſi in via ſumus, quâ ad pátriam pérgimus. Maligni autem ſpíritus iter noſtrum quaſi quidam latrúnculi obſident. Deprædári ergo deſíderat, qui theſaurum públicè portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera noſtra bona non vídeant, cùm ſcriptum ſit: Vídeant ópera veſtra bona, & gloríficent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt: ſed ut per hoc quod ágimus, laudes extériùs non quærámus. Sic autem ſit opus in público, quátenùs inténtio máneat in occúlto: ut & de bono ópere próximis præbeámus exemplum; & tamen per intentiónem, quâ Deo ſoli placére quærimus, ſemper optémus ſecrétum.

℟. viij. Erat in ómnibus famoſíſſima, quóniam * Timébat Dóminum valdè, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemóſynis quas faciébat. * Timébat. Glória. * Timébat. *Judith.* 8. *Act.* 9.

Lectio ix.

Theſaurus autem cœleſte eſt deſidérium; ager verò in quo theſaurus abſcónditur, diſciplína ſtúdii cœleſtis. Quem profectò agrum vénditis ómnibus comparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta ſua terréna deſidéria per diſciplínæ cœleſtis cuſtódiam calcat; ut nihil jam quod caro blandítur, líbeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, ſpíritus perhorreſcat.

AD LAUDES.

Antiphona, 6. f.

IN ancilla ſua adimplévit Dóminus miſericórdiam ſuam. *Judith*. 13.

Ant. 3. *a*. Magna facta eſt; erat virtúti caſtitas adjuncta. *Judith*. 16.

Ant. 2. D. Non diſcedébat de templo, jejúniis & obſecratiónibus ſérviens nocte ac die. *Luc*. 2.

Ant. 7. *a*. In opéribus.

Canticum. *Prov*. 31.

OS ſuum apéruit ſapiéntiæ (múlier fortis,) * & lex cleméntiæ in lingua ejus.

Conſiderávit ſémitas domûs ſuæ, * & panem otióſa non comédit.

Surrexérunt filii ejus, & beatiſſimam prædicavérunt; * vir ejus, & laudávit eam:

Multæ filiæ congregavérunt divítias: * tu ſupergreſſa es univerſas.

Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo: * múlier timens Dóminum, ipſa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum ſuárum; * & laudent eam in portis ópera ejus.

Ant. In opéribus bonis teſtimónium habens, filios educávit, omne opus bonũ ſubſecúta eſt. *I. Tim*. 5.

Ant. 5. a. Surrexérunt filii ejus, & beatiſſimam prædicavérunt; vir ejus, & laudávit eam. *Prov*. 31.

Capitulum. *Eccli*. 26.

SIcut ſol óriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulíeris bonæ ſpécies in ornamentum domûs ejus.

Hymnus.

O Jam beáta, quæ ſuo
Tandem ſolúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos ſolútæ cónjuges.

Insignis & nos Féminæ
Sequi decet veſtígia;
Magnum vel ipſis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

Queis arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eoque, quo te vis coli,
Amóre, fac, mens te colat.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Laudéris omni témpore.
Amen.

Si ſit Martyr, ℣. Adhæſit ánima mea poſt te, Deus meus; ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *Pſ*. 62.

Ad Benedictus Ant. 6. F. Supra modum mirábilis, & bonórum memóriâ digna, bono ánimo ferébat propter ſpem quam in Deũ habébat. *II. Mach*. 7.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perficitur; largíre nobis, quæſumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triumphum recoléntibus, ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat; Per Dóminum.

Si non ſit Martyr, ℣. Anima mea Dómino vivet; ℟. Et ſemen meum sérviet ipſi. *Pſ.* 21.

Ad Benedictus *Ant.* 6. F. Benedicta es à Dómino; ſcit enim omnis pópulus mulíerem te eſſe virtútis. *Ruth.* 3.

Oratio.

ESto, quæſumus, Dómine, intercedénte beâtâ *N.* propítius plebi tuæ; ut, quæ tibi non placent reſpuentes, tuórum repleámur deſidério mandatórum; Per Dóminum.

Si ſit vidua, Oratio.

DEus, in quem ſperat omnis ánima quæ, adhuc in terris póſita, ſe verè víduam ſentit ac deſolátam; tribue nobis, quæſumus, ut exemplo beátæ *N.* obſecratiónibus & oratiónibus nocte ac die inſtantes, cœléſtium conſolatiónum mereámur eſſe partícipes; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. f. In ancilla ſua.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Magna.

Capitulum. Eccli. 40.

FIlii & ædificátio civitátis confirmábit nomen, & ſuper hæc múlier immaculáta computábitur.

℟. *br.* Deus meus * Protector eſt ſperántium in ſe. ℣. Póſuit immaculátam viam meam. * Protector. Glória. ℟. Deus. *Pſ.* 17.

℣. Ab omni via mala prohíbui pedes meos. ℟. Ut cuſtódiam verba tua. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Non diſcedébat.

Capitulum. 1. *Tim.* 2.

VOlo mulíeres oráre in hábitu ornáto, cum verecúndia & ſobrietáte ornantes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſâ.

℟. *br.* Exultábo & lætábor * In miſericórdia tua, Dómine. ℣. Quóniam reſpexiſti humilitátem meã. * In. Glória. ℟. Exultábo. *Pſ.* 30.

℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar: ℟. Omnem viam iniquam ódio hábui. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Surrexérunt.

Capitulum. Eccli. 36.

QUi póſſidet mulíerem bonam, ínchoat poſſeſſiónem; adjutórium ſe-

cundùm illum eſt, & columna ut réquies.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. ℣. Et glorificábo nomen tuum in æternum. * In. Glória. ℟. Confitébor. *Pſ.* 85.

℣. Tu, Dómine, glória mea, ℟. Et exaltans caput meum. *Pſ.* 3.

AD VESPERAS.

Antiphona, 5. a.

EO quòd caſtitátem amáveris, manus Dómini confortávit te; & ídeò eris benedicta in æternum. *Judith.* 15.

Ant. 8. g. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu ſupergreſſa es univerſas. *Prov.* 31.

Ant. 7. d. Tu glória Jeruſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 15.

Ant. 6. F. Deus det tibi grátiam, ut ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum. *Judith.* 10.

Ant. 1. D. Ora pro nobis, quóniam múlier ſancta es & timens Deum. *Judith.* 8.

Capitulum. I. Tim. 2.

MUlier ſalvábitur per filiórum generatiónem, ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte.

Hymnus, O jam beáta, *pag.* lxxxiv.

Si ſit Martyr, ℣. Vídeant qui odérunt me, & confundantur, ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuviſti me. *Pſ.* 85.

Ad Magníficat *Ant.* 3. a. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam adjútor & protector factus es mihi, & liberáſti corpus meum à perditióne. *Eccli.* 51.

Si non ſit Martyr, ℣. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me. ℟. In æquitáte tua. *Pſ.* 142.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Fortitúdo & decor induméntum ejus: date ei de fructu mánuum ſuárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31.

IN FESTIS PATRONI, VEL TITULARIS.

Si proprium non habetur Officium in Breviario, fiet ut præſcribitur in Rubricis generalibus. Diebus verò intrà Octavam, nullâ dignitatis cujuſque Sancti habitâ ratione; Lectiones dicentur, etiam pro Apoſtolo, ut infrà, niſi adſint propriæ; vel ſi propriæ, cùm adſunt, non ſufficiant, aut non poſſint aliàs commodè dividi: hâc diſtinctione ſervatâ, ut intrà Octavas Duplicium I. Cl. & ſuprà, Lectiones duæ (ij & iij) ut hîc habetur, propriæ de Octava dicantur, niſi ſit facienda memoria per Lectionem iij; diebus verò intrà Octavam Feſti Duplicis II. Claſſis, j & ij Lectiones de Scriptura occurrente dicantur; tertia tantùm de Octava, præterquàm in ipſa die Octava, cujus Officium eſt ſemiduplex, in quo duæ de Octava dicentur.

LECTIONES DICENDÆ INTRA OCTAVAM PATRONI, VEL PATRONÆ.

DIE II.

Sermo ſancti Baſílii Epíſcopi.

Orat. in 40. Mart.

Lectio ij.

HI ſunt qui acceptam à Deo noſtram regiónem, quaſi turres quædam contrà adverſariórũ incurſum munientes, refúgium exhibent. Beneficium hoc, fratres dilectíſſimi, grátiam hanc mínimè ceſſantem à Deo obtinémus. Parátum eſt hîc Chriſtiánis auxíliũ. Qui áliquâ prémitur anguſtiâ, ad hos cónfugit; qui rursùs lætátur, ad hos recurrit. Hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier

orans pro filiis auditur, peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò ſalútem implórat & óbtinet.

Lectio iij.

O Sanctum chorum! ô ſacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris cuſtódes! óptimi curárum ſócii! precum ac votórum ínvicem ſuffragatóres! legáti apud Deum potentíſſimi! aſtra mundi, flores Eccleſiárum, vos non terra contexit, ſed cœlum excépit. Apertæ ſunt vobis paradíſi portæ, digniſſimi profectò exercítibus Angelórum, Patriarchis, Prophétis & Juſtis ómnibus ſpectáculum.

DIE III.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 1. in C. 2. Ep. Joan. I.

Lectio ij.

JOannes quid dixit? Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epíſcopi & Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite ſcriptúras, & vidéte quia & præpóſiti commendant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orantes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe, orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vobis, fratres; ſed & vos oráte pro nobis. Invicem pro ſe ómnia membra orent: Caput pro ómnibus interpellet.

Serm. 280. Lectio iij.

BEnedixit Dóminus puſillos cum magnis. Non nobis parum videátur, quòd ejus córporis membra ſumus, cujus & illi quibus æquiparári non póſſumus. Quia ſi unum membrum pátitur, compatiuntur ómnia membra; ita, cùm glorificátur unum membrum, congáudent ómnia membra. Sicut ille unus ánimam ſuam pro nobis póſuit, ita & imitáti hunc Mártyres ánimas pro frátribus poſuérunt; atque ut iſta populórum tanquam gérminum copioſíſſima fertílitas ſurgeret, terram ſuo sánguine irrigavérunt. Fructus labóris ergò illórum étiam nos ſumus. Mirámur eos, miſerántur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

DIE IV.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

In Vig. SS. Petri & Pauli.

Lectio ij.

TRia ſunt quæ in feſtivitátibus Sanctórum vigilánter conſideráre debémus, auxílium Sancti,

exemplum ejus, confuſiónem noſtram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior eſt in cœlis ante fáciem Dómini Dei ſui. Si enim, dum hîc víveret, miſertus eſt peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámplius, quantò vériùs agnoſcit miſérias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, ſed augmentávit. Neque enim quia impaſſíbilis omnínò, ídeò & incompaſſíbilis factus eſt.

Lectio iij.

DEbémus étiam atténdere exemplum ejus; quia quámdiu in terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt, non declinávit, neque ad déxteram, neque ad ſiniſtram; ſed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego ſum via, véritas & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus, & tunc vidébitis quómodò tam verbo quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita juſti recta eſt; rectus callis juſti ad ambulandum.

DIE V.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

In Vig. SS. Petri & Pauli.

Lectio ij.

DIligentióri intúitu in feſtivitátibus Sanctórum confuſiónem noſtram inſpiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit, paſſíbilis, ex eódem luto formátus ex quo & nos. Quid ergo eſt, quòd non ſolùm diffícile, ſed & impoſſíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiſcámus. Hómines iſti fuérunt, qui præceſſérunt nos, qui tam mirabíliter proceſſérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuiſſe credámus. Sic ergo & gaudére, & confundi debémus: gaudére, quia patrónos præmíſimus; confundi, quia eos imitári non poſſumus.

Lectio iij.

ITa ſemper gaúdium noſtrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut ſemper non ſolùm extréma, ſed & prima gaúdii luctus óccupet: quia etſi magna eſt gaudiórum matéria, ſed máxima eſt dolórum. Verè nobis rubor confuſiónis ſunt, quos vix audeámus reſpícere, ne dicam, imitári. Orémus

ergo eos, ut ipſi propítium nobis reddant amícum ſuū, júdicem noſtrum, qui eſt Deus benedictus in ſécula. Amen.

DIE VI.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

In Feſto omnium Sanctorum.

Serm. 2. §. 1. *Lectio. ij.*

ERit, præſtante Dómino, triplex ſermónis de Sanctórum felicitáte utílitas; quátenus ágnita, vel ex parte áliqua, felíci retributióne Sanctórum, abundantióri deinceps ſollicitúdine ipsórum inhæréte veſtígiis, ac ferventióri deſidério ad eórum ſuſpiráre consórtia, propenſióri quoque devotióne eorúmdem nos commendáre patrocíniis ſtudeámus. Fidélis quippe ſermo & omni acceptióne dignus, ut quos ſolemni veneratióne proſéquimur, étiam símili converſatióne ſequámur. Quos beatíſſimos prædicámus, ad eórum beatitúdinem totâ aviditáte currámus: quorum delectámur præcóniis, ſublevémur eórum patrocíniis.

Lectio iij.

NEc ſanè parum fructuóſa invenítur memória feſtíva Sanctórum, languórem, tepórem errorémque depellens: cùm eórum interceſſióne juvétur infírmitas noſtra, conſideratióne beatitúdinis excitétur negligéntia noſtra, ignorántia quoque noſtra ipsórum erudiátur exemplis.

DIE VII.

Sermo ſancti Cæſárii Epíſcopi.

Serm. 230. *in Appendice apud Auguſtinum.*

Lectio ij.

QUando feſtivitátes cólimus, fratres caríſſimi, diligenter debémus atténdere, & totis víribus laboráre ut quod viſibíliter cólitur, in nobis inviſibíliter compleátur. Qui nec caſtitátem cuſtódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties ſanctæ ſolemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gaúdium, in corde non célebrat niſi luctum. Quale enim gaúdium poteſt habére? in cujus ánima multis vítiis occupáta magis diábolus probátur habitáre quàm Chriſtus. Nos verò, fratres caríſſimi, etiamſi nobis áliqua, ut ſolet fieri, peccáta ſubrépunt, quantùm póſſumus, cum Dei adjutório laborémus jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemóſynis mundáre sórdida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos ſuæ majeſtátis offendat.

Serm. 265. c. 4. Lectio iij.

FIlios & omnes famílias veſtras admonéte, fratres, ſemper ut caſtè & juſtè ac ſalúbriter vivant: nec ſolùm eos verbis, ſed étiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, ſive in domo, ſive in itínere, ſive in convívio, ſive in conſeſſu, verba túrpia & luxurióſa nolíte ex ore veſtro proferre; ſed magis vicínos & próximos veſtros júgiter admonéte ut ſemper quod bonum eſt & honeſtum, loqui ſtúdeant; ne fortè detrahendo, mala loquendo, & in ſanctis feſtivitátibus choros ducendo, cántica luxurióſa & túrpia proferendo, de lingua ſua, unde debúerant Deum laudáre, inde ſibi vúlnera videantur infligere. Iſti enim infelíces & miſeri hómines qui balatiónes & ſaltatiónes ante ipſas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubeſcunt: etſi Chriſtiáni ad Eccléſiam vénerint, pagáni de Eccléſia revertuntur; quia iſta conſuetúdo balandi de paganórum obſervatióne remanſit.

DIE OCTAVA.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi Epiſcopi.

Serm. Quòd Martyres aut imitandi ſunt, aut non laudandi.

Lectio iv.

QUi Sanctórum mérita religióſâ caritáte mirátur, quique Juſtórum glórias frequenti laude collóquitur; eórum mores ſanctos atque juſtítiam imitétur: quóniam quem delectat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obſéquium. Quare aut imitári debet, ſi laudat; aut laudáre non debet, ſi imitári detréctat: ut, qui álium laudat, laudábilem ſe reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipſe vitæ ſanctitáte reddátur.

Lectio v.

NAm ſi proptéreà juſtos fidéleſque dilígimus, quòd in ipſis juſtítiam fidemque ſuſpícimus, póſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciámus ipſi quod fáciunt. Neque enim difficile nobis eſt, quod ab ipſis géritur, imitári, cùm ſine præcedenti exemplo ab antíquis tália geſta conſpícimus; ut non ipſi aliórum æmuli redderentur, ſed æmulandæ virtú-

tis ſeipſos nobis præbérent exemplum: ut cùm nos ex ipſis, & ex nobis álii proficiunt, ſic Chriſtus in ſuis ſemper ſervis in Eccléſia ſancta laudétur.

Lectio vj.

UNde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur, Enoch Deo placens tránsfertur, juſtus Noe invenítur, Abraham fidélis probátur, Móyſes manſuétus agnóſcitur, Jeſus caſtus, David lenis, Elías acceptus, Dániel ſanctus; tres púeri victóres redduntur; Apóſtoli, diſcípuli Chriſti, credéntium magiſtri habentur: è quibus erudíti Confeſſóres fortíſſimè pugnant, Mártyres perfecti triumphant, & chriſtiáni ſemper exércitus diábolum Deo armáti debéllant. In iſtis ſemper pares virtútes, diſsímiles pugnæ, glorióſæ victóriæ. Unde tu, Chriſtiáne, delicátus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna víncere, ſine certámine triumpháre. Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio iſto concerta. Conſídera pactum; conditiónem attende, milítiam noſce: pactum quod ſpopondiſti; conditiónem quâ acceſſiſti; milítiam cui nomen dediſti. Hoc enim pacto, quos miráris, cuncti pugnárunt; hâc conditióne univerſi vicérunt; hâc milítiâ omnes triumphârunt.

IN III. NOCTURNO.

Sumuntur in quolibet Communi Lectiones quæ dictæ fuerunt in die Feſto, niſi propriæ aſſignentur.

CANON PRO PATRONIS, *ubi deeſt proprius.*

Ex Concílio Mediolanenſi tértio ſub ſancto Cárolo. *Ann.* 1573. *Tit.* 1.

QUò religióſiùs íncolæ uniuſcujuſque Paróchiæ Feſtum diem colant illíus Sancti Sanctæve, cujus patrocínio Parochiális Eccléſia dicáta eſt, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religióſas ejus ſanctárum virtútum exercitatiónes; quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm ſempiternâ glóriâ perfruátur, pro caritáte quâ abúndat, eórum quorum ſalútis patrocínium ſuſcépit, preces Deo offert. Die Sancti qui Paróchiæ patrónus eſt & cuſtos, quò ad illíus imitatiónem magis fidéles inflammentur, id Párochus præſtet, cùm frequéntior in Eccléſia pópulus adeſt, ut ipſe aut álius in ſuggeſtu res ejus ſanctè admirabilitérque geſtas, morum diſciplínam, pietátis ſtúdia ac virtútes pronúntiet. Tu autem.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ, IN SABBATO.

Semiduplex.

In omnibus Sabbatis, præter quàm in Adventu, Quadrageſima, Vigiliis cujuſcumque Feſti, intrà Octavas, & niſi occurrat Feſtum ſemiduplex aut ſuprà, ac niſi Officium fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ eo die ponendum, fit Officium de Beata Maria *ſub ritu ſemiduplici, incipiendo à Veſperis Feriæ VI. & terminando cum Nona.*

Pſalmi Feriales in toto Officio.

IN VESPERIS.

Ant. 7. d. Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60.

Capitulum. Iſ. 11.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcendet; & requieſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

AVE, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

MONSTRA te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

VIRGO ſinguláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac & caſtos.

VITAM præſta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jeſum,
Semper collætémur.

Sit laus ſumma Patri,
Sit laus ſumma Nato:
Spirítui ſancto
Par laus, par & honor.
Amen.

Ante Præſentationem,

℣. Elégit eam Deus,
℟. In habitatiónem ſibi.
Pſ. 131.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. a. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxiſti. *Luc.* 11.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Poſt Præſentationem,

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34.

Ad Magníficat *Ant.* 5. a. Exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo; quia reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ. *Luc.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit víſcera, factus homo.

Hinc méritò dicent te ſécula cuncta Beátam;
Hinc pópuli Matrem te Dominamque colunt.

Tu Mater pietátis; opem te póſcimus omnes.
Subvénias fámulis, ô Benedícta, tuis.

Gloria magna Patri; compar ſit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

O Quam gloríficâ luce coruſcas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis réſidens, Virgo María,
Supra cœlígenas ætheris omnes!

Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viſcéribus caſta dediſti:
Humános Deus hinc índuit artus.

Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus ſubveniente,
Æterni pétimus gaúdia regni.

Divinæ ſóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus virgo parens, glória Nato:

Quo fœcunda, tibi glória,
Flamen, Amen.

Ant. 1. g. Appáruit Móyſi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non combureréturr. *Exod.* 3.

Ant. 7. *d.* Cùm virgas poſuiſſet Móyſes coram Dómino, invénit germinaſſe virgam Aaron. *Num.* 17.

Ant. 2. D. Abſciſſus eſt lapis de monte ſine mánibus; lapis autem factus eſt mons magnus, & implévit univerſam terram. *Dan.* 2.

℣. Homo natus eſt in ea;
℟. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. *Pſ.* 86.

Abſolutio, II. Mach. 1. Deus memínerit teſtamenti ſui quod locútus eſt, & exaúdiat oratiónes noſtras. ℟. Amen.

Benedictio, Exultet ſpíritus noſter in Deo, quia reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ. ℟. Amen. *Luc.* 1.

Lectio prima de Scriptura currente: ex tribus fit una.

℟. *j.* Benedictus Dóminus qui creávit cœlum & terram; * Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. ℣. Reſpexit Dóminus humilitátem ancillæ ſuæ. * Quia. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

Benedictio, Nobiſcum ſit Deus, qui in ancilla ſua implévit miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13.

Pro ſecunda & tertia Lectione leguntur duæ ex ſequentibus, pro menſium diverſitate, pag. xcviij.

℟. *ij.* Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * Véritas de terra orta eſt; & Juſtítia de cœlo proſpexit. ℣. De María natus eſt Jeſus qui vocátur Chriſtus. * Véritas. Glória. * Véritas. *Pſ.* 84. *Matth.* 1.

Benedictio. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. ℟. Amen. *Eſther.* 15.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 8. g. Benedicta es.

Canticum. Judith. 13.

LAudáte Dóminum Deũ noſtrum, * qui non deséruit ſperantes in ſe.

Et in me ancillâ ſuâ adimplévit miſericórdiam ſuam, * quam promíſit dómui Iſrael.

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Benedicta es tu, fília, à Dómino Deo excelſo * præ ómnibus muliéribus ſuper terram.

Benedictus Dóminus qui creávit cœlum & terram; * qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum:

Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, * ut non

recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

Ant. Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excelſo præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith.* 13.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ eſt iſta quæ progréditur quaſi auróra conſurgens? pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

Hymnus.

NUNC auróra, novæ
núntia lucis,
Triſtes orbe procul díſſipat umbras.
Quantò lucídior, nocte
ſepultis
Portans ipſa diem, Virgo,
refulges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera
lucis:
Te ſi terra dedit munus
olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
INTER perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi sánguine
junctum
Ne dediſce genus; noſtra
fuiſti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.
DIVINÆ sóboli qui dare
matrem
In terris vóluit, glória
Patri;
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fœcunda, tibi glória,
Flamen. Amen.

Ante Præſentat. ℣. Ipſe tanquàm ſponſus, ℟. Procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18.

Ad Benedict. *Ant.* 8. g. Péperit María Fílium ſuum primogénitum, & vocávit nomen ejus Jesū. *Matth.* 1.

Oratio.

BEáta témpora celebrantes, quæ per temporálem Unigéniti tui Nativitátem & partum Maríæ Vírginis conſecraſti: quæſumus, Dómine, ut ejuſdem Dei genitrícis interceſſióne, & in illo renaſci & tanti myſtérii fructum júgiter in nobis conſerváre mereámur; Per eumdem.

Poſt Præſentationem, ℣. Sanctificávit tabernáculū ſuum Altíſſimus; ℟. Deus in médio ejus; non commovébitur. *Pſ.* 45.

Ad Benedictus *Ant.* 4. A. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ men-

& córporis ſanitáte gau-
e, &, glorióſâ beátæ
ríæ ſemper Vírginis in-
ceſſióne, à præſenti li-
ári triſtítia, & æternâ
frui lætítiâ; Per.

D HORAS,

Doxologia.

) UI natus es de Vírgine,
u, tibi ſit glória,
m Patre & almo Spíritu,
ſempiterna ſécula.
Amen.

D PRIMAM.

Ant. 1. f. Benedíctus Dó-
nus qui te diréxit in vúl-
ra cápitis príncipis ini-
córum noſtrórum. *Ju-*
h. 13.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui na-
s es de María Vírgine.
atth. 1.

D TERTIAM.

Ant. 3. a. Multæ fíliæ
ngregavérunt divítias;
ſupergreſſa es univer-
s. *Prov.* 31.

Capitulum. Geneſ. 3.

AIt Dóminus Deus ad
ſerpentem: Inimicí-
is ponam inter te & mu-
erem, & ſemen tuum &
men illíus: ipſa cónteret
iput tuum.

℟. *br.* Recordátus eſt
óminus * Misericórdiæ
æ: ℣. Et veritátis ſuæ
ómui Iſrael. * Miſericór-
iæ ſuæ. Glória. ℟. Re-
ordátus. *Pſ.* 97.

℣. Deus operátus eſt ſa-
item in médio terræ; ℟.
Tu confregiſti cápita dra-
cónis. *Pſ.* 73.

A D S E X T A M.

Ant. 1. a. In te benedi-
centur univerſæ cognatió-
nes terræ. *Geneſ.* 12.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requié-
vit in tabernáculo
meo, & dixit mihi: In Ja-
cob inhábita, & in Iſrael
hæreditáre, & in electis
meis mitte radíces.

℟. *breve.* Deus in médio
ejus; * Non commovébi-
tur. ℣. Adjuvábit eam Deus
mané dilúculo. * Non com-
movébitur. Glória Patri.
℟. Deus. *Pſ.* 45.

℣. Oriétur in diébus ejus
juſtítia, ℟. Et abundántia
pacis. *Pſ.* 71.

A D N O N A M.

Ant. 8. c. Deus oſtendet
ſplendórem ſuũ in te omni
qui ſub cœlo eſt. *Baruch.* 5.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum Dómi-
nus ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de
ore hóminum qui mémo-
res fúerint virtútis Dómini
in æternum.

℟. *breve.* Vultum tuum
* Deprecabuntur. ℣. Om-
nes dívites plebis. * Depre-
cabuntur. Glória. ℟. Vul-
tum.

℣. Concupiſcet Rex de-
córem tuum; ℟. Quóniam
ipſe eſt Dóminus Deus
tuus. *Pſ.* 44.

LECTIONES ſequentes dicuntur ſuo quæque menſe in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.

MENSE JANUARIO.

De Epíſtola ſancti Ambróſii Epíſcopi ad Siricium Papam.

Epiſt. Libr. 1. Epiſt. 7.

Lectio ij.

DEvii à via veritátis prodúntur dícere: Virgo concépit, ſed non Virgo generávit. Pótuit ergo Virgo concípere; non pótuit Virgo generáre, cùm ſemper conceptus præcédat, partus ſequátur? Sed ſi doctrínis non créditur Sacerdótum, credátur oráculis Chriſti, credátur mónitis Angelórum dicéntium: Quia non eſt impoſſíbile Deo omne verbum. Credátur Symbolo Apoſtolórum, quod Eccléſia Románæ intemerátum ſemper cuſtódit & ſervat. Audívit María vocem Angeli, & quæ antè díxerat: Quómodò fiet iſtud, non de fide generatiónis intérrogans, reſpondit póſteà: Ecce ancilla Dómini; contingat mihi ſecundùm verbum tuum.

Lectio iij.

HÆc eſt Virgo, quæ in útero concépit, Virgoque péperit filium. Sic enim ſcriptum eſt: Ecce Virgo in útero concípiet, & páriet filium. Non enim concepturam tantúmmodò Vírginem, ſed & paritúram Vírginem dixit. Quæ autem eſt illa porta Sanctuárii, porta illa extérior ad orientem, quæ manet clauſa? Et, Nemo (inquit) pertranſíbit per eam, niſi ſolus Deus Iſrael. Nonne hæc porta María eſt, per quam in hunc mundum Redemptor intrávit?

MENSE FEBRUARIO.

De Epíſtola ſancti Ambróſii Epíſcopi ad Siricium Papam.

Lectio ij.

NOn excédit fidē quòd homo exívit de Vírgine, quando petra fontem prófluum ſcaturívit, ferrum ſuper aquas natávit, ambulávit homo ſuper aquas. Ergo ſi hóminem unda portávit, non pótuit hóminem Virgo generáre, atque hóminem de quo légimus: Et mittet illis Dóminus hóminem qui ſalvos fáciet eos, & notus erit Dóminus Ægyptiis? In véteri ítaque Teſtamento virgo Hebræórum per mare duxit exércitum; in novo Teſtamento Virgo Regis, aula cœléſtis electa eſt ad ſalútem.

Ex libro Epiſtolárum ſancti Cyrilli Alexandríni.
Concil. Epheſ. p. 1. *c.* 9.
Lectio iij.

QUòd Verbum caro factum perhibétur, id áliud nihil eſt, quàm quòd perindè ac nos carni & sánguini communicávit, noſtroque córpore ſibi adjuncto ex muliere pródiit; deitáte ínterim, aut ex Patre nativitáte non abjectâ: manſit enim in ipſa quoque carnis aſſumptióne quod priùs erat. Hoc exactióris fidei doctrína ubíque prædicat, hoc ſanctos Patres ſanxiſſe, eâque de cauſa ſacram Vírginem Deíparam appellare mínimè dubitaſſe conſtat; non quòd Verbi natúra, ipſiuſque divínitas, ortûs ſui princípium ex ſancta Vírgine súmpſerit; ſed quòd ſacrum illud corpus ánimâ intelligente perfectum ex ea tráxerit; cui & Dei Verbum ſecundùm hypóſtaſim unítum, ſecundùm carnem natum dícitur.

MENSE MARTIO.
Ex tractátu ſancti Auguſtíni Epíſcopi de ſymbolo ad Catechúmenos. l. 3. c. 4.
Lectio ij.

PEr féminam mors, per féminam vita. Per Evam intéritus, per Mariá
ſalus. Illa corrupta ſecú
eſt ſeductórem; hæc ínt
gra péperit Salvatóren
Illa póculum à ſerpen
propinátum libenter acc
pit, & viro trádidit, c
quo ſimul mererentur o
cídi; hæc, grátiâ cœleſ
déſuper infúſâ, vitam pr
tulit, per quam caro mó
tua poſſit reſuſcitári. Qu
eſt qui hæc operátus e
niſi Vírginis Fílius, & Ví
gínum ſponſus; qui áttul
matri fœcunditátem, ſe
non ábſtulit integritátem

Lectio iij.

IN Apocalypſi Joann
Apóſtoli ſcriptum e
hoc; quòd ſtaret draco i
conſpectu mulíeris qu
paritúra erat; ut cùm p
periſſet, natum ejus com
deret. Dracónem diáb
lum eſſe, nullus veſtrû
ignórat: mulierem illa
Vírginem Maríam ſigni
caſſe, quæ caput noſtru
íntegra íntegrum péperi
quæ étiam ipſa figúra
in ſe ſanctæ Eccléſiæ d
monſtrávit, ut quómo
Fílium páriens Virgo pe
manſit, ita & hæc om
témpore membra ejus p
riat, & virginitátem n
amittat.

OFFICIUM PARVUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Non dicitur, quoties ſit Officium ſemiduplex, aut ſuprà, aut intra Octavas quaſcumque, nec à Dominica I. Adventûs ad Octavam Epiphaniæ, nec a Dominica Paſſionis ad Dominicam in Albis. Aliàs autem dicitur in choro ſecundùm uſum & conſuetudinem locorum, in Feſtis Simplicibus & Feriis; tuncque omittitur Suffragium de Beata *in Laudibus & Veſperis.*

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo: Officium Nocturnum, Laudes & Veſperæ dicuntur intrà Suffragia: Prima poſt Primam diei, ante Officium Capituli: Tertia poſt Benedicamus *Tertiæ, & ſic de cæteris Horis.*

AD MATUTINUM.

DOmine, lábia mea.
Deus, in adjutórium.
Glória Patri.

Invitatorium. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Pſalmus, Veníte, *p.* 2.

Hymnus.

DAvidis sóboles, glória Vírginum,
Chriſti Virgo parens, te póſuit Deus
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.

Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs.
Tu clauſas míſeris, heu nímiùm diù!
Cœlórum réſeras fores.

Qui lucis Pater eſt, glória ſit Patri:
Cujus Virgo parens, glória Fílio:
Quo fœcunda, tibi, Nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

In Feſtis Beatæ Mariæ, quibus aſſignantur in Proprio Pſalmi de Officio parvo, dicuntur in Nocturnis novem ſequentes Pſalmi, cum Antiphonis propriis.

In Officio autem parvo dicuntur tantùm tres Pſalmi, ſecundùm ordinem Feriarum, ut infrà notatur.

IN I. NOCTURNO.

FERIA II. & V.

Ant. 1. a. Tota pulchra es.

Pſalmus 8.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; glóriâ & honóre coronaſti eum, * & conſtituiſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univerſas, ínſuper & pécora campi;

Vólucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Pſalmus 18.

CŒli enarrant glóriam Dei; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum; * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ neque ſermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam: * à ſummo cœlo egréſſio ejus.

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſéculum ſéculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetipſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me; * & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si meî non fúerint dominati, tunc immaculátus ero: * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univerſi qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcendet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles, * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Ant. Tota pulchra es, & mácula non eſt in te. *Cant.* 4.

℣. Dóminus tanquam ſponſus, ℟. Procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18.

IN II. NOCTURNO.

FERIA III. & VI.

Ant. 8. c. Suávis es.

Pſalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum: diffúſa eſt grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ intende, * próſperè procéde & regna.

Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſti-

tiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli ſub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſǽculum ſǽculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odiſti iniquitátem: * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cáſia à veſtimentis tuis à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Diviſio Pſalmi 44.

AStitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíſcere pópulum tuũ, & domum patris tui.

Et concupiſcet rex decórem tuum: * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum;

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis, ab intùs; * in fímbriis aúreis circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines poſt eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum, * & in ſǽculum ſǽculi.

Pſalmus 45.

DEus noſter refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei; * ſanctificávit tabernáculũ ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna; * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera

Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram: * aúferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Ant. Suávis es & decóra ſicut Jerúſalem: terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta. *Cant.* 6.

℣. Adducentur Regi vírgines poſt eam, ℟. Próximæ ejus afferentur tibi. *Pſ.* 44.

IN III. NOCTURNO.

FERIA IV. & SABBATO.

Ant. 1. D. Quod naſcétur.

Pſalmus 86.

Fundamenta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum: * hi fuérunt illîc.

Numquid Sion dicet: Homo & homo natus eſt in ea: * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium, * ómnium habitátio eſt in te.

Pſalmus 96.

Dominus regnávit, exultet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriantur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit

Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Pſalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum: * in conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpectu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu: ſimul montes exultábunt à conſpectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Quod naſcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Magna eſt glória ejus,
℟. In ſalutári tuo, Dómine. *Pſ.* 20.

Pater noſter.

Abſolutio, 2. *Mach.* 1. Deus memínerit teſtamenti ſui quod locútus eſt, & exaúdiat oratiónes noſtras. ℟. Amen.

Benedictio. Exultet ſpíritus noſter in Deo, quia reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ. ℟. Amen. *Luc.* 1.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Iſ. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David. Numquid parùm vobis eſt moleſtos eſſe homínibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. *j.* Creávit Dóminus novum ſuper terram: * Fémina circúmdabit virum.
℣. Quia non eſt impoſſíbile apud Deum omne ver-

bum. * Fémina. *Jerem.* 31. *Luc.* 1.

Benedictio. Nobiſcum ſit Deus, qui in ancilla ſua adimplévit miſericórdiam ſuam, quam promíſit dómui Iſrael. ℟. Amen. *Judith.* 13.

De Sermóne ſancti Bernardi Abbátis.

Serm. 2. *de Adv. n.* 5.

Lectio ij.

VIrgo régia ipſa eſt via per quam Salvátor advénit, procédens ex ipsíus útero, tanquam ſponſus de thálamo ſuo. Tenentes ergo hanc viam ſtudeámus & nos, dilectíſſimi, ad ipſum per eam aſcéndere qui per ipſam ad nos deſcendit: per eam veníre in grátiam ipsíus, qui per eam in noſtram miſériam venit.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portaſti creatórem mundi. * Genuiſti qui te fecit, & in æternum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátiâ plena, Dóminus tecum. * Genuiſti.

Benedictio. Invocet Dóminum & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. ℟. Amen. *Eſth.* 15.

De Apocalypſi beáti Joannis Apóſtoli.

Lectio iij. Apoc. 11 & 12.

APertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus; & facta ſunt fúlgura & voces, & terræ motus & grando magna. Et ſignum magnum appáruit in cœlo: Múlier amicta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

℟. Sancta & immaculáta Virgínitas, quibus te laúdibus éfferam, néſcio; * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contuliſti. ℣. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. * Quia. Glória Patri. * Quia.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium. &c.

Ant. 3. c. In ancilla ſua.

Pſalmus 66.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî.

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus: * confiteantur tibi pópuli omnes.

Lætentur & exultent gentes, * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi

pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter; benedícat nos Deus, * & métuant eum omnes fines terræ.

Pſalmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt: * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc: * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine; * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos: * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Pſalmus 99.

JUbiláte Deo, omnis terra: * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus, * introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus: in æternum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Canticum. Judith. 13.

LAudáte Dóminum Deũ noſtrum, * qui non deſéruit ſperantes in ſe:

Et in me ancillâ ſuâ adimplévit miſericórdiam ſuam, * quam promíſit dómui Iſrael.

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excelſo, * præ ómnibus muliéribus ſuper terram.

Pſalmus 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. In ancilla ſua adimplévit Dóminus miſericórdiam ſuam. *Judith.* 13.

Capitulum. Gal. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Hymnus.

O Glorióſa Cœlitum
Regína! cœlis púrior:
Quanto, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit!

CUNCTIS Deum Virgo paris
Deſiderátum géntibus.
Vitam datam per Vírginem
Gentes redemptæ plaúdite.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ,
℟. Et veritátis ſuæ dómui Iſrael. *Pſ.* 97.

Ant. 4. A. Benedicta tu.

Canticum. Luc. 1.

BEnedicta tu inter mulíeres, * & benedictus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi, * ut véniat mater Dómini mei ad me?

Ecce enim ut facta eſt vox ſalutatiónis tuæ, in aúribus meis, * exultávit in gaúdio infans in útero meo.

Et beáta quæ credidiſti, * quóniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem ſuſcípere voluiſti: præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum.

AD PRIMAM.

Hymnus.

SALUTIS auctor, ſis memor
Noſtri quòd olim córporis
De puríſſima Vírginum
Naſcendo formam súmpſeris.

MARIA Mater grátiæ,
Mater miſericórdiæ;
Tu nos ab hoſte prótege,
Et, mortis horâ, súſcipe.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Ant. 2. D. Benedictiónem.

Pſalmus 53.

DEus, in nómine tuo ſalvum me fac, * &

in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam, * aúribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni inſurrexérunt adversùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam, * & non propoſuérunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus ſuſceptor eſt ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua diſperde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum eſt.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuiſti me; * & ſuper inimícos meos deſpexit óculus meus.

Pſalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis; * terríbilis eſt ſuper omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Confèſſio & pulchritúdo in conſpectu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Diviſio Pſalmi 95.

AFferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univerſa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, & exultet terra; commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi & ómnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna ſilvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte; * & pópulos in veritáte ſua.

Glória Patri.

Ant. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. *Eccli.* 44.

Capitulum. Geneſ. 22.

POſſidébit ſemen tuum portas inimicórum ſuórum, & benedicentur in

ſémine tuo omnes gentes terræ.

℣. Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ; ℟. Omnes gentes magnificábunt eum. *Pſ.* 71.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubsídiis pacis; & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Hymnus.

AVE, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

SIT laus ſumma Patri,
Sit laus ſumma Nato:
Spirítui ſancto
Par laus, par & honor.
Amen.

Ant. 4. d. Sanctificávit.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula, * & operátur juſtítiã.

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo, * qui non egit dolum in lingua ſua.

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos ſuos.

Ad níhilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus; * timentes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit: * qui pecúniam ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguaſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in do-

mo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Pſalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivárum * in circúitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem ſuper Iſrael.

Ant. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus: Deus in médio ejus. *Pſ.* 45.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Iſrael hæreditáre, & in electis meis mitte radíces.

℣. Elégit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præſtiſti: tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum.

AD SEXTAM.

Hymnus.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

MONSTRA te eſſe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

SIT laus ſumma Patri,
Sit laus ſumma Nato:
Spirítui ſancto
Par laus, par & honor.
Amen.

Ant. 5. a. Tu glória.

Pſalmus 98.

DOminus regnávit, iráſcantur pópuli: * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelſus ſuper omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt; * & honor regis judícium díligit.

Tu paraſti directiónes: * judícium & juſtítiam in Jacob tu feciſti.

Diviſio Pſalmi 98.

EXaltáte Dóminum Deũ noſtrum, & adoráte

ıbellum pedum ejus, * ıóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in ſacrdótibus ejus, * & Sámuel ter eos qui ínvocant no:n ejus.

Invocábant Dóminum, ipſe exaudiébat eos: * in lumna nubis loquebátur eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ıs, * & præceptum quod dit illis.

Dómine Deus noſter, tu audiébas eos: * Deus, propítius fuiſti eis, & :iſcens in omnes adinntiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deũ ſtrum, & adoráte in ɔnte ſancto ejus; * quóam ſanctus Dóminus :us noſter.

Pſalmus 123.

Niſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc 'ael, * niſi quia Dómis erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómis in nos, * fortè vivos glutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor tum in nos, * fórſitàn ua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertransívit ima noſtra: * fórſitàn rtranſiſſet ánima noſtra uam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, qui non dedit nos in caónem déntibus eórum.

Ánima noſtra ſicut paſſer erepta eſt * de láqueo venántium:

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 16.

Capitulum. Eccli. 24.

ET ſic in Sion firmáta ſum: & in civitáte ſanctificáta ſimíliter requiévi, & in Jerúſalem poteſtas mea.

℣. Magna eſt glória ejus, ℟. In ſalutári tuo. *Pſ.* 20.

Oratio.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium: ut, qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eumdem Dóminum.

AD NONAM.

Hymnus.

VIRGO ſinguláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos
Mites fac & caſtos.

VITAM præſta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jeſum,
Semper collætémur.

SIT laus ſumma Patri,
Sit laus ſumma Nato:
Spirítui ſancto

aus, par & honor. Amen.
'*nt.* 1. g. In omni.

Pſalmus 84.

ꞓnedixiſti, Dómine, erram tuam; * aver- :aptivitátem Jacob.
emiſiſti iniquitátem s tuæ; * operuiſti óm- eccáta eórum.
itigaſti omnem iram ., * avertiſti ab ira :natiónis tuæ.
ɔnverte nos, Deus ſa- is noſter; * & averte tuam à nobis.
ımquid in æternum ẽris nobis? * aut ex- :s iram tuam à gene- ne in generatiónem?

)*iviſio Pſalmi* 84.

Eus, tu converſus vi- vificábis nos, * & tua lætábitur in te.
tende nobis, Dómi- miſericórdiam tuam, ſalutáre tuum da no-

.diam quid loquátur : Dóminus Deus, * iam loquétur pacem ebem ſuam;
ſuper ſanctos ſuos, n eos qui convertun- d cor.
rúmtamen prope ti- :s eum ſalutáre ip- * ut inhábitet glória ra noſtra.

a diviſio Pſalmi 84.

Iſericórdia & véri- .tas obviavérunt ſi- bi: * juſtítia & pax oſcu- látæ ſunt.
Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo pro- ſpexit.
Etenim Dóminus dabit benignitátem, *. & terra noſtra dabit fructum ſuum.
Juſtítia ante eum ambu- lábit, * & ponet in via greſſus ſuos.
Ant. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, ma- gnificábitur ſuper te Dó- minus Deus Iſrael. *Judith.* 13.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum ita ma- gnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui fúerint mémores virtútis Dómini in æternum.
℣. Mémores erunt nó- minis tui, ℟. In omni ge- neratióne & generatió- nem. *Pſ.* 44.

Oratio.

COncéde, quæſumus omnípotens Deus, ut fidéles tui qui colunt no- men ſanctíſſimæ Vírginis Maríæ, ejuſdem piâ inter- ceſſióne, à cunctis malis eruantur in terris, & ad gaúdia æterna pervéniant in cœlis; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium, &c.
Ant. 3. c. Quàm pulchra es!

Pſalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos * ſcabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion; * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum; * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * proptéreà exaltábit caput.

Pſalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus; * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra inopem, * & de ſtércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Pſalmus 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſrael, ad confiténdum nómini Dómini:

Quia illîc ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæsívi bona tibi.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere: * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis ſuis ſomnum: * ecce hæréditas Dómini fílii, merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis, * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis: * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

Pſalmus 130.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum; * neque eláti ſunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Iſrael in Dómino * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

Ant. Quàm pulchra es, & quàm decóra; caríſſima in delíciis! *Cant.* 7.

Capitulum. Eccli. 24.

EGo mater pulchræ dilectiónis & timóris, & agnitiónis, & ſanctæ ſpei.

Hymnus.

QUÆ nunc, Virgo, colis
lúcida regna,
Mittas indè tuæ múnera
lucis:
Te ſi terra dedit munus
olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus!

INTER perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi sánguine
junctum
Ne dedíſce genus; noſtra
fuiſti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.

DIVINÆ sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória
Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória,
Flamen. Amen.

℣. Vultum tuum deprecabuntur, ℟. Omnes dívites plebis. *Pſ.* 44.

Ant. 8. g. María.

Canticum. Luc. 1. 30.

NE tímeas, María; * invenísti enim grátiam apud Deum.

Ecce concípies in útero, & páries fílium, * & vocábis nomen ejus Jeſum.

Hic erit magnus, * & Fílius Altíſſimi vocábitur.

Et dabit illi Dóminus Deus * ſedem David patris ejus.

Et regnábit in domo Jacob in æternum; * & regni ejus non erit finis.

Ant. María, invenisti grátiam apud Deum. *Luc.* 1.

Oratio.

CORdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; & intercedente ſanctíſſimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, mentes noſtras humilitáte & caritáte ſanctífica; Per eumdem Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 4. f. Oculi.

Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſrael.

Diviſio Pſalmi 120.

DOminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo: * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Pſalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ ſuæ, * ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtrî; * quia multùm repléti ſumus deſpectióne.

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * opprobrium abundántibus & deſpéctio ſuperbis.

Ant. Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum donec miſereátur noſtrî. *Pſ.* 122.

Hymnus.

MARIA, mater grátiæ, Mater miſericórdiæ,

Tu nos ab hoſte prótege,
Et, mortis horâ, súſcipe.
QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

Capitulum. Eſther. 15.

MEmoráre diérum humilitátis tuæ, & ínvoca Dóminum: & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte.

℣. Ora pro nobis, ſancta Dei génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Ant. 7. d. Sub tuum præsídium.

Canticum. Luc. 2.

NUnc dimittis ſervum tuum, Dómine, * ſecundùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * ſalutáre tuum,

Quod paráſti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſrael.

Ant. Sub tuum præsídium confúgimus, ſancta Dei Génitrix: noſtras deprecatiónes ne deſpícias in neceſſitátibus, ſed à perículis cunctis líbera nos ſemper, Virgo glorióſa & benedicta.

Oratio.

BEátæ Maríæ ſemper Vírginis, quæſumus, Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat æternam; Per Dóminum.

OFFICIUM SANCTI ELIGII

PER HEBDOMADAM

IN ECCLESIA CATHEDRALI TANTUM.

Semiduplex.

[*In omni Feria III.* (*Extra Adventum*) *quæ non eſt impedita per vigiliam cujuſcumque Feſti, aut per diem intra quamcumque Octavam, vel per Feſtum Semiduplex, aut ſuprà, fit de S. Eligio, ſub ritu Semiduplici, incipiendo à Veſperis Feriæ II; niſi in hac Feria II. fiat de Feſto Semid. aut ſuprà; tunc enim Veſperæ integræ dicentur de Feſto, cum Comm. de S. Eligio. Et pariter ſi occurrat Feriâ IV. Feſtum Semid. aut ſuprà, tunc in Feria III. Veſperæ erunt integræ de ſequenti cum Commem. de S. Eligio*].

Omnia de Communi SS. Pontificum p. XXV. *exceptis quæ ſequuntur.*

Pſalmi Feriales in toto Officio.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. I. Machab. 14.

VIr amátor civitátis, & benè áudiens pro affectu Pater appellabátur.

Hymnus.

ELIGI, Regis populíque votis
Te vocat Chriſtus; Dómino jubente,
Mille virtútum præeunte cœtu,
Scandis ad aras.

AD ſacras ædes áditus nefandos
Cuncta perrumpens ſibi fecit aurum:
Una te virtus tulit ad ſuprémi
Culmen honóris.

PRODIGUS vitæ, cupidúſque mortis,
Auſus insános abolére cultus,
Et reluctantes ſtygios ubíque
Cónteris hoſtes.

QUIS gregem pavit dape lautióri?
Páuperes fovit potióre curâ?
Quis labor, quæ vis, teneríque quantus

Ardor amóris!
Tu potens verbo, rege nos Magiſter;
Dédoce pompam fugientis ævi.
Uſque da verum per opáca noctis
Cérnere lumen.
Nostra te ſummum célebrent Parentem
Ora, te ſummo génitum Parente;
Par ſit ambórum tibi laus per omne
Spíritus ævum.
Amen.

℣. Veníte, filii, audíte me: ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Pſ.* 33.

Ad Magníficat *Ant.* 1. f. Teſtis mihi eſt Deus, quómodò cúpiam omnes vos in viſcéribus Chriſti. *Philipp.* 1.

Oratio, infrà ad Laudes.

A die 2. Januarii ad Præſentationem Domini, fit Commemoratio de B. V. Deip. ut notatur in Proprio de Tempore, & ſic ad Laudes, & II. Veſp.

AD NOCTURNUM.

Hymnus Eligi. *p.* cxviij.

Sermo ſancti Elígii Epíſcopi.

Sanct. Audoen. L. 2. vit. Sancti Eligii. c. 15. *n.* 3. *&* 5.

Lectio ij.

Caríſſimi, ídeò Chriſtiáni facti eſtis, ut ſemper ópera Chriſtiáni faciátis, id eſt ut caſtitátem amétis, luxúriam & ebrietátem fugiátis, humilitátem teneátis, ſupérbiam deteſtémini; quia Dóminus Jeſus Chriſtus humilitátem & oſtendit exemplis, & dócuit verbis, dicens: Díſcite à me, quia mitis ſum, & húmilis corde, & inveniétis réquiem animábus veſtris: invídiam étiam reſpuátis, caritátem ínvicem habeátis, & ſemper de futúro ſéculo, & de ætérna beatitúdine cogitétis, & plùs pro ánima quàm pro córpore laborétis: quia caro pauco témpore erit in hoc mundo, ánima verò, ſi benè égerit, ſine fine regnábit in cœlo; at ſi malè, ſine miſericórdia ardébit in inferno. Qui verò non cógitat niſi de iſta tantummódò vita, animálibus & béſtiis ſímilis eſt. Non ergo vobis ſúfficit, caríſſimi, quòd Chriſtiánum nomen accepiſtis, ſi ópera Chriſtiána non fácitis. Illi enim prodeſt quòd vocátur Chriſtiánus, qui ſemper Chriſti præcepta, & mente rétinet, & ópere pérficit... qui néminem lædit vel odit, ſed omnes ſicut ſemetipſum díligit, qui inimícis ſuis malum pro malo non réddit, ſed magis pro ipſis orat; qui lites non cóncitat, ſed

diſcordes ad concórdiam révocat.

Lectio iij.

SEmper præcepta Chriſti & cogitáte in mente, & impléte in operatióne. Redímite ánimas veſtras de pœna, dum habétis in poteſtáte remédia. Eleemóſynam juxta vires fácite, pacem & caritátem habéte. Diſcordes ad concórdiam revocáte, mendácium fúgite, perjúrium expavéſcite..... Ad Eccléſiam frequéntiùs conveníte, ſanctórum patrocínia humíliter expétite. Diem Domínicam pro reveréntia reſurrectiónis Chriſti abſque ullo ópere ſervíli cólite, ſanctórum ſolemnitátes pro affectu celebráte. Próximos veſtros ſicut voſmetipſos dilígite. Quod vobis vultis ab áliis fieri, hoc & vos áliis fácite: quod vobis non vultis fíeri, nulli faciátis. Caritátem ante ómnia hábete, quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum. Eſtóte hoſpitáles, húmiles, omnem ſollicitúdinem veſtram projicientes in Deũ, quóniam ipſi cura eſt de vobis. Infirmos viſitáte, carcerátos requírite, peregrínos ſuſcípite, eſurientes páſcite, nudos veſtíte. Sit vobis æquálitas in póndere & in menſúra..... Quod ſi obſervavéritis, ſecúri in die judícii ante tribúnal æterni júdicis venientes dicétis: Da, Dómine, quia dédimus; miſerére, quia miſericórdiam fécimus; nos implévimus quod juſſiſti, tu redde quod promiſiſti.

AD LAUDES.

Capitulum. Philipp. 1.

COnfídens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet uſque in diem Chriſti Jeſu: ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentíre pro ómnibus vobis: eò quòd hábeam vos in corde, in defenſióne & confirmatióne Evangélii, ſócios gáudii mei omnes vos eſſe.

Hymnus.

ASTRIS, Elígium, jam révocat Deus
Quem terris plácidum præbúerat ducem:
Tellus orba dolet, dítior at novo
Exultat polus hóſpite.

QUI tot largus opes fudit egéntibus,
Theſauris fruitur nunc Sapiéntiæ:
Spretis delíciis gáudia pércipit;
Spretis regnat honóribus.

QUI tot virgínibus conſtítuit domos,
Admíſitque ſuis sédibus ádvenas,

Illum

Illum, Chriſte, memor, ſidéreâ domo,
Æterno récipis ſinu.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórum tibi par laus quoque Spíritus;
Fac nos, Elígio ſub duce, fílios
Cœli præmia cónſequi. Amen.

℣. Non abſcondi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam, ℟. A concílio multo. *Pſ.* 59.

Ad Benedictus *Ant.* 6. F. Os noſtrum patet ad vos; cor noſtrum dilatátum eſt ad vos. *II. Corint.* 6.

Oratio.

DEus, qui beátum Elígium, Pontíficem noſtrum, miſericórdiæ viſcéribus implevíſti; quæſumus ut quem, tuâ grátiâ, páuperum patrem effeciſti, benignum pro nobis interceſsórem júgiter eſſe largiáris; Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Capitulum. Hebr. 13.

MEmentóte præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei; quorum intuentes éxitum converſatiónis, imitámini fidem.

Hymnus, Eligi. *ut in I. Veſperis, p.* cxviij.

℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, ℟. Uſque ad domum Dei. *Pſ.* 41.

Ad Magníficat. *Ant.* 5. a. Memória ejus in benedictióne eſt. Magnificávit eum Deus; glorificávit illum, & oſtendit illi glóriam ſuam. *Eccli.* 45.

Oratio. Deus qui. *ut ſuprà ad Laudes.*

PSALMI PŒNITENTIALES.

Ant. Dómine.

Pſalmus. 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infirmus ſum: * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per ſíngulas noctes

lectum meum, * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubeſcant valde velóciter.

Pſalmus 31.

BEáti quorum remiſſæ ſunt iniquitátes; * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum; * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea * dum clamárem totâ die,

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua: * converſus ſum in ærumna mea dum confígitur ſpina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcondi.

Dixi: Confitébor adverſùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſiſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum conſtringe * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris; * ſperantem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino & exultáte, juſti; * & gloriámini, omnes recti corde.

Pſalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non eſt pax óſſibus meis à

fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, * & ſicut onus grave gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corruptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem; * totâ die contriſtátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus, * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliátus ſum nimis, * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt; derelíquit me virtus mea, * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi: * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagella parátus ſum, * & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus; * ne diſcéſſeris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Pſalmus 50.

Miſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuá-

tum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea; * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognoſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti; * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui, * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útique: * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta: * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Pſalmus 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea, ſicut crémium aruérunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pelicáno ſolitúdinis: * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miſcébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt: * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes: * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exurgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus: * & terræ ejus miſerebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine; * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glória ſua.

Reſpexit in oratiónem humílium; * & non ſprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera: * & pópulus qui creábitur laudábit Dóminum;

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: * Dóminus de cœlo in terram aſpexit:

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut ſólveret fílios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jeruſalem.

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Reſpondit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundaſti: * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt, tu autem pérmanes; * & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur: * tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſéculum dirigétur.

Pſalmus 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus, * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Pſalmus 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam; áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua juſtítia:

Et non intres in judícium cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos séculi; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus: in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine: * defécit ſpíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam, * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meã.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam; quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in miſericórdia tua diſperdes inimícos meos:

Et perdes omnes qui tri-

bulant ánimam meam, * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ
SANCTORUM.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miſerére nobis.
Fili, redemptor mundi, Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte, Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginũ, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte.
Omnes ſancti beatórum ſpiríttuum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora.
Sancte Jóachim, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zeb*). ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Xyſte, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Blaſi, ora.
Sancte Leodegári, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Coſma, ora.
Sancte Damiáne, ora.
Sancte Dionyſi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Maurici cum sóciis tuis, ora.
Sancte Nicáſi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Quintíne cum sóciis tuis, ora.

Sancte Hippólyte cum sóciis tuis, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Leo, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Medarde, ora.
Sancte Achári, ora.
Sancte Elígi, ora.
Repetitur.
Sancte Elígi, ora.
Sancte Mommoléne, ora.
Sancte Eunúci, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Albíne, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Franciſce Saléſi, or.
Omnes ſancti Pontífices, oráte pro nobis.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Furſæe, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Sancte Hermelande, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte pro nobis.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte pro nob.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Vanenge, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes ſancti Juſti, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Godeberta, ora.
Sancta Hunegundis, ora.
Sancta Theréſia, ora.
Sancta Bathildis, ora.
Sancta Radegundis, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta María Ægyptia, or.
Omnes ſanctæ Vírgines, Víduæ & Pœnitentes, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro nob.
Propítius eſto; parce nobis, Dómine.
Propítius eſto; exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos, Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A damnatióne perpétua, líbera nos, Dómine.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera nos, Dómine.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera nos, Dómine.
A ſpíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab omni immundítia men-

tis & córporis ; líbera nos, Dómine.

Ab ira & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.

Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.

Per Nativitátem & Circumciſiónem tuam, líbera.

Per Baptiſmum & ſanctum Jejúnium tuum, líbera.

Per Paſſiónem & Crucem tuam, líbera.

Per glorióſam Reſurrectiónem tuam, líbera.

Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.

Per adventum Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.

In die judícii, líbera.

Peccatóres, Te rogámus, audi nos.

Ut pacem & ſanitátem nobis dones, te rogámus.

Ut Eccléſiam tuam ſanctã régere & conſerváre dignéris, te rogámus.

Ut Domnum Apoſtólicum & omnes gradus Eccleſiáſticos in ſancta religióne conſerváre dignéris, te rogámus.

Ut Pontíficem noſtrum cum omni congregatióne ſibi commiſſa conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut Regem noſtrum in ſalútem pópuli conſerváre dignéris, te rogámus.

Ut cunctum pópulum Chriſtiánum tuo pretióſo ſánguine redemptum régere & conſerváre dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, te.

Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.

Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.

Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, te.

Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te.

Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, te.

Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum, & benefactórum noſtrórum ab ætérna damnatióne erípias, te.

Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, te.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te.

Ut nos exaudíre dignéris, te.

Fili Dei, te.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater. *uſque ad* Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, non ſecundùm peccáta noſtra fácias nobis, ℟. Neque ſecundùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis. *Pſ.* 102.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro. ℟. Dóminus conſervet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40.

℣. Pro Rege noſtro. ℟. Dómine, ſalvum fac Regem; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19.

℣. Pro benefactóribus noſtris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen ſanctum tuum vitam ætemam. 2. *Paral.*

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Réquiem ætemam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

℣. Pro infirmis, afflictis, captívis & peregrínis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24.

℣. Pro frátribus noſtris abſéntibus. ℟. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te. *Pſ.* 85.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſediſti ab inítio. *Pſ.* 73.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

Pſalm. Deus in adjutórium, *pag.* 119.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Deus, cui próprium eſt miſeréri ſemper, & párcere: ſúſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos quos delictorum caténa conſtringit, miserátio tuæ pietátis clementer abſolvat.

Exaudi, quæſumus, Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus & pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpas delinquéntium diſtrictè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúſes; ut, qui pondus tuæ animadverſiónis cognóvimus,

ietátis tuæ grátiam ſentiá-
ɪus.

OMnípotens ſempiterne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro N. & dírige eum ſecundùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ: ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decenter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, (hoſtes ſuperáre); & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat pervenire.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequantur.

OMnípotens ſempiterne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórum, omniumque miſeréris, quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænoſcis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quoſque vel præſens ſéculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ ómnium delictórum ſuórum véniam conſequantur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui.

℣. Et fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace.

℟. Amen.

ORDO

COMMENDATIONIS ANIMÆ,

ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Sancta María, ora pro eo [*vel* ea].
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro eo [*vel* ea].
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, ora pro eo [*vel* ea].
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes-Baptiſta, ora pro eo [*vel* ea].
Sancte Joſeph, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Páule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Medarde, ora.
Sancte Elígi, ora.
Omnes ſancti Pontífices, oráte.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo [*vel* ea].
Propítius eſto, parce ei, Dómine.
Propítius eſto; líbera eum [*vel* eam], Dómine.
Propítius eſto; líbera eum [*vel* eam], Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera.

Crucem & Paſſiónem
am, líbera.
Mortem & Sepultúram
am, líbera.
;glorióſam Reſurrectió-
:m tuam, líbera.
ıdmirábilem Aſcensió-
:m tuam, líbera.
;rátiam Spíritûs ſancti
ıracléti, líbera.
ie judícii, líbera.
atóres, te rogámus,
di nos.
i parcas, te rogámus.
e, eléiſon.
ſte, eléiſon.
e, eleiſon.
ıde cùm in agone ſui
:ûs anxiatur anima,
dicitur:
.oficíſcere, ánima chri-
:iána, de hoc mundo
›mine Dei Patris omni-
ntis, qui te creávit; in
ine Jeſu Chriſti Fílii
vivi, qui pro te paſſus
in nómine Spíritûs
:i, qui in te effúſus eſt;
›mine Angelórum &
angelórum, in nómi-
'hronórum & Domi-
›num; in nómine Prin-
:uum & Poteſtátum,
›mine Chérubim & Sé-
im, in nómine Patriar-
um & Prophetárum,
›mine ſanctórum Apo-
›rum & Evangeliſtá-
, in nómine ſanctórum
tyrum & Confeſsó-
, in nómine ſanctórum
ıachórum & Eremitá-

rum, in nómine ſanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per Chriſtum Dóminum noſtrũ. ℟. Amen.

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminũ culpas véniâ remiſſiónum evácuas, réſpice propítius ſuper * hunc fámulum tuum *N.* [*vel* hanc fámulam tuam *N.*] & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcentem deprecátus exaudi. Rénova in * eo [*vel* ea] piiſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt; & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annecte. Miſerére, Dómine, gemítuum; miſerére lacrymárum ejus; & non habentem fidúciam niſi in tua miſericórdia, ad tuæ ſacramentum reconciliatiónis admitte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo, * cariſſime frater [*vel* cariſſimà ſo-

ror,] & ei, cujus es creatúra, committo: ut, cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formávit, revertáris. Egredienti ítaque ánimæ tuæ de córpore ſpléndidus Angelórum cœtus occurrat: judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat; candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet; liliáta rutilántium te Confeſsórum turma circumdet; jubilántium te Vírginum chorus excípiat; Beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te complexus adſtringat; mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpectus appáreat, qui te inter aſſiſtentes ſibi júgiter intereſſe decernat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus sátanas cum ſatellítibus ſuis: in adventu tuo, te comitántibus Angelis, contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimíci ejus, & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei; & juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. Confundantur ígitur & erubeſcant omnes tartáreæ legiónes, & miniſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt: líberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradiſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſolvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuũ fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemperque aſſiſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus [*vel* Conſtitúta] ígitur inter ágmina Beatórum contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſǽcula ſæculórum. ℟. Amen.

Suſcipe, Dómine, * ſervum tuum [*vel* ancillam tuam] in locum ſperandæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inferni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commú-

morte mundi. ℟. Amen.
Líbera, Dómine, áni-
am ejus, ſicut liberaſti
oe de dilúvio. ℟. Amen.
Líbera, Dómine, áni-
am ejus, ſicut liberaſti
raham de Ur Chaldæó-
n. ℟. Amen.
Líbera, Dómine, áni-
am ejus, ſicut liberaſti
b de paſſiónibus ſuis.
Amen.
Líbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
ac de hóſtia, & de ma-
patris ſui Abrahæ. ℟.
ien.
Líbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
t de Sódomis, & de
mma ignis. ℟. Amen.
Líbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
yſen de manu Pharaó-
regis Ægyptiórum. ℟.
ien.
íbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
niélem de lacu leónum.
Amen.
íbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
púeros de camíno ignis
entis, & de manu re-
iníqui. ℟. Amen.
íbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
annam de falſo crímine.
Amen.
Líbera, Dómine, áni-
m ejus, ſicut liberaſti
vid de manu regis Saül,
& de manu Góliæ. ℟. Amen.
Líbera, Dómine, áni-
mam ejus, ſicut liberaſti
Petrum & Paulum de car-
céribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatíſſimam The-
clam vírginem & márty-
rem tuam de tribus atro-
cíſſimis tormentis liberaſti,
ſic liberáre dignéris áni-
mam hujus * ſervi tui [*vel* ancillæ tuæ,] & tecum fá-
cias in bonis cœléſtibus
congaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ,] precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut eam, propter quam ad terram deſcendiſti, Patriarchárum tuórum sínibus inſinuáre non rénuas. Agnoſce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te, & non eſt ſecúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpectu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum quas ſuſcitávit furor mali deſidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctum non negávit, ſed crédidit; & zelum Dei in ſe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Oratio.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæſumus, ne memíneris, Dómine : ſed ſecundùm magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiantur ei Cœli ; collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœleſtis méruit principátum. Véniant illi óbviam ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœleſtem Jerúſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus Apóſtolus, cui à Deo claves regni cœleſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joannes, electus Dei Apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœléſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Chriſti nómine torménta in hoc ſǽculo ſuſtinuérunt ; ut vinculis carnis exúta, perveníre mereátur ad glóriam regni cœleſtis, præſtante Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in ſǽcula ſæculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Pſalmus Confitémini Dómino, quóniam bonus, quóniam, *pag.* 15. *& totus Pſalmus* Beáti immaculáti, *per Horas Dominicæ diſtributus, pag.* 16.

Egreſſâ autem animâ, dicitur : ℟. In te, Dómine, ſperávi, non confundar in æternum : accélera ut éruas me. In manus tuas commendo ſpíritum meum : * Redemiſti me, Dómine Deus veritátis : illuſtra fáciem tuam ſuper * ſervum tuum [*vel* ancillam tuam], * ſalvum [*vel* ſalvam] me fac in miſericórdia tua.

℣. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. * Redemiſti me. *Pſ.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Secretò Pater noſter.

Altâ voce. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * ſervo tuo [*vel* ancilla tua], Dómine.

℟. Quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi ; ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finem. *Pſ.* 73.

℣. Dómine, exaudi ora-
ıem meam; ℟. Et cla-
r meus ad te véniat.
101.
℣. Dóminus vobiſcum.
Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

'Ibi, Dómine, com-
mendámus ánimam *
uli tui [*vel* fámulæ
] *N.* ut * defunctus
[*vel* defuncta] século, ti-
bi vivat; & quæ per fra-
gilitátem humánæ conver-
ſatiónis peccáta commíſit,
tu véniâ miſericordíſſimæ
pietátis abſterge; Per Chri-
ſtum Dóminum noſtrum.
℟. Amen.
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.
Tum aſpergitur Corpus aquâ benedictâ.

)FFICIUM
DEFUNCTORUM.

)ualibet Hora ſequentis 'cii incipitur abſolutè.

D VESPERAS.
Int. 3. c. O Dómine.
Pſalmus 114.

)Ilexi; quóniam exaú-
diet Dóminus * vo-
ı oratiónis meæ.
)uia inclinávit aurem
n mihi, * & in diébus
s invocábo.
'ircumdedérunt me do-
s mortis, * & perícula
rni invenérunt me.
'ribulatiónem & doló-
invéni, * & nomen
ıini invocávi.
Dómine, líbera áni-
ı meam: * miséricors
ninus & juſtus, & Deus
er miſerétur.
Cuſtódiens párvulos Dó-
minus; * humiliátus ſum,
& liberávit me.
Convértere, ánima mea,
in réquiem tuam, * quia
Dóminus beneféicit tibi.
Quia erípuit ánimam
meam de morte, * óculos
meos à lácrymis, pedes
meos à lapſu.
Placébo Dómino * in re-
gióne vivórum.
In hoc Officio, in fine omnium Pſalmorum & Canticorum dicitur:
Réquiem æternam dona
eis, Dómine; * & lux per-
pétua lúceat eis.
Ant. O Dómine, líbera
ánimam meam.
Ant. 2. D. Heu mihi!

Pſalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi,*& exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolóſam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt!

Ant. 8. d. Auxílium.

Pſalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo: * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat intróitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & uſque in séculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

Ant. 8. g. Si iniquitátes.

Pſalmus 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine, * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt, * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus, * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio.

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit?

Ant. 2. D. Opera.

Pſalmus 137.

Onfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, ıóniam audiſti verba mei.

.conſpectu Angelórum ·lam tibi: * adorábo ad ɔlum ſanctum tuum, & itébor nómini tuo,

ıper miſericórdia tua & :áte tua; * quóniam nificaſti ſuper omne ıen ſanctum tuum.

ı quacumque die invo:ro te, exaudi me: * tiplicábis in ánima mea ſitem.

:onfiteantur tibi, Dóc, omnes reges terræ; ıuia audiérunt ómnia ɔa oris tui.

:t cantent in viis Dóıi; * quóniam magna glória Dómini.

Ɔuóniam excelſus Dóıus, & humília réſpi; * & alta à longè coɔſcit.

ii ambuláνero in médio ɔulatiónis, vivificábis; * & ſuper iram inimium meórum extendiſti .num tuam, & ſalvum fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro :: * Dómine, miſericórı tua in séculum; ópera ınuum tuárum ne deſpíıs.

Ant. Opera mánuum tuám ne deſpícias.

Continuò dicitur:

Ad Magníficat *Ant.* 1. a.

Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejíciam foras. *Joann.* 6.

Kyrie, eléiſon. ℟. Christe, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Secretò Pater. *Clarâ voce*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In memória æterna erunt juſti; ℟. Ab auditióne mala non timébunt. *Pſ.* 111.

℣. A porta ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Pſ.* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra viléntium. *Pſ.* 26.

Pſalmus 145.

Lauda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, * pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſius, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt.

Qui cuſtódit veritátem in ſéculum, facit judícium

injúriam patiéntibus, * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit eliſos, * Dóminus díligit juſtos.

Dóminus cuſtódit ádvenas: pupillum & víduam ſuſcípiet, * & vias peccatórum diſperdet.

Regnábit Dóminus in ſécula; * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

Réquiem.

℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

In depoſitione Defuncti.

Oratio.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuã ſúpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc ſéculo migráre juſſiſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & ſanctórum tuórum júbeas eſſe conſortem; Per Dóminum noſtrum.

Pro Diacono, poſt litteram N. *additur* Diáconi.

In depoſitione Defunctæ.

Oratio.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum.

In depoſitione Sacerdotis.

Oratio.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli feciſti dignitáte vigére: præſta, quæſumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum noſtrum.

Pro Epiſcopo, loco Sacerdotáli *dicitur* Pontificáli.

In Anniverſariis dicuntur tres Orationes; ſcilicet. 1. Deus indulgentiárum, 2. Deus, véniæ largítor *vel* Miſerére, 3. Fidélium.

DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [Sacerdótis, *vel* Pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N*]. cujus [*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum] [*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum] anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

Pro Benefactoribus.

DEus, véniæ largítor, & humánæ ſalútis a-

, quæſumus clemén-
uam, ut noſtræ con-
:iónis fratres, pro-
os & benefactóres,
t hoc ſéculo tranſié-
beátâ Maríâ ſemper
ıe intercedente cum
ɔus ſanctis tuis, ad
tuæ beatitúdinis con-
.m pervenire concé-

Orat. pro Benefact.

Iſerére, quæſumus,
Dómine, animábus
um benefactórum no-
ım defunctórum; &
neficiis quæ nobis lar-
únt in terris, æterna
ıia conſequántur in
.

› *omnibus Defunctis.*

lélium, Deus, ómniū
ɔnditor & redemptor,
ábus famulórum fa-
rumque tuárum re-
ónem cunctórum trí-
ɔeccatórum; ut indul-
iam quam ſemper op-
runt, piis ſupplicatió-
s conſequantur; Qui
; & regnas in ſécula
órum. ℟. Amen.

*aliud Officium non ſe-
ır, hæc Oratio finitur
tam concluſionem:* Qui
; & regnas cum Deo
e in unitáte Spíritûs
ti Deus, per ómnia ſé-
ſeculórum. ℟. Amen.
equieſcant in pace.
men.

[*Privatim pro patre & matre. Oratio.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepiſti, miſerére clementer animábus patris mei, ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gaúdio fac vidére; Per Dóminum].

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Pſalmus, Veníte, *pag.* 2.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis in depoſitione corporis, & in omnibus Anniverſariis, ritu duplici celebrandis: In iis verò quæ ritu ſimplici fiunt, ubi dicitur unicum Nocturnum, Feriâ II. & V. dicitur primum; Feriâ III. & VI. ſecundum; Feriâ IV. & Sabbato tertium.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Dómine.

Pſalmus 5.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine: * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, *quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injuſti ante óculos tuos.

Odiſti omnes qui operantur iniquitátem : * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuã ; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua : * propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas : * cor eórum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eórum ; linguis ſuis dolósè agébant : * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis : ſecundum multitúdinem impietátum eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te : * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronaſti nos.

Ant. Dómine, deduc me in juſtítia tua : propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam.

Ant. 8. g. Salvum me fac.

Pſalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me ; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infirmus ſum : * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde : * ſed tu, Dómine, úſquequò ?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam : * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî : * in inferno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo ; lavábo per ſíngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem ; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus de-

tiónem meam: * Dó-
s oratiónem meam
ɔit.
ıbeſcant & contur-
r vehementer omnes
ci mei: * convertan-
erubeſcant valde ve-
:r.
:t. Salvum me fac pro-
niſericórdiam tuam,
iam non eſt in morte
ıemor ſit tuî.
:t. 3. c. Illúmina.

Pſalmus 12.

Squequò, Dómine,
oblivíſceris me in fi-
? * úſquequò avertis
n tuam à me?
ámdiù ponam consí-
ı ánima mea, * do-
ı in corde meo per
?
quequò exaltábitur
cus meus ſuper me?
pice, & exaudi me,
ine Deus meus.
ımina óculos meos,
ıquam obdórmiam in
: * nequandò dicat
cus meus: Præválui
sùs eum.
ıi tríbulant me, exul-
ıt ſi motus fúero, *
ıutem in miſericór-
ıa ſperávi.
ultábit cor meum in
ıri tuo: cantábo Dó-
qui bona tríbuit mi-
* & pſallam nómini
ini altíſſimi.
nt. Illúmina óculos
meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi; ℟. Et ánimas paúperum tuórum ne obliviſcáris in finem. *Pſ.* 73.

Secretò. Pater. *Deinde altâ voce* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiònem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur ſine Abſolutione, & ſine Benedictionibus

De libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

MIlítia eſt vita hóminis ſuper terram; & ſicut dies mercenárii dies ejus. Sicut ſervus desíderat umbram, & ſicut mercenárius præſtolátur finem óperis ſui; ſic & ego hábui menſes vácuos, & noctes labórióſas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando conſurgam? & rurſum expectábo véſperam, & replébor dolóribus uſque ad ténebras. Indúta eſt caro mea putrédine & sórdibus púlveris; cutis mea áruit & contracta eſt. Dies mei velóciùs tranſiérunt quàm à texente tela ſuccíditur, & conſumpti ſunt abſque ulla ſpe. Memento quia ventus eſt vita mea; & non revertétur óculus meus, ut vídeat bona: nec aſpíciet me viſus hóminis.

In fine Lectionum non additur Tu autem, *nec quidquam aliud.*

℟. *j.* Velóciter exaudi me, Dómine; quia defecérunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut crémium aruérunt: * Dies mei ſicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ eſt vita? Vapor eſt ad módicum parens. * Dies mei. *Pſ.* 101. *Jac.* 4.

Lectio ij. Cap. 17.

DIes mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt torquentes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, infernus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea, & patiéntiam meam quis conſíderat? In profundiſſimum infernum deſcendent ómnia mea: putaſne ſaltem ibi erit réquies mihi?

℟. *ij.* Peccávi valde; ſed * Precor, Dómine, ut tránſferas iniquitátem ſervi tui; quia ſtultè egi nimis. ℣. Deus, propítius eſto mihi peccatóri. * Precor, Dómine. *II. Reg.* 24. *Luc* 18.

Lectio iij. Cap. 19.

PElli meæ, conſumptis cárnibus, adhæſit os meum; & derelicta ſunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & cárnibus meis ſaturámini? Quis mihi tríbuat ut ſcribantur ſermónes mei? Quis mihi det ut exarentur in libro ſtylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte ſculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum: & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius: repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℟. *iij.* Non intres in judícium cum ſervo tuo, Dómine; * Quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. ℣. Si juſtus vix ſalvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? * Quia non juſtificábitur. *Pſ.* 142. *I. Petr.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In médio.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis edu cávit

lucávit me, * ánimam eam convertit.

Deduxit me ſuper sémi-s juſtítiæ * propter no-en ſuum.

Nam & ſi ambulávero in édio umbræ mortis, non mébo mala, * quóniam ı mecum es.

Virga tua, & báculus ıus * ipſa me conſoláta ınt.

Paraſti in conſpectu meo ıenſam * adversùs eos qui íbulant me.

Impinguaſti in óleo ca-ut meum: * & calix meus nébrians quàm præclárus ſt!

Et miſericórdia tua ſub-equétur me * ómnibus liébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem liérum.

Ant. In médio umbræ nortis non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine. *Pſ.* 22.

Ant. 8. g. Delicta.

Pſalmus 24.

AD te, Dómine, levá-vi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, ıon erubeſcam.

Neque irrídeant me ini-míci mei; * étenim uni-verſi qui súſtinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iní-qua agentes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, de-monſtra mihi; * & sémi-tas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me, * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratió-num tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſéculo ſunt.

Delicta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm miſericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dómi-nus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in ju-dício, * docébit mites vias ſuas.

Ant. Delicta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris. *Pſ.* 24.

Ant. 4. a. Vide.

Diviſio Pſalmi 24.

UNiverſæ viæ Dómini miſericórdia & véri-tas * requiréntibus teſta-mentum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis pec-cáto meo; * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis de-

morábitur, * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtamentum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum, * quóniam ipſe evellet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî, * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt; * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum, * & dimitte univerſa delicta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam & érue me; * non erubeſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocentes & recti adhæſérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſraël * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Ant. Vide humilitátem meam, & labórem meum, & dimitte univerſa delicta mea. *Pſ.* 24.

℣. Ne avertas fáciem tuam à me; ℟. Ne declínes in ira à ſervo tuo. *Pſ.* 26.

Pater noſter. *ſecretò.*

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Homil. de Dormient. Edit. Bened. §. 1. & 2. Lectio iv.

DEus corpus diſſolvit, & in illo habitantem ánimam priùs edúcit ceu ex domo quápiam; ut pòſt in eamdem magnificéntiùs conſtructam domum ánimam cum majóri glória redúcat..... Ne ítaque intueáris eum cujus clauſi ſunt óculi, qui mutus jacet; ſed eum qui reſurget, & accípiet glóriam ineffábilem & ſtupendam mirabilemque: atque à præſenti hujúſmodi aſpectu cogitatiónes transfer in ſpem futúram. At ejus conſuetúdinem requíris, ideóque ingemiſcis ac luges... Et quómodo, ínquies, homo cùm ſim, poſſim non mœrére? Neque ego id póſtulo: non mœrórem vero, *ſed mœróris veheméntiam.* Mœrére namque natúræ eſt; ſed ultra modum mœrére furóris, inſániæ, mulíebriſque ánimi. Mœre, lacrymáre; ſed ne ægrè moleſtéque feras, ne indignéris. Grátias age ei qui abſtulit, ut defunctum exornes, ejuſque fúneri hæc juſta ſpléndidè perſolvas, ipsíque mittas.

℟. *iv.* Deus meus, ne síleas à me: * Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; & cum operántibus iniqui-

m ne perdas me. ℣.
illórum erit in ſtagno
nti igne & ſúlphure.
ſimul. *Pſ.27. Apoc.21.*
Lectio v. §. 2. & 3.

Mors quies eſt, & à ſudóribus curiſque ſeribus liberátio. Cùm ır ex propinquis álin víderis hinc abeun-, ne indignè feras: ſed púngere, ad teipſum, conſciéntiam ſcrutá- ioc consídera brevi pa- tibi ſubeundum eſſe n. Temperántior eſto, ltérius morte timére. Ignáviam omnem íde, facta tua expen- errata córrige, óptiı fac morum mutatió-.... Cógita ad quem it, & conſolatiónem ɔe. Eò ſcílicet ubi Pau- ſt, ubi Petrus, ubi tórum chorus omnis. ta quómodo reſurre- ıs ſit, cum quanta gló- ſplendóre. Animo ré-, te fletu & lácrymis illa nihil immutatú-, vel emendatúrum; ibi ipſi damnùm in- allatúrum. Cógita, id facis, quos imité- & fuge consórtium in ıtis hujúſmodi. Quos imitáris? Quos æmu-? Infidéles, qui ſpem habent; quemádmo- & Paulus dixit: Ut contriſtémini ſicut & céteri qui ſpem non habe

℟. v. Ego ad Dóminu aſpíciam, expectábo Deu ſalvatórem meum: conſu gam, cùm sédero in tén bris: * Iram Dómini po tábo, quóniam peccávi ℣. Flagellat Dóminus o nem filium quem récip * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 1

Lectio vj. Homil. 41. *in I. Cor.*

SI amícus tuus exceſſit oportet, quoad fie poteſt, te ei ſuccúrrere non lácrymis, ſed préc bus, ſed eleemóſynis, ſe oblatiónibus. Non ſunt nim hæc témerè excogitá ta, neque fruſtrà córu qui exceſſérunt, in divín myſtériis meminimus, pro ipſis accédimus roga tes Agnum propóſitum qui mundi peccátum tulit ſed ut inde eis áliqua conſolátio. Nec abs re qui aſtat altári, dum ve neranda peraguntur my ſtéria, clamat: Pro ómn bus qui in Chriſto dormié runt, & iis qui ipsórum cé lebrant memóriam. Pro pterèa fidenter pro orb terræ tunc rogámus, & eo cum Martyribus nominá mus, cum Confeſsóribus cum Sacerdótibus. Etenin unum corpus omnes ſumus etiamſi ſint membra mem bris ſplendidióra; & fier poteſt, ut véniam eis om

ni ex parte conciliémus, & à précibus, & à donis quæ pro iis offeruntur, & ab iis qui cum ipſis nominantur. Cur ergo doles? Cur luges & lamentáris? Quando defuncto poteſt tanta conciliári vénia.

℟. *vj.* Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium. * Educ de cuſtódia ánimam meam ad confitendum nómini tuo. ℣. Jeſu, Fili David, miſerére meî. * Educ. *Pſ.* 141. *Marc.* 10.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Unam pétii.

Pſalmus 26.

DOminus illuminátio mea & ſalus mea: * quem timébo?

Dóminus protector vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum appropiant ſuper me nocentes, * ut edant carnes meas;

Qui tribulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt & cecidérunt.

Si conſiſtant adversùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus.

Quóniam abſcondit me in tabernáculo ſuo; * in die malórum protexit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis: * cantábo & pſalmum dicam Dómino.

Ant. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini. *Pſ.* 26.

Ant. 4. f. Credo.

Diviſio Pſalmi 26.

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te; * miſerére meî & exaudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto: * ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me; * Dóminus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua, * & diri-

[t]e me in ſémitam rectam [p]ropter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * [q]uóniam inſurrexérunt in [m]e teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age; * & confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *Pſ.* 26.

Ant. 8. d. Sitívit.

Pſalmus 41.

QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulantis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei & Deus meus.

Ad meipſum ánima mea conturbáta eſt; * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suſceptor meus es.

Quare oblítus es meî, * & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies: Ubi eſt Deus tuus? * quare triſtis es, ánima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum;

quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *Pſ.* 41.

℣. Quare triſtis es, ánima mea, & quare conturbas me? ℟. Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi. *Pſ.* 41.

Pater noſter. *ſecretò.*

De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio vij. Cap. 15.

SI Chriſtus prædicátur quòd reſurrexit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis: Quóniam reſurréctio mortuórum non eſt? Si autem reſurréctio mortuórum non eſt; neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inánis eſt ergo prædicátio noſtra, inánis eſt & fides veſtra: invenímur autem & falſi teſtes Dei; quóniam teſtimónium díximus adversùs Deum, quòd ſuſcitáverit Chriſtum quem non ſuſcitávit, ſi mórtui non reſurgunt. Nam ſi mórtui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccátis veſtris. Ergo & qui dormiérunt in Chriſto, periérunt. Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabilióres ſumus ómnibus homínibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium: quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.

℟. *vij.* Scio quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum: * Et in carne mea vidébo Deum meũ. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et. *Job.* 19. *I. Cor.* 15.

Lectio viij.

SEd dicet áliquis: Quómodò reſurgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, niſi priùs moriátur? Et quod séminas, non corpus quod futúrum eſt, ſéminas, ſed nudum granum, ut puta trítici, aut alicújus ceterórum: Deus autem dat illi corpus ſicut vult; & unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro éadem caro: ſed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píſcium. Et córpora cœléſtia, & córpora terréſtria: ſed ália quidem cœléſtium glória, ália autem terréſtrium: ália clá-

itas ſolis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas ſtellárum; ſtella enim à ſtella differt in claritáte. Sic & reſurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, ſurget in incorruptióne: ſeminátur in ignobilitáte, ſurget in glória: ſeminátur in infirmitáte, ſurget in virtúte: ſeminátur corpus animále, ſurget corpus ſpiritále.

℞. *viij.* Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ: qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. * Evigilábunt; álii. *Daniel.* 12. *Joann.* 5.

Lectio ix.

ECce myſtérium vobis dico: Omnes quidem reſurgémus, ſed non omnes immutábimur. In momento, in ictu óculi, in noviſſima tuba, canet enim tuba, & mórtui reſurgent incorrupti: & nos immutábimur. Oportet enim corruptíbile hoc indúere incorruptióne͂, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua? Ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum eſt: virtus verò peccáti, lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Itaque, fratres mei dilecti, ſtábiles eſtóte & immóbiles: abundantes in ópere Dómini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino.

℞. *ix.* Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me. Non abſórbeat me profundum; neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. * Exaudi me, quóniam * Benigna eſt miſericórdia tua: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miſerére meî, Dómine, fili David: Dómine, ádjuva me. * Exaudi me. ℣. Dómine Deus, Rex ſeculórum, ſolus pius es. * Benigna eſt. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemiſti nos Deo in ſánguine tuo. * Intende ánimæ. *Pſ.* 68. *Matth.* 15. *Apoc.* 15. *Apoc.* 5.

AD LAUDES.

Ant. 1. g. Secundùm.

Pſalmus 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecundùm magnam miſericórdiam tuam.

Et ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab ini-

quitáte mea ; * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognoſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci, * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexiſti ; * incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſópo, & mundábor : * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam, * & exultábunt oſſa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & Spíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui, * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluiſſes ſacrifícium, dediſſem útique : * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifícium juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta : * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Ant. Secundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum dele iniquitátem meá. *Pſ.* 50.

Ant. 8. g. Exaudi.

Pſalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion ; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exaudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos ; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti ! * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis do-

ûs tuæ : * ſanctum eſt
:mplum tuum, mirábile
ı æquitáte.

Exaudi nos, Deus ſalu-
ıris noſter ; * ſpes óm-
ıum fínium terræ, & in
ıari longè.

Præparans montes in vir-
ıte tua, accinctus potén-
ıâ : * qui conturbas pro-
ındum maris, ſonum flú-
tuum ejus.

Turbabuntur gentes, &
imébunt qui hábitant tér-
ninos à ſignis tuis : * éxi-
us matutíni & véſpere de-
ectábis.

Viſitaſti terram, & ine-
ɔriaſti eam : * multiplica-
ti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt
ıquis : paraſti cibum illó-
'um ; * quóniam ita eſt
ɔræparátio ejus.

Rivos ejus inébria, mul-
:íplica genímina ejus ; * in
tillicídiis ejus lætábitur
ɡérminans.

Benedíces corónæ anni
ɔenignitátis tuæ, * & cam-
pi tui replebuntur ubertáte.

Pingueſcent ſpecióſa de-
ſerti, * & exultatióne col-
les accingentur.

Indúti ſunt aríetes óvium,
& valles abundábunt fru-
mento : * clamábunt ; éte-
nim hymnum dicent.

Ant. Exaúdi, Deus, ora-
tiónem meam : ad te omnis
caro véniet. *Pſ.* 64.

Ant. 4. E. Propter,

Pſalmus 142.

Domine, exaudi ora-
tiónem meam : aúri-
bus pércipe obſecratiónem
meam in veritáte tua ; *
exaudi me in tua juſtítia.

Et non intres in judícium
cum ſervo tuo ; * quia non
juſtificábitur in conſpectu
tuo omnis vivens.

Quia perſecútus eſt ini-
mícus ánimam meam ; *
humiliávit in terra vitam
meam.

Collocávit me in obſcú-
ris ſicut mórtuos séculi, *
& anxiátus eſt ſuper me
ſpíritus meus ; in me turbá-
tum eſt cor meum.

Memor fui diérum anti-
quórum, meditátus ſum in
ómnibus opéribus tuis ; *
in factis mánuum tuárum
meditábar.

Expandi manus meas ad
te : * ánima mea ſicut terra
ſine aqua tibi.

Velóciter exaudi me,
Dómine : * defécit ſpíritus
meus.

Non avertas fáciem tuam
à me, * & símilis ero de-
ſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè
miſericórdiam tuam, * quia
in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in
qua ámbulem, * quia ad
te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis
meis, Dómine ; ad te con-
fúgi : * doce me facere

voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in miſericórdia tua diſperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meã, * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me. *Pſ.* 142.

Ant. 2. D. Miſerére.

Canticum. Baruch. 3.

DOmine omnípotens, Deus Iſrael, * ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te.

Audi, Dñe, & miſerére, * quia Deus es miséricors.

Et miſerére noſtrî, * quia peccávimus ante te.

Quia tu ſedes in ſempitérnum, * & nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Iſrael, * audi nunc oratiónem mortuórum Iſrael.

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei ſui, * & agglutináta ſunt nobis mala.

Noli meminiſſe iniquitátum patrum noſtrórum; * ſed memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore iſto.

Quia tu es Dóminus Deus noſter, * & laudábimus te, Dómine.

Ant. Miſerére noſtrî, Dómine, quia peccávimus ante te. *Bar.* 3.

Ant. 7. b. Omnis.

Pſalmus 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis bene ſonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis ſpíritus laudet Dóminum. *Pſ.* 150.

Ad Benedictus *Ant.* 1. a. Ego ſum reſurréctio, & vita: qui credit in me, étiamſi mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in æternum. *Joann.* 11.

Pater. *& cetera ut ſupra in Veſperis, excepto quòd loco Pſalmi* Lauda, ánima, *dicitur Pſal.* De profundis.

IN ANNIVERSARIIS DEFUNCTORUM.

Omnia ut in Officio præcedenti, exceptis quæ ſequuntur.

AD VIGILIAS.

In Anniverſariis ſolemnibus, ſi fiunt cum tribus Nocturnis, Lectiones dicentur ut infrà.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

PArce mihi; nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Víſitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Uſquequò non parcis mihi? nec dimittis me ut glútiam ſalívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô cuſtos hóminum? Quare poſuiſti me contrárium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: & ſi manè me quæſíeris, non ſubſiſtam.

℟. *j.* Velóciter exaudi me, *p.* cxliv.

Lectio ij. Cap. 10.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu; & ſic repentè præcípitas me? Memento, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me? & ſicut cáſeum me coagulaſti? Pelle & cárnibus veſtiſti me: óſſibus & nervis compegiſti me. Vitam & miſericórdiam tribuiſti mihi, & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

℟. *ij.* Peccávi valde, *p.* cxliv.

Lectio iij. Cap. 13.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta? ſcélera mea & delicta oſtende mihi. Cur fáciem tuam abſcondis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, oſtendis poténtiam tuam, & ſtípulam ſiccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes sémitas meas, & veſtígia pedum meórum conſideraſti: qui quaſi putrédo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod coméditur à tínea.

℟. *iij.* Non intres in judícium, *p.* cxliv.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Enchirídii ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. *Cap.* 109.

NEque negandum eſt defunctórum ánimas pietáte ſuórum vivéntium relevári, cùm pro illis ſacrifícium Mediatóris offertur, vel eleemóſynæ in Eccléſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui, cùm víverent, ut hæc ſibi póſteà poſſent prodeſſe, meruérunt. Eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requírat iſta poſt mortem: nec tam malus, ut non ei proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, ut iſta non requírat: & eſt rurſus talis in malo, ut nec his váleat, cùm ex hac vita tranſíerit, adjuvári. Quocircà hìc omne méritum comparátur, quo poſſit poſt hanc vitam relevári quiſpiam, vel gravári. Nemo autem ſe ſperet, quod hìc neglèxerit, cùm obíerit, apud Deum promeréri.

℟. *iv.* Deus meus, ne síleas, *p.* cxlvj.

Ex libro primo Officiórum ſancti Iſidóri, Hiſpalenſis Epíſcopi.

Lectio v. *Cap.* 18.

SAcrifícium pro defunctórum fidélium réquie offerri, vel pro eis orári, quia per totum hoc orbem cuſtodítur, crédimus quòd ab ipſis Apóſtolis tráditum ſit. Hoc enim ubíque Cathólica tenet Eccléſia: quæ niſi créderet fidélibus defunctis dimitti peccáta, non pro eórum ſpíritibus vel eleemóſynam fáceret, vel Deo ſacrifícium offerret. Nam & cùm Dóminus dicit: Qui peccáverit in Spíritum ſanctum, non remittétur ei, neque in hoc ſéculo, neque in futúro, demonſtrat quibuſdam illìc dimittenda peccáta, & quodam purgatório igne purganda.

℟. *v.* Ego ad Dóminum aſpíciam. *p.* cxlvij.

Ex Teſtamento ſancti Ephrem, Diáconi Edeſſéni.

Lectio vj. Ex Edit. Rom. anni 1743. *tom.* 2. *p.* 395.

VOs volo, Fratres mei, commonefácere, docére atque adhortári, ut memóriam meî in veſtris oratiónibus ac précibus faciátis... Ne me cum aromátibus ſepeliátis, non enim hìc mihi honor prodeſt: neque mecum ſuáves odóres ponátis; non enim decet me glória: ſed thura date in ſanctuário; me autem oratiónibus veſtris comitémini. Arómata offerte Deo, & pſalmis me

ſequámini. Pro odóri- ; & aromátibus meî me- riam in veſtris depre- iónibus perágite : quid m mórtuo próderit ſuá- odor jam ſenſu caren- .... Accédite, Fratres, extendentes compónite :..... Viáticum ſuppe- áte mihi in oratiónibus, pſalmis, & oratiónibus. : quando diem trigéſi- um complévero, meî me- óriam, Fratres, fácite; órtui enim eâ oblatióne ivantur quam viventes áciunt.... Si viri Matha- hiæ, qui in myſtério res rdine geſtas detinébant, ébita eórum qui in bello eciderant, cùm eſſent opé- ibus ſuis gentílium labe in- uináti, in oblatiónibus mundárunt; quantò magis Sacerdótes Fílii Dei in ſan- ctis oblatiónibus ſuis, & in deprecatiónibus linguá- rum ſuárum, mortuórum débita sólvere póterunt.

℟. *vj*. Clamávi, *p*. cxlviij.

IN III. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio vij. Cap. 8.

QUòd ſi Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitat in vobis; qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis. Ergo, Fratres, debitóres ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivámus. Si enim ſecundùm carnem vixéritis, moriémini : ſi autem ſpíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii ſunt fílii Dei.

℟. *vij*. Scio quòd, *p*. cl.

Lectio viij.

NOn ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expectat Vanitáti enim creatúra ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjécit eam in ſpe : quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quòd omnis creatúra ingemiſcit, & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias ſpíritûs habentes; & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis noſtri : ſpe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ vidétur, non eſt ſpes : nam quod videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non vidémus ſperámus, per patiéntiam expectámus.

℟. *viij.* Qui dórmiunt, *pag.* clj.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Coríntbios.

Lectio ix. Cap. 15.

OPortet Chriſtum regnáre, donec ponat Pater omnes inimícos ſub pédibus ejus. Novíſſima autem inimíca deſtruétur mors; ómnia enim ſubjécit ſub pédibus ejus. Cùm autem dicat: Omnia ſubjecta ſunt ei; ſine dúbio præter eum qui ſubjécit ei ómnia. Cùm autem ſubjecta fúerint illi ómnia, tunc & ipſe Fílius ſubjectus erit ei qui ſubjécit ſibi ómnia, ut ſit Deus ómnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizantur pro mórtuis, ſi omnínò mórtui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? ut quid & nos periclitámur omni horâ? Quotídie mórior per veſtram glóriam, fratres, quam hábeo in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

℟. *ix.* Líbera, *p.* clj.

In Anniverſariis minùs ſolemnibus, quæ ſunt tantùm trium Lectionum, dicitur unicum Nocturnum & ſumentur Antiphonæ, Pſalmi, Verſus & Reſponſoria ex Officio præcedenti ſecundùm Feriam.

FERIA II. ET V.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 14.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. Qui quaſi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituiſti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quieſcat, donec optáta véniat ſicut mercenárii dies ejus.

℟. *j.* Velóciter, *p.* cxliv.

Ex Catechéſi ſancti Cyrilli, Hieroſolymitáni Epíſcopi.

Catech. 23. *Myſtag.* 5. *Edit. Bened.* §. 9. & 10. *Lectio ij.*

PRo ómnibus qui inter nos vitâ functi ſunt, orámus: máximum hoc credentes adjumentum illis animábus fore, pro quibus orátio defertur, dum ſancta, & perquàm tremenda coràm jacet víctima. Hujus rei fidem vobis ab exemplo fácere vo-

o. Novi enim multos ita lícere : Quid juvat ánimam ex hoc mundo in peccátis, ſeu ſine peccátis decedentem, ſi ejus in oratióne méntio fiat? An verò, ſi Rex quíſpiam viros à quibus offenſus fúerit, relegárit in exílium; poſteáque illi ad quos áttinent, corónam plectentes eam Regi pro ſuis pœnâ ab ipſo affectis obtúlerint; nonne ipſis ſuppliciórum relaxatiónem gratificatúrus eſt? Ad eumdem modum & nos pro defunctis, etiamſi peccatóres ſint, preces Deo offerentes, non corónam pléctimus; ſed Chriſtum mactátum pro peccátis noſtris offérimus, clementem Deū cùm pro illis, tùm pro nobis demeréri & propitiáre ſatagentes.

℟. *ij.* Peccávi, *p.* cxliv.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio iij. Cap. 3.

FUndamentum áliud nemo poteſt pónere, præter id quod póſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædíficat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lápides pretióſos, ligna, fœnum, ſtípulam; uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Dómini declarábit; quia in igne revelábitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probábit. Si cujus opus mánſerit quod ſuperædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árſerit, detrimentum patiétur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

℟. *iij.* Non intres, *p.* cxliv.

FERIA III. ET VI.

De Libro ſecundo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 12.

VIr fortíſſimus Judas hortabátur pópulum conſerváre ſe ſine peccáto, ſub óculis videntes quæ facta ſunt pro peccátis eórum qui proſtráti ſunt. Et factâ collatióne, duódecim míllia drachmas argenti miſit Jeroſólymam, offerri pro peccátis mortuórum ſacrifícium, benè & religióſè de reſurrectióne cógitans. Niſi enim eos qui cecíderant, reſurrectúros ſperáret, ſupérfluum viderétur & vanum oráre pro mórtuis; & quia conſiderábat quòd hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repóſitam grátiam. Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis ſolvantur.

℟. *j.* Deus, *pag.* cxlvj.

Ex Libro ſancti Epiphánii Epíſcopi, de hæréſibus.

Lectio ij. Hæreſ. 75. Sect. 7. & 8.

QUod ſpectat ad ritum illum, quo mortuórum nómina pronuntiantur, quid eo eſſe poteſt utílius? Quid opportúnius, aut admiratióne dígnius? Nempe ut qui adſunt, certíſſimè ſibi perſuádeant mórtuos vívere, nec in níhilum redactos eſſe; ſed exíſtere adhuc, atque apud Dóminum vívere; tùm ut religiosíſſimum illud dogma prædicétur, quo qui pro frátribus precantur, benè de illis ſperáre conſtat quaſi péregrè profectis. Céterùm quæ pro mórtuis concipiuntur preces, iis útiles ſunt, tametſi non omnes culpas extinguant... Nam & juſtórum páriter & peccatórum mentiónem fácimus: peccatórum quidem, ut iis à Dómino miſericórdiam implorémus: juſtórum autem, ut Dóminum Jeſum Chriſtum ſinguléri quodam honóre proſequentes, ab ceterórum hóminum órdine ſegregémus..... Neceſſáriò fácere illud Eccléſiam dico, quæ tráditum ſibi ritum illum à majóribus accéperit.

℞. *ij.* Ego ad Dóminum, *pag.* cxlvij.

De Epiſtola ſecunda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio iij. Cap. 5.

SCimus, fratres, quóniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupientes..... Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præſentes eſſe ad Dóminum. Et ideò conténdimus, ſive abſentes, ſive præſentes placére illi. Omnes enim nos maniſeſtári oportet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquiſque própria córporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

℞. *iij.* Clamávi, *p.* cxlviij.

FERIA IV.

ET SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 37.

FActa eſt ſuper me manus Dómini, & eduxit me in ſpíritu Dómini; & dimíſit me in médio campi qui erat plenus óſſibus; & circumduxit me per ea in gyro. Erant autem multa valdè ſuper fáciem campi, ſiccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hómi-

: , putaſne vivent oſſa
a ? Et dixi : Dómine
:us, tu noſti. Et dixit ad
e : Vaticináre de óſſibus
is, & dices eis: Oſſa ári-
, audíte verbum Dómi-
. Hæc dicit Dóminus
eus óſſibus his : Ecce ego
tromittam in vos ſpíri-
m, & vivétis; & dabo
per vos nervos, & ſuc-
éſcere fáciam ſuper vos
ırnes, & ſuperextendam
ı vobis cutem, & dabo
obis ſpíritum & vivétis, &
iétis quia ego Dóminus.

℟. j. Scio quòd, *p*. cl.

x Libro quarto Dialogó-
rum ſancti Gregórii
Magni.

Lectio ij. Cap. 39.

DE quibuſdam lévibus culpis eſſe ante judí-
ium purgatórius ignis cre-
.endus eſt, pro eo quòd
éritas dicit : Si quis in
píritum ſanctum blaſphé-
niam díxerit, neque in
ıoc ſéculo remittétur ei,
ıeque in futúro. In qua
enténtia datur intélligi,
quaſdam culpas in hoc ſé-
culo, quaſdam in futúro
poſſe laxári. Quod enim
de uno negátur, cónſe-
quens intellectus patet,
quia quibuſdam concédi-
tur. Sed tamen hoc de par-
vis minimiſque peccátis
fieri poſſe credendum eſt.
Quæ cuncta étiam poſt
mortem gravant, ſi adhuc
in hac vita póſitis mínimè
fúerint relaxáta.

℟. ij. Qui dórmiunt, *pag*. clj.

De Epíſtola prima beáti
Pauli Apóſtoli ad
Theſſalonicenſes.

Lectio iij. Cap. 4.

NOlumus vos ignoráre, Fratres, de dormiéntibus, ut non contriſtémini ſicut & céteri qui ſpem non habent. Si enim crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui ſumus in adventum Dómini, non prævenié-mus eos qui dormiérunt. Quóniam ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo : & mórtui qui in Christo ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui vívimus, qui relínquimur, ſimul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Chriſto in áera ; & ſic ſemper cum Dómino érimus. Itaque conſolámini ínvicem in verbis iſtis.

℟. iij. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me. Non abſórbeat me profundum, neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. Exaudi me, quóniam be-

nigna eſt miſericórdia tua: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miſerére meî, Dómine, Fili David: Dómine, ádjuva me. * Intende ánimæ meæ. *Pſ.* 68. *Matth.* 15.

Ad Laudes ut ſuprà, pag. clj. *& ſeq.*

COMMENDATIONES DEFUNCTORUM.

Quando pro pluribus fiunt, dicuntur Orationes in plurali.

℟. DOmine Deus, audi nunc oratiónē mortuórum Iſrael, qui peccavérunt ante te. Noli meminiſſe iniquitátum patrũ noſtrórum, ſed * Meménto manûs tuæ & nóminis tui. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemiſti nos Deo in ſánguine tuo. * Meménto. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

Abſolutè ſine Orémus.

Oratio:

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus (*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta) século tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſterge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

MIſericórdiam tuam, Dómine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro noſtris rogáre peccátis nequáquam ſuffícimus. Tamen de tua confiſi gratúita pietáte & ineffábili bonitáte, cleméntiam tuam depóſcimus, ut ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* ad te reverténtem cum benignitáte ſuſcípias. Adſit ei Angelus teſtamenti tui Míchael, & per manus ſanctórum Angelórum tuórum inter ſanctos & electos tuos, in ſinu Abrahæ, Iſaac & Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris, quátenùs liberáta de princípibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis, ſeu fragilitátis confundátur erróribus; ſed agnoſcátur à Sanctis tuis, & ſanctæ beatitúdinis réquie perfruátur; ut cùm magni judícii dies advénerit, inter ſanctos & electos tuos * reſuſcitátus, (*vel* reſuſcitáta) glóriâ manifeſtæ contemplatiónis tuæ perpétuò ſatiétur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Pſalmus In éxitu Iſrael de Ægypto, *pag.* 30, *in cujus fine*, Réquiem, &c. *& poſteà dicitur:*

Ant. 2. D. Qui timent
minum, ſperavérunt in
mino; adjútor eórum
protector eórum eſt.
113.

Oratio.

)Mnípotens ſempiter-
ne Deus, qui humá-
córpori ánimam ad ſi-
litúdinem tuam inſpi-
·e dignátus es; dum, te
›ente, pulvis in púlve-
n revértitur, tu imági-
m tuam, cum ſanctis &
:ctis tuis, sédibus æternis
æcípias ſociári; eamque
. te revertentem de Ægy-
i pártibus blandè leni-
rque ſuſcípias, & Ange-
s tuos ſanctos ei óbviam
ittas: viamque illi juſtí-
æ demonſtra, & portas
lóriæ tuæ áperi. Repelle,
uæſumus, Dómine, ab ea
mnes príncipes tenebrá-
ım; & agnoſce depóſi-
ım fidéle quod tuum eſt.
úſcipe, Dómine, creatú-
am tuam, non à diis alié-
ıis creátam, ſed à te ſolo
)eo vivo & vero; quia
ıon eſt álius Deus præter
:e, Dómine; & non eſt ſe-
:undùm ópera tua. Lætífi-
:a, clementíſſime Pater,
ánimam ejus, & clarífica
eam in multitúdine miſe-
ricórdiæ tuæ. Ne memíne-
ris, quæſumus, iniquitá-
tum ejus antiquárum, quas
ſuſcitávit furor mali deſi-
dérii. Licèt enim peccáve-
rit, tamen te non negávit;
ſed ſigno fídei inſigníta,
te, qui ómnia, & eam in-
ter ómnia feciſti, fidéliter
adorávit; Qui vivis & re-
gnas Deus. ℟. Amen.

Pſal. Dilexi, *pag.* 150.
Crédidi, 110. Laudáte Dó-
minum, omnes gentes,
142. Confitémini, 15. *To-
tus Pſalmus*, Beáti imma-
culáti, *in Horas Dominicæ
diſtributus*, 16. *In fine ul-
timi Pſalmi*, Réquiem,
&c. *& poſteà dicitur:*

Ant. 8. g. Circumdedé-
runt me dolóres mortis;
& perícula inferni invené-
runt me. O Dómine, líbe-
ra ánimam meam. *Pſ.* 114.

Oratio.

DIri vúlneris novitáte
perculſi, & quodám-
modo córdibus ſauciáti,
miſericórdiam tuam, mun-
di Redémptor, flebílibus
vócibus implorámus; ut
ánimam * fámuli tui (*vel*
fámulæ tuæ) *N.* ad tuam
cleméntiam, qui fons pietá-
tis es, revertentem blandè
leniterque ſuſcípias; &
quas ex carnáli contagióne
contraxit máculas, tu, Deus,
inólitâ bonitáte clementer
déleas, piè indúlgeas,
oblivióni in perpétuum
tradas: atque hanc, lau-
dem tibi cum céteris red-
ditúram, & ad corpus pró-
prium quandòque reverſú-
ram, Sanctórum tuórum

cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter. *ſecretò.*

Altâ voce, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Clamávi ad te, Dómine: dixi: Tu es ſpes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Pſ.* 141.

℣. Educ de cuſtódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo; ℟. Me expectant juſti, donec retríbuas mihi. *Pſ.* 141.

℣. Cuſtódi ánimam meã & érue me, ℟. Non erubeſcam, quóniam ſperávi in te. *Pſ.* 24.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

PArtem beátæ reſurrectiónis obtíneat, quæſumus, Dómine, ánima * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* vitamque ætérnam habére mereátur in cœlis; Per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi.

DEus, cui ſoli cómpetit medicínam præſtáre poſt mortem; præſta, quæſumus, ut ánima * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) *N.* terrénis exúta contágiis in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante Prandium.

BEnedícite. ℟. Dóminus.

℣. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; & tu das illis eſcam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Pſ.* 144.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat, &c.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Secretò Pater. *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Oratio.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

enedictio, Menſæ cœ-
; partícipes fáciat nos
æternæ glóriæ.
.. Amen.
i fine Lectionis dicitur:
u autem, Dómine,
erére noſtrî.
℟. Deo grátias.

ATIARUM ACTIO
poſt prandium.

Qui benedixit menſam,
ipit: ℣. Confiteantur ti-
Dómine, ómnia ópera
, ℟. Et ſancti tui bene-
ant tibi. *Pſ.* 144.
℣. Glória Patri. ℟. Si-
erat. *Poſteà dicit:*

Gimus tibi grátias,
omnípotens Deus, pro
iverſis beneficiis tuis;
ui vivis & regnas in ſécu-
ſeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dici-
r:

Pſalmus 116.

Audáte Dóminum, om-
nes gentes; * laudáte
um, omnes pópuli.
Quóniam confirmáta eſt
per nos miſericórdia e-
us, * & véritas Dómini
anet in æternum.
Glória Patri, &c.
Kyrie, eléiſon. Chriſte,
eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Pater noſter. *ſecretò uſ-*
que ad ℣. Et ne nos indú-
cas in tentatiónem. ℟. Sed
líbera nos à malo.
℣. Diſperſit, dedit paupé-
ribus: ℟. Juſtítia ejus ma-
net in ſéculum ſéculi. *Pſ.*
111.
℣. Benedícam Dóminum
in omni témpore; ℟. Sem-
per laus ejus in ore meo.
Pſ. 33.
℣. In Dómino laudábi-
tur ánima mea: ℟. Aú-
diant manſuéti, & læten-
tur. *Pſ.* 33.
℣. Magnificáte Dómi-
num mecum, ℟. Et exal-
témus nomen ejus in idip-
ſum. *Pſ.* 33.
℣. Sit nomen Dómini
benedíctum, ℟. Ex hoc
nunc & uſque in ſéculum.
Pſ. 110.

Retribúere dignáre, Dó-
mine, ómnibus nobis
bona faciéntibus propter
nomen ſanctum tuum vi-
tam æternam. ℟. Amen.
℣. Benedicámus Dómi-
no. ℟. Deo grátias.
Submiſſiori voce: Fidé-
lium ánimæ per miſericór-
diam Dei requieſcant in
pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ
ante cœnam.

Benedícite. ℟. Dóminus.
℣. Edent paúperes &
ſaturabuntur; & laudábunt
Dóminum qui requírunt
eum; vivent corda eórum
in ſéculum ſéculi. *Pſ.* 21.
℣. Glória Patri. ℟. Sicut
erat, &c.
Kyrie, eléiſon. Chriſte,
eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Secretò Pater noſter, &c.

Clarâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Oratio.

BEnedic, Dómine, dona † tua quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum.

Ad Lect. Benedict. Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO poſt cœnam.

Qui benedixit menſam, dicit:

MEmóriam fecit mirabílium ſuórum, & *alii proſequuntur*, Miséricors & miſerátor Dóminus: eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. *Poſteà dicit:*

BEnedíctus Deus in donis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis; Qui vivit & regnat in ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Pſalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, &c. *ut ſuprà. pag.* clxv.

IN JEJUNIIS.

Ad refectionem fit Benedictio menſæ, & Gratiarum actio, ut notatum eſt pro cœna.

ITINERARIUM.

Viator in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat in ſingulari, ſi cum ſociis, in plurali, ea quæ ſequuntur.

Canticum, Benedíctus Dóminus, *pag.* 14.

Ant. 5. C. In viam pacis & proſperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphael comitétur nobiſcum in via, ut cum pace, ſalúte & gaúdio revertámur ad própria.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Secretò Pater. *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos, ℟. Deus meus, ſperantes in te. *Pſ.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de ſancto, ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88.

℣. Benedíctus Dóminus

ıuotídie, ℟. Próſpe-
iter fáciat nobis Deus
:árium noſtrórum. *Pſ.*

. Vias tuas, Dómine,
onſtra nobis; ℟. Et sé-
ıs tuas édoce nos. *Pſ.*

. Utinam dirigantur
noſtræ, ℟. Ad cuſto-
ıdas juſtificatiónes tuas.
118.
. Erunt prava in dire-
, ℟. Et áſpera in vias
nas. *Iſ.* 40.
℣. Angelis ſuis Deus
ndávit de te, ℟. Ut cu-
diant te in ómnibus viis
s. *Pſ.* 90.
℣. Dómine, exaudi,
.

Oratio.

DEus, qui fílios Iſrael
per maris médium ſic-
veſtígio ire feciſti, qui-
ıe Magis iter ad te, ſtellâ
ıce, pandiſti; tríbue no-
s, quæſumus, iter pró-
erum, tempuſque tran-
ıillum; ut, Angelo tuo
ncto cómite, ad eum quò
érgimus locum, ac de-
ıùm ad æternæ ſalútis por-
ım perveníre felíciter va-
ámus.

DEus, qui Abraham púe-
rum tuum de Ur Chal-
læórum eductum, per om-
ıes ſuæ peregrinatiónis
vias illæſum cuſtodiſti;
quæſumus, ut nos fámu-
los tuos cuſtodíre dignéris.
Eſto nobis, Dómine, in
procinctu ſuffrágium, in
via ſolátium, in æſtu um-
bráculum, in plúvia & frí-
gore tegumentum, in laſ-
ſitúdine vehículum, in ad-
verſitáte præſídium, in lú-
brico báculus, in naufrá-
gio portus; ut, te duce,
quò téndimus, próſperè
perveniámus, & demùm in-
cólumes ad própria redeá-
mus.

ADeſto, quæſumus,
Dómine, ſupplicatió-
nibus noſtris; & viam fa-
mulórum tuórum in ſalú-
tis tuæ proſperitáte diſpó-
ne; ut inter omnes viæ &
vitæ hujus varietátes tuo
ſemper protegámur auxí-
lio.

PRæſta, quæſumus, om-
nípotens Deus, ut fa-
mília tua per viam ſalútis
incédat; & beáti Joannis
præcursóris hortamenta ſe-
ctando, ad eum, quem præ-
dixit, ſecúra pervéniat,
Dóminum noſtrum Jeſum
Chriſtum Fílium tuum;
Qui tecum.
℟. Amen.
℣. Procedámus cum pa-
ce in nómine Dómini.
℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

AD LIBITUM SACERDOTIS.

Pſ. 83. Quàm dilecta, *pag.* 106.

Pſ. 84. Benedixiſti, *p.* 98.

Pſ. 85. Inclína, *p.* 154.

Pſ. 115. Crédidi, *p.* 110.

Pſ. 129. De profundis, *p.* 130.

Ant. Dómine, memor eſto meî; & ne vindictam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

PRECES.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. Pater noſter, &c. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Ego dixi; Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40.

℣. Convértere, Dómine: úſquequò? ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodùm ſperávimus in te. *Pſ.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur juſtítiam, ℟. Et ſancti tui exultent. *Pſ.* 13.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 110.

Oratio.

Aures tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ ſancti Spíritûs illúmina cor noſtrum; ut tuis myſtériis dignè miniſtráre, teque ætérnâ caritáte dilígere mereámur.

Deus, qui omne cor patet, & omnis voluntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum: purífica per infuſiónem ſancti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri, ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

Ure igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

Mentes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

Adſi:

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virs Spíritûs ſancti, quæ & ırda noſtra clementer exırget, & ab ómnibus .eátur adverſis.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs luſtratióne docuiſti, da obis in eódem Spíritu reta ſápere, & de ejus ſemer conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitando purífica; ut véniens Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per ómnia ſécula ſeculórum.

℞. Amen.

GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

Cant. 3. puer. Dan. 3.

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino: * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univerſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dño.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Miſael, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Hic, loco Glória Patri, *itur:*

Benedicámus Patrem & .ium cum ſancto Spíri- : * laudémus, & ſuper- altémus eum in ſécula. Benedictus es, Dómine, firmamento cœli; * & udábilis, & glorióſus, ſuperexaltátus in ſécu- .

Pſalmus 150.

Audáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudá- : eum in firmamento vir- ıtis ejus.

Laudáte eum in virtúti- us ejus: * laudáte eum ſe- undùm multitúdinem ma- ;nitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono ubæ: * laudáte eum in ›ſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tym- ›ano & choro: * laudáte :um in chordis & órga- no.

Laudáte eum in cymba- lis beneſonántibus; laudá- te eum in cymbalis jubila- tiónis;* omnis ſpíritus lau- det Dóminum.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto,

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſécula ſeculórum.

Amen.

Ant. Benedícite, ſacer- dótes Dómini, Dómino: laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

P R E C E S.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléi- ſon.

Pater noſter, qui es in cœlis: ſanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidiá- num da nobis hódie: & dimitte nobis débita no- ſtra, ſicut & nos dimítti- mus debitóribus noſtris: & ne nos indúcas in ten- tatiónem; ſed líbera nos à malo. Amen.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, ℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144.

℣. Exultábunt ſancti in glória; ℟. Lætabuntur in cubílibus ſuis. *Pſ.* 149.

℣. Non nobis, Dómi- ne, non nobis, ℟. Sed nó- mini tuo da glóriam. *Pſ.* 113.

℣. Dómine, exaudi orá- tiónem meam, ℟. Et cla- mor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

Oratio.

Majeſtátem tuam, Dó- mine, ſupplíciter exorámus, ne períre pa- tiáris quibus tanta remédia providiſti; ſed, cum divi- ni frequentatióne myſtérii, creſcat noſtræ ſalútis effe- ctus.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirando præveni, & adjuvando proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus, ut, qui offícium Sacerdotále ſuſcépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte & conſciéntia bona, famulári valeámus: &, ſi non póſſumus in tanta innocéntia vitæ conversári, ut debémus, concéde nobis tamen dignè flere mala quæ fécimus, & in ſpíritu humilitátis ac bonæ voluntátis propóſito, tibi fervéntiùs de cétero deſervíre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Amen.



LITANIÆ

SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

Yrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
yrie, eléiſon.
:ſu, audi nos.
:ſu, exaudi nos.
ater de cœlis, Deus, miſerére nobis.
ili Redemptor mundi, Deus, miſerére nobis.
píritus ſancte, Deus, miſerére nobis.
ancta Trínitas, unus Deus, miſerére nobis.
eſu, Fili Dei vivi,
eſu, ſplendor Patris,
eſu, candor lucis ætérnæ,
eſu, Rex glóriæ,
eſu, ſol juſtítiæ,
eſu, Fili Maríæ Vírginis,
eſu admirábilis,
eſu, Deus fortis,
eſu, Pater futúri sécu li,
eſu, magni Consílii Angele,
eſu potentíſſime,
Jeſu patientíſſime,
Jeſu obedientíſſime,
Jeſu mitis & húmilis corde,
Jeſu, amátor caſtitátis,
Jeſu, amor noſter,
Jeſu, Deus pacis,
Jeſu, auctor vitæ,

Miſerére nobis.

Jeſu, exemplar virtútum,
Jeſu, zelátor animárum,
Jeſu, Deus noſter,
Jeſu, refúgium noſtrū,
Jeſu, Pater páuperum,
Jeſu, theſaurus Fidélium,
Jeſu, bone Paſtor,
Jeſu, lux vera,
Jeſu, ſapiéntia ætérna,
Jeſu, bónitas infiníta,
Jeſu, via & vita noſtra,
Jeſu, gáudium Angelórum,
Jeſu, Rex Patriarchárum,
Jeſu, magiſter Apoſtolórum,
Jeſu, doctor Evangeliſtárum,

Miſerére nobis.

Jeſu, fortitúdo Mártyrum, miſerére nobis.
Jeſu, lumen Confeſſórum, miſerére nobis.
Jeſu, púritas Vírginum, miſerére nobis.
Jeſu, coróna Sanctórum ómnium, miſerére nobis.
Propítius eſto, parce nobis, Jeſu.
Propítius eſto, exaudi nos, Jeſu.
Ab omni malo, líbera nos, Jeſu.

Ab omni peccáto, líbera nos, Jeſu.

Ab ira tua, líbera nos, Jeſu.

Ab inſídiis diáboli, líbera nos, Jeſu.

A ſpíritu fornicatiónis, líbera nos, Jeſu.

A morte perpétua, líbera nos, Jeſu.

A neglectu inſpiratiónum tuárum, líbera nos, Jeſu.

Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera nos, Jeſu.

Per Nativitátem tuam, líbera nos, Jeſu.

Per Infántiam tuam, líbera nos, Jeſu.

Per diviníſſimam vitam tuam, líbera nos, Jeſu.

Per labóres tuos, líbera.

Per agóniam & paſſiónem tuam, líbera nos, Jeſu.

Per crucem & derelictiónem tuam, líbera nos.

Per languóres tuos, líbera nos, Jeſu.

Per mortem & ſepultúram tuam, líbera nos, Jeſu.

Per Reſurrectiónem tuam, líbera nos, Jeſu.

Per Aſcenſiónem tuam, líbera nos, Jeſu.

Per gáudia tua, líbera nos, Jeſu.

Per glóriam tuam, líbera nos, Jeſu.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jeſu.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Jeſu.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis, Jeſu.

Jeſu, audi nos.

Jeſu, exaudi nos.

℣. Confitébimur tibi, Deus, ℟. Et invocábimus nomen tuum. *Pſ.* 74.

Oratio.

Domine Jeſu, cujus Nomen nemo dícere poteſt niſi in Spíritu ſancto: concéde, quæſumus, ut, in eódem Spíritu ſacratíſſimum Nomen tuum invocantes, ſalvos fácias à peccátis; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs ſancti, Deus; Per, &c.

LITANIÆ
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miſerére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte, Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix,
Sancta Virgo Vírginum,
Mater Chriſti,
Mater divínæ grátiæ,
Mater puríſſima,
Mater caſtíſſima,
Mater invioláta,
Mater intemeráta,
Mater amábilis,
Mater admirábilis,
Mater Creatóris,
Mater Salvatóris,
Virgo prudentíſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidélis,
Spéculum juſtítiæ,
Sedes Sapiéntiæ,
Cauſa noſtræ lætítiæ,
Vas ſpirituále,

Ora pro nobis.

Vas honorábile, ora pro nobis.
Vas inſigne devotiónis, ora pro nobis.
Roſa myſtica,
Turris Davídica,
Turris ebúrnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Jánua cœli,
Stella matutína,
Salus infirmórum,

Ora pro nobis.

Refúgium peccatórum, ora pro nobis.
Conſolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Chriſtianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora pro nobis.
Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum, ora pro nobis.
Regína Apoſtolórum, ora pro nobis.
Regína Mártyrum, ora pro nobis.
Regína Confeſſórum, ora pro nobis.
Regína Vírginum, ora pro nobis.
Regína Sanctórum ómnium, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.

Chriſte, audi nos.

Chriſte, exaudi nos.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promiſſiónibus Chriſti.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præſtitiſti, tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Amen.



INDEX PSALMORUM.

Pſalmi. *Paginæ.*

119	AD Dominum, cùm tribularer,	73
27	Ad te, Domine, clamabo,	7
24	Ad te, Domine, levavi animam meam,	103
122	Ad te levavi oculos meos,	119
28	Afferte Domino, filii Dei,	86
77	Attendite, popule meus, legem meam,	78
48	Audite hæc, omnes gentes,	88
118	BEati immaculati in via,	16
127	Beati omnes qui timent Dominum,	91
31	Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,	112
40	Beatus qui intelligit ſuper egenum,	143
1	Beatus vir qui non abiit in conſilio,	3
111	Beatus vir qui timet Dominum,	29
33	Benedicam Dominum in omni tempore,	85
103	Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus,	39
102	Benedic, anima mea, Domino; & omnia,	50
143	Benedictus Dominus Deus meus,	52
84	Benedixiſti, Domine, terram tuam,	98
91	Bonum eſt confiteri Domino,	48
95	CAntate Dño canticum novum: cantate,	47
149	Cantate Dño canticum novum: laus ejus,	145
97	Cantate Domino canticum novum; quia,	101
18	Cœli enarrant gloriam Dei,	41
74	Confitebimur tibi, Deus,	90
110	Confitebor tibi, Domine, ... in concilio,	29
9	Confitebor tibi, Domine, ... narrabo,	66
137	Confitebor tibi, Domine, ... quoniam,	51
104	Confitemini Domino, & invocate,	57
135	Confitemini Dño, quoniam.... Confitemini,	41
106	Confitemini Dño, quoniam.... Dicant,	61
117	Confitemini Dño, quoniam.... Dicat nunc,	15
105	Confitemini Dño, quoniam... Quis loquetur,	59
15	Conſerva me, Dñe, quoniam ſperavi,	94
115	Credidi; propter quod locutus ſum,	110
4	Cùm invocarem, exaudivit me Deus,	32

Pſalmi.		*Paginæ*
129	De profundis clamavi ad te, Domine,	130
43	Deus, auribus noſtris audivimus,	71
49	Deus deorum Dominus locutus eſt,	86
62	Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,	11
21	Deus, Deus meus, reſpice in me,	126
69	Deus, in adjutorium meum intende,	119
53	Deus, in nomine tuo ſalvum me fac,	69
71	Deus, judicium tuum regi da,	100
108	Deus, laudem meam ne tacueris,	146
66	Deus miſereatur noſtrî, & benedicat nobis,	139
45	Deus noſter refugium & virtus,	96
82	Deus, quis ſimilis erit tibi?	149
59	Deus, repuliſti nos & deſtruxiſti nos,	148
81	Deus ſtetit in ſynagoga deorum,	44
78	Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam,	149
93	Deus ultionum Dominus,	70
114	Dilexi; quoniam exaudiet Dominus,	150
17	Diligam te, Domine, fortitudo mea;	5
38	Dixi: Cuſtodiam vias meas,	113
109	Dixit Dominus Domino meo,	28
35	Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo,	136
52	Dixit inſipiens.... in iniquitatibus,	89
13	Dixit inſipiens.... in ſtudiis ſuis,	93
140	Domine, clamavi ad te, exaudi me,	152
7	Domine Deus meus, in te ſperavi,	54
87	Domine Deus ſalutis meæ,	144
8	Domine Dominus noſter,	36
142	Domine, exaudi.... auribus,	99
101	Domine, exaudi.... & clamor meus,	38
20	Domine, in virtute tua lætabitur rex,	99
6	Domine, ne in furore tuo.... Miſerere,	54
37	Domine, ne in furore tuo.... Quoniam,	132
130	Domine, non eſt exaltatum cor meum,	91
138	Domine, probaſti me & cognoviſti me,	51
3	Domine, quid multiplicati ſunt,	4
14	Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?	94
89	Domine, refugium factus es nobis,	45
23	Domini eſt terra & plenitudo ejus,	135
26	Dominus illuminatio mea & ſalus mea,	135
22	Dominus regit me, & nihil mihi deerit,	68
92	Dominus regnavit, decorem indutus eſt,	11

96	Dominus regnavit, exultet terra,	49
98	Dominus regnavit, iraſcantur populi,	143
133	ECce nunc benedicite Dominum,	33
132	Ecce quàm bonum & quàm jucundum,	151
58	Eripe me de inimicis meis,	115
139	Eripe me, Domine, ab homine malo,	130
44	Eructavit cor meum verbum bonum,	95
144	Exaltabo te, Deus meus rex,	92
29	Exaltabo te, Domine, quoniam,	8
19	Exaudiat te Dominus in die tribulationis,	68
60	Exaudi, Deus, deprecationem meam,	104
63	Exaudi, Deus, orationem meam, cùm,	116
54	Exaudi, Deus, orationem meam, & ne,	114
16	Exaudi, Domine, juſtitiam meam,	134
39	Expectans expectavi Dominum,	125
80	Exultate Deo adjutori noſtro,	106
32	Exultate, juſti, in Domino,	36
67	Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus,	81
86	FUndamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion,	138
85	INclina, Domine, aurem tuam,	154
125	In convertendo Dominus captivitatem,	110
10	In Domino confido,	75
113	In exitu Iſrael de Ægypto,	30
70	In te, Domine, ſperavi... & eripe me,	119
30	In te, Domine, ſperavi... in juſtitia tua,	128
65	Jubilate Deo, omnis terra, pſalmum,	8
99	Jubilate Deo, omnis terra: ſervite Domino,	11
34	Judica, Domine, nocentes me,	123
42	Judica me, Deus, & diſcerne cauſam meam,	105
25	Judica me, Domine, quoniam ego,	124
121	LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi,	151
145	Lauda, anima mea, Dominum,	122
147	Lauda, Jeruſalem, Dominum,	83
148	Laudate Dominum, de cœlis,	43
150	Laudate Dominum in ſanctis ejus,	13
116	Laudate Dominum, omnes gentes,	142
146	Laudate Dominum, quoniam,	102
134	Laudate nomen Domini,	64
112	Laudate, pueri, Dominum,	30
120	Levavi oculos meos in montes,	73

Pſalmi.		Paginæ.
47	Magnus Dominus, & laudabilis nimis,	137
131	Memento, Domine, David,	111
56	Miſerere mei, Deus, miſerere mei,	69
55	Miſerere mei, Deus, quoniam,	133
50	Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam,	153
100	Miſericordiam & judicium,	146
88	Miſericordias Domini,	107
126	Niſi Dominus ædificaverit domum,	74
123	Niſi quia Dominus erat in nobis,	75
36	Noli æmulari in malignantibus,	76
61	Nonne Deo ſubjecta erit anima mea,	56
75	Notus in Judæa Deus,	139
46	Omnes gentes, plaudite manibus: jubilare Deo,	137
107	Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum,	144
72	Quàm bonus Iſraël Deus,	89
83	Quàm dilecta tabernacula tua,	106
2	Quare fremuerunt gentes,	5
41	Quemadmodum deſiderat cervus,	104
124	Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion,	74
51	Quid gloriaris in malitia,	114
90	Qui habitat in adjutorio Altiſſimi,	33
79	Qui regis Iſrael, intende,	56
128	Sæpe expugnaverunt me à juventute mea,	129
68	Salvum me fac, Deus,	117
11	Salvum me fac, Domine, quoniam,	75
57	Si verè utique juſtitiam loquimini,	138
136	Super flumina Babylonis,	151
64	Te decet hymnus, Deus, in Sion; & tibi reddetur votum,	96
94	Venite, exultemus Domino,	2
5	Verba mea auribus percipe, Domine,	84
76	Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Deum,	97
141	Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Dñum,	131
12	Uſquequò, Domine, oblivisceris me in finem?	75
73	Ut quid, Deus, repuliſti in finem?	46

INDEX CANTICORUM.

INDEX CANTICORUM.

Cantici.	*Paginæ.*
AUdite cœli,	139
BEnedicite,	12
Benedictus,	14
CAntemus,	63
Cibabit illum,	xl
Confitebor... quoniam,	101
Confitebor tibi, Domine Rex,	xiv
DEdit mihi Dominus,	490
Domine, audivi,	120
Domine omnipotens,	cliv
ECce Deus,	301
Exultavit cor meum,	42
GAudens gaudebo,	lxxv
HÆc dicit Dominus,	281
INcipite,	509
Inclinate,	325
Intrans,	529
JUſtorum animæ,	xxij
LAuda, Filia Sion,	578
Laudate, Cœli,	334
Laudate Dominum Deum,	xcv
MAgnificat,	32
Miſerere, Deus,	180
NUnc dimittis,	31

Pſalmi.		*Paginæ.*
47	MAgnus Dominus, & laudabilis nimis,	137
131	Memento, Domine, David,	111
56	Miſerere meî, Deus, miſerere meî,	69
55	Miſerere meî, Deus, quoniam,	133
50	Miſerere meî, Deus, ſecundùm magnam,	153
100	Miſericordiam & judicium,	146
88	Miſericordias Domini,	107
126	NIſi Dominus ædificaverit domum,	74
123	Niſi quia Dominus erat in nobis,	73
36	Noli æmulari in malignantibus,	76
61	Nonne Deo ſubjecta erit anima mea,	56
75	Notus in Judæa Deus,	139
46	OMnes gentes, plaudite manibus: jubilate Deo,	137
107	PAratum cor meum, Deus, paratum cor meum,	144
72	QUàm bonus Iſraël Deus,	89
83	Quàm dilecta tabernacula tua,	106
2	Quare fremuerunt gentes,	3
41	Quemadmodùm deſiderat cervus,	104
124	Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion,	74
51	Quid gloriaris in malitia,	114
90	Qui habitat in adjutorio Altiſſimi,	53
79	Qui regis Iſrael, intende,	56
128	SÆpe expugnaverunt me à juventute mea,	129
68	Salvum me fac, Deus,	117
11	Salvum me fac, Domine, quoniam,	75
57	Si verè utique juſtitiam loquimini,	138
136	Super flumina Babylonis,	151
64	TE decet hymnus, Deus, in Sion; & tibi reddetur votum,	96
94	VEnite, exultemus Domino,	2
5	Verba mea auribus percipe, Domine,	84
76	Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Deum,	97
141	Voce meâ ad Dominum... voce meâ ad Dñum,	131
12	Uſquequò, Domine, obliviſceris me in finem?	75
73	Ut quid, Deus, repuliſti in finem?	46

INDEX CANTICORUM.

INDEX CANTICORUM.

Cantici.	*Paginæ.*
AUdite cœli,	139
BEnedicite,	12
Benedictus,	14
CAntemus,	63
Cibabit illum,	xl
Confitebor... quoniam,	101
Confitebor tibi, Domine Rex,	xiv
DEdit mihi Dominus,	490
Domine, audivi,	120
Domine omnipotens,	cliv
ECce Deus,	301
Exultavit cor meum,	42
GAudens gaudebo,	lxxv
HÆc dicit Dominus,	281
INcipite,	509
Inclinate,	325
Intrans,	529
JUſtorum animæ,	xxij
LAuda, Filia Sion,	578
Laudate, Cœli,	334
Laudate Dominum Deum,	xcv
MAgnificat,	32
Miſerere, Deus,	180
NUnc dimittis,	35

Cantici.	Pagina.
OMnes qui tenent,	83
Os ſuum aperuit,	lxxxiv
PActum meum,	xlviij
Pars mea,	lvj
QUàm pulchri,	v
Qui timetis,	lxvj
SAcerdos magnus,	xxxj
Scient quia,	272
Suſcitatur,	263
TOnabit,	558
Tu Bethlehem,	253

INTONATIONES,

MEDITATIONES, TERMINATIONES ET NEUMATA

OCTO TONORUM.

INTONATIONES,
MEDIATIONES, TERMINATIONES
ET NEUMATA OCTO TONORUM.

IN hocce Breviario, ad Antiphonas quiſque Tonus ſuo numero notatur: variæ etiam cujuſque Toni Terminationes ſeu Modi ſuis litteris deſignantur. Duplex Modus, completus ſcilicet & incompletus. Modus completus ille eſt qui in ſingulis Pſalmi verſibus deſinit in legitimam Toni ſui finalem; incompletus verò, qui, non in Pſalmi verſibus, ſed in ſola Antiphona perfectè terminatur.

In ſingulis Tonis tria ſunt obſervanda: Intonatio, Mediatio & Terminatio.

INTONATIO in Pſalmis adhibetur tantùm ad primum Verſum; reliqui Verſus à nota dominante in directùm inchoantur: In Canticis verò *Benedictus* & *Magnificat* (quando pulſantur Organa,) Verſus qui canuntur à Choro, eodem modo inchoantur quo primus.

MEDIATIO fit in omnibus Verſibus Pſalmorum & Canticorum eodem modo quo fit in primo Verſu, niſi dictio ſit monoſyllaba, vel Hebræa non declinata; tunc enim fit ut notatur in ſequenti Tonorum Tabula.

TERMINATIO in omnibus Verſibus, tam Canticorum quàm Pſalmorum, ſemper eadem eſt ac in primo Verſu. Omnis Terminatio ideò per litteras alphabeticas deſignatur, quia hæ litteræ notis Cantûs reſpondent, ut ſequens earum ordo indicat.

A	B	C	D	E	F	G
Mi	Fa	Sol	La	Si	Ut	Re
La	Si	Ut	Re	Mi	Fa	Sol

Jubilum eſt ſonus quidam ſignificans cor parturire quod dicere non poteſt. Et quem decet iſta jubilatio, niſi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim eſt, quem fari non potes: & ſi eum fari non potes, & tacere non debes, quid reſtat niſi ut jubiles? ut gaudeat cor ſine verbis, & immenſa latitudo gaudiorum metas non habeat ſyllabarum?

Benè cantate ei in jubilatione.

S. Aug. Enarr. II. in Pſalm. 32.

Nunquam fit Neuma, ſeu Jubilum, niſi:

1° In Annualibus & Duplicibus primæ, ſecundæ & tertiæ Claſſis, poſt ultimam Antiphonam ſeu Veſperarum, ſeu cujuſque Nocturni, ſeu Laudum, & poſt Antiphonas Canticorum Evangelicorum;

2° In aliis Duplicibus & Semiduplicibus, poſt Antiphonas eorumdem Canticorum.


TONUS

TONUS I.

Duæ claves, ſic & duæ litteræ, ſignificant Tonum duplici modo oculis ſubjici poſſe.


Intonatio.

A. *vel* D.




IN e-xi-tu Iſrael de Ægypto,

Mediatio. *Terminatio.*




* domus Ja-cob de po-pulo barba-ro.

In Monoſyllabis, Hebræiſque vocibus non declin.




Adjiciat Dominus ſuper vos.




MAgni-fi-cat * anima, &c. e u o u a e.



D.



LAu-da-te Dominum, omnes gentes, &c.




Spiri-tui ſanƈto. e u o u a e.


 d. 

MAgni-ficat * a-nima, &c. e u o u a e.



Sequens deſinit pariter in D. *majuſc. ſed cùm ultimam ſyllabam reddat caudatam, ſitque de primo, caracterum defectu, notatur per* J. *caudatum.*

J. 


i i u i a o. e u o u a e.

f. 


e u o u a e.

G.  g. 

e u o u a e. e u o u a e.

a. 


e u o u a e.




Neuma I. Toni.

In Tonis imparibus, qui & Authenti *dicuntur, Intonatio Canticorum Evangelicorum eadem eſt ac Pſalmorum; in Plagiis verò, ſeu paribus, differt, ut ſuis locis notatur.*


II.

A. 


LAu-da-te Dominum, omnes gentes.




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis. 


NUnc dimittis ſervum tuum, Do-




mi-ne. Magni-ficat, &c.

In Monoſyllabis, Hebræiſque vocibus non declin. 


CRe-di-di, propter quod lo-cu-




tus ſum. e u o u a e.

D. 


LAu-da-te Do-minum, omnes gentes.



Spi-ri-tu-i ſancto.




Be-ne-dic. Credi-di, propter quod locutus




ſum. Domine David. e u o u a e.


In Canticis Evangelicis.




BE-ne-di-ctus Do-minus De-us



Iſ-ra-el. Magni-ficat* a-ni-ma, &c. mi-hi




ma-gna qui po-tens eſt, &c.




Neuma.

III.

E. 

LAu-da-te Dominum, omnes gentes.



e u o u a e. Magni-fi-cat* a-ni-ma, &c.


a.
e u o u a e.
a.
e u o u a e.
b.
e u o u a e.
c.
e u o u a e.
Neuma.
I V.
E.
LAu-da-te Dominum, omnes gentes.
e u o u a e.
f.
e u o u a e.
D.
e u o u a e.
A.
LAu-da-te Dominum, omnes gentes.
e u o u a e.




c.
e u o u a e.
d.
e u o u a e.
In Canticis Evangelicis.
BEnedictus Dominus Deus Iſrael.
MAgni-fi-cat.
Ma-gni-fi-cat.
Neuma.
V.
C.
LAu-da-te Dominum, omnes gentes.
e u o u a e.
CRe-di-di, propter quod lo-cu-tus ſum.
qui potens eſt.


a.
LAu-da-te Dominum, om-nes gentes.
Spi-ritui ſan-cto.
e n o u a e. frumenti ſa-ti-at te.
Neuma.
VI.
C.
LAudate Dominum, omnes gentes.
& in ſe-cula e u o u a e.
CRe-di-di, propter quod locutus ſum.
Do-mi-ne David.




In Canticis Evangelicis.
BEne-dictus Dominus Deus Iſrael.
MAgnificat * a-nima me-a Dominum.
C.
LAu-da-te Dominum, omnes gentes.
I V
& in ſe-cu-la. e u o u a e.
In Canticis Evangelicis.
BE-ne-dictus Dominus Deus Iſrael.
MA-gnificat.
F.
LAu-da-te Dominum, omnes gen-tes.
Spi-ritu-i ſan-cto. e u o u a e.


f.
e u o u a e.
In Canticis Evangelicis.
BEnedictus Dominus Deus Iſrael.
MAgnificat.
Neuma.
VII.
G.
LAudate Dominum, omnes gentes.
e u o u a e. lucíferum genui te.
CRedidi . . . . locutus ſum. Domine, David.
MAgnificat * anima. qui potens eſt.



a.
Spi-ri-tu-i ſan-cto. e u o u a e.
b.
e u o u a e.
ç.
e u o u a e.
c.
e u o u a e.
d.
e u o u a e.
d.
e u o u a e.
Neuma.
VIII.
g.
LAu da-te Dominum, o-mnes gentes.
Spi-ri-tu i ſancto.
CRe-di-di . . . lo-cu-tus ſum. e u o u a e.

G.  c. 


e u o u a e. Spi-ri-tu-i ſan-cto.

 d. 


e u o u a e. e u o u a e.

In Canticis Evangelicis. 


BEnedictus Dominus Deus Iſ-rael.



MAgni-fi-cat * anima, &c. magna qui potens eſt.

Hæc quatuor verba dicuntur ſub eodem cantu in ſecundo Modo. 


Quod pa-ra-ſti.




Neuma.

Modus cantandi Abſolutiones & Benedict.

Celebrans. *Abſolutio.*




DE-us det nobis cor omnibus ut colamus eum:




a-da-pe-riat cor noſtrum in le-ge ſu-a,

Chorus.




& in præceptis ſuis. Amen.

Lector. Celebrans.




JU-be, Do-mne, be-ne-di-ce-re. De-us



Domini no-ſtri Je-ſu Chriſti, Pater gloriæ,

℟.




det no-bis ſpi-ri-tum ſa-pi-en-ti-æ. Amen.


(Sic de aliis Abſolutionibus & Benedictionibus.)

Modus cantandi Lectiones ſecundùm varias punctuationes.

Lector : In Monoſyllabis : In Hebræis vocibus non declinatis.




Et dixit : . . . locutus ſum : . . . Sanctus Iſrael : . . .




Numquid . . . uteri ſui ? O ſacrum convivium !

In Monoſyllabis. *In Hebræis vocibus non decl.*




Fi-des fundamentum eſt. Sanctus Iſ-ra-el.




& portas tuas lauda-tio. Tu autem, Domine,

℟.




miſerere noſtrî. Deo gratias.

Cùm verò non dicitur : Tu autem, Domine, &c. *poſtrema Lectionis verba ſic cantantur.*




. . . . Non ſub-ſi-ſtam . . . . in hoc non lau-do.

Modus cantandi Capitula.




GAude-te in Domino ſemper, i-terùm di-co,

Mediatio.




gaude-te : mo-de-ſtia ve-ſtra no-ta ſit




o-mni-bus ho-mi-ni-bus : Dominus enim

In Monoſyllabis, Hebræiſque vocibus non declin. ℟.




propè eſt. Deo gra-tias.
Iſ- ra- el.



REgi ſe .... in ſe-cu la ſe-cu-lorum, in Chriſto


℟.




A-men. Deo, &ç.
Je-ſu.

Mediatio.


In Monoſyllabis, Hebræiſque vocibus non declin.



DEus ca-ri-tas eſt : & qui




ma-net in ca-ri-ta-te, in De-o ma-net,



& De-us in e-o. De-o, &c.


Modus cantandi Orationes Tono recto.

Celebrans. ℟.




DOmi-nus vo-biſcum. Et cum ſpi-ri-tu tu-o.

Celebrans.




ORemus. Deus, qui be-atum E-li-gium, &c.

℟.



. . . Per omnia ſe-cu-la ſe-cu-lo-rum. Amen.


Celebrans. ℟.



vel Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.


Modus cantandi Orationes Tono depreſſo.

Celebrans. *Chorus.*




DOminus vobiſcum. Et cum ſpi-ri-tu tu-o.


Celebrans.




ORemus. Deus, qui be-a-tum Eligium . . . .



concede pro-pitius : . . . cum ipſo coronari




mereamur. Per Dominum. . . Fi-lium tuum :



qui tecum .... Per omnia ſe-cula ſe-culorum.


Chorus.



Dominus vobiſcum, *ut ſuprà.*

A-men.

Celebrans. *Chorus.*



BE-ne-di-camus Domino. De-o gra-tias.

PRIVILÉGE DU ROI.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos Amés & Féaux Conſeillers les Gens tenants nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieu[illegible]s Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra : SA[illegible]-cher & bien-amé Couſin JEAN-FRANÇOIS DE [illegible]E D[illegible]BOURZAC, Evêque-Comte de Noyon, Pair de [illegible], Nous a fait expoſer qu'il auroit beſoin de nos Lettres de Privilége pour l'impreſſion des *Uſages de ſon Diocèſe* : A CES CAUSES, voulant favorablement traiter notredit Couſin, Nous lui avons permis [illegible]ermettons par ces Préſentes de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, tous les [illegible]iaires, *Diurn*[illegible], *Miſſels*, *R*[illegible], *Antiphoniers*, *Manuel*[illegible]*aduels*, [illegible]*aux*, *E*[illegible]*rs*, *Pſeautiers*, *demi-Pſeau*[illegible], *Dire*[illegible]*eures*, *Catéchiſmes*, *Ordonnances*, *Mandements*, *Statuts* [illegible]*odaux*, *Lettres Paſtorales & Inſtrutions* à l'uſage de ſondit Diocèſe, [illegible] tels Volume, forme, marge, caractère, conjointement ou ſéparément, & autant de fois q[illegible] bon lui ſemblera; & de les faire vendre & débiter par tout notr[illegible]aume pendant l'eſpace de *douze années* conſécutives, [illegible]er du jour de la datte des Préſentes; ſans toutefois qu'à l'occaſion des Livres ci-deſſus ſpécifiés, il puiſſe en être imprimé d'autre[illegible] qui ne ſoient pas de notredit Couſin. Faiſons défenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres perſonn[illegible], de quelques qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion é[illegible] dans aucun lieu de notre obéiſſa[illegible] comme auſſi d'imp[illegible]r ou faire imprimer, vendre, faire vendre & débiter leſdits Livres, en tout ou en partie, ni d'en faire aucunes Traductions, ou Extraits, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, [illegible]s la permiſſion expreſſe & par écrit de [illegible]redit Couſin, ou de ceux qui auront droit de lui; à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenants, dont un tie[illegible]us, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à [illegible]dit Couſin, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous d[illegible]mmages & intérêts. A la charge que ces Préſentes ſeront regi[illegible]es tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprim[illegible] & Libraires de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impreſſion de ces Livres ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caractères, conformément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant de les expoſer en vente, les Manuſcrits ou Imprimés qui auront ſervi de copies à l'impreſſion deſdits Livres, ſeront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France,

le ſieur DE LA MOIGNON, & qu'il en ſera enſuite remis deux exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le ſieur DE LA MOIGNON, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France, le ſieur DE MACHAULT, Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Préſentes : Du contenu deſquelles [illegible] mandons & enjoignons de faire jouir notredit Couſin [illegible] ſes [illegible]ſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur [illegible] ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenue pour [illegible]ment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos Amés & Féaux Conſeillers-Secrétaires, foi ſoit ajoutée comme à l'Original; Commandons au premier notre Huiſſier [illegible] Sergent, ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous Actes requis & néceſſaires [illegible] de-mander autre permiſſion, & non-obſtant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires; Car tel eſt notre plaiſir: Donné à Verſailles le *dix-ſeptiéme* jour du mois de Mars, l'an de grace *mil ſept-cent cinquante-cinq*, & de notre Régne, le quarantiéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

Signé, PERRIN.

Regiſtré ſur le Regiſtre XIII de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N° 499. *Fol.* 390. *conformément au Réglement de* 1723 *qui fait défenſes, Art.* 4. *à toutes perſonnes de quelque qualité qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; & à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre, neuf Exemplaires de chacun preſcrits par l'Art.* 108. *du même Réglement : A Paris le vingt & un Mars mil ſept cent cinquante-cinq.* *Signé*, DIDOT, Syndic.

NOUS, JEAN-FRANÇOIS DE LA CROPTE DE BOURZAC, Evêque-Comte de Noyon, Pair de France, avons cédé le préſent Privilége au ſieur *Auguſtin-Martin Lottin*, Imprimeur à Paris, à l'effet d'imprimer ſeulement le Bréviaire à l'uſage de ce Diocéſe : A Noyon, le neuf Octobre mil ſept cent cinquante-ſix.

Signé ✝ J. FR. Evêque-Comte de NOYON.

PARISIIS,
Excudebat AUGUSTINUS-MARTINUS-LOTTIN,
viâ San-Jacobæâ, ſub ſigno Galli.
MDCCLXIV.

[illegible]